

DE TEMPORUM

IN

ACTIS APOSTOLORUM

RATIONE

SRIPSIT

RUDOLPHUS ANGER

PHILOS. D. AA. LL. M. IN ACADEM. LIPS. PRIVATIM DOCENS.

LIPSIAE

IMPENSIS LIBRARIAE BAUMGAERTNERIAE.

MDCCCXXXIII.

PATRI CARISSIMO

GOTTH. FRID. ANGER

SCHOLAE CIVICAE NEOSTADIO-DRESDENSIS RECTORI

HUNC LIBELLUM

PIETATIS ANIMIQUE GRATI

TESTEM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quae fuerint prima post Iesu mortem Christianorum fata, ex nulla earum, quae illa aetate concinnatae sunt, scriptionum accuratius disci constat, quam ex Actis, quae dicuntur, Apostolorum. Qua de causa quum ad eas res penitius cognoscendas summo cum studio enitendum sit, ut quam fieri possit rectissime hic liber explicetur: haud leve huius studii incitamentum eo accedit, quod, quoniam ille plurimum versatur in exponendis Pauli Apostoli rebus, insignem praebet utilitatem ad huius litteras bene intelligendas. Quemadmodum vero omnino, ubi de rerum gestarum causis atque rationibus quaeritur, magni est ex omnium consensu momenti, ut, *quando* quidque contigerit, accurate perspiciatur: ita in illustrandis iis, quae Actis Apostolorum continentur, nequaquam ultimo loco habendam esse *temporum*, quibus singula facta sint, *cognitionem*, sponte apparet. Sed horum temporum indagatio tot ac tantis implicita est difficultatibus, ut, quamquam ad hunc usque

diem plurimi in iis expediendis operam haud contemnendam posuerunt, paucissima sint, de quibus quid sit iudicandum, non dicam, inter omnes, sed inter plerosque certe conveniat. Itaque haud immerito verendum mihi est, ne iure vituperandus videar, quod, qua in re viri et summo ingenii acumine excellentes et omni litterarum laude cumulati ita elaborarunt, ut nunquam deessent, quibus de sententiis suis non persuaderent, ad eandem perscrutandam ego me accinxerim, cuius quae sit et virium imbecillitas et eruditionis exilitas, nemo me ipso perspectius habeat. Attamen ne ideo me credas hanc disputationem instituisse, quod meliora atque certiora, quam quae hucusque prolata essent, tradere conarer, multorumve in iis, de quibus omnes fere dissentiunt, consensum me assecuturum esse opinarer, sed quod discere e viris doctis cuperem, num quis forte eorum, quae de temporibus Apostolorum statuenda ducerem, usus esse videretur ad lucem huic quaestioni aliqua ex parte affundendam.

Neque tamen illud solum spectavi, ut, quid ego censerem, in medium proferrem, sed ut aliorum etiam, qui de iisdem rebus egerunt, sententias enarrarem et meum qualecunque iudicium adderem. Id quod duplici de causa faciendum putavi: primum, quia ad ordinem temporum in Actis descriptorum felicius indagandum eximiae esse utilitatis intellexeram, nosse, quid hucusque de his temporibus fuerit statutum; deinde ut ne, si quid alii defendissent, cui calculum ego non adiecissem, eo, quod illorum argumenta neglexissem, placitis meis minus viderer consuluisse. In colligendis vero his sententiis ita sum versatus, ut, quaecunque memoria non prorsus indigna arbitrarer, ea recipere non dubitarem, et, quum neque liceret, neque e re esset, omnes ac singulos sententiarum singularum fautores recensere, hanc mihi legem scripsi, ut, quo quid majoris esse perspicerem, eo diligentius, qui illud tuiti essent, enumerarem. Qua in re si quibus nunc limites excessisse, nunc iusto parcior fuisse visus ero, hos rogatos

velim, ut tantis hoc opus difficultatibus obsitum esse meminerint, quas si non omnes superaverim, id aliquam, opinor, habeat excusationem. Nam et in tanta eorum, quae ab aliis de quaestione nostra prolata sunt, multitudine nonnunquam arduum est indicare de iis, quae vel commemoranda sint, vel omittenda, et, quum singula saepe in scriptis, quae ex diversissimo sunt genere, dispersa reperiantur, errore facillimo interdum quaedam negliguntur. Huc accedit, quod nequaquam omnes, qui ad rem pertinent, libros comparare mihi licuit. Id quod de primo potissimum huius opusculi capite valet. Quod quum ante hoc triennium, ut veniam hac in academia docendi adipiscerer, typis exscribi iuberem *), nonnullis vel eorum scriptorum, quae minus rara sunt, et quorum copia serius mihi est concessa, uti nondum poteram. Ac quamquam in iis, quae ab altero inde capite sequuntur, feliciori mihi esse contigit; tamen, quia haec libelli pars iam anno superiore formis excudi coepta est, fieri non potuit, quin earum inprimis scriptionum, quae recentius editae sunt, nonnullas operis demum decursu in rem meam convertere liceret. Quibus de causis, quum praeterea essent, quae retractanda viderentur, appendicem adiiciendam duxi, in qua tum, si quid ex iis, quae iusto serius cognovi, memoria dignum haberem, tum, quibus in rebus a sententiis antea propositis recedendum credidi, breviter indicarem.

Atque haec fere habui, quae praemonerem. Neque vero ad rem ipsam convertere me possum, quin insignem Virorum illorum Summe Venerandorum et Excellentissimorum liberalitatem celebrem, qui vel publicas, quae Dresdae sunt et Lipsiae, vel suas ipsorum bibliothecas benignissime mihi recluserunt; quibus quum dudum animum gratum testari cupiissem, maxime laetor, iam mihi oblatam

---

*) Etsi non prorsus eadem, qua nunc edidi, forma tunc emiseram; paginas enim nonnullas, inque his inprimis eas, quibus prolegomena continentur, variis de causis nunc immutandas curavi.

esse eius rei opportunitatem. Neque parum iuvenis doctissimus, Car. Semischius, R. M. Cand., qui in discipulis meis est praestantissimis, eo sibi me obstrinxit, quod indicum conficiendorum laborem amice in se suscepit.

His unum illud addo, maxime in votis esse, ut nonnulla certe, quae hoc libello proposui, ab iis, qui idonei sunt harum rerum aestimatores, non omni ex parte improbentur.

Dab. in Acad. Lips. d. IV. m. Augusti
a. MDCCCXXXIII.

AUCTOR.

PRAEPARATIO.

Anteaquam ad ipsam temporum, quae in Actis Apostolorum describuntur, indagationem accedamus, quaerendum est, num ea sit libri illius ratio, per quam recte hanc disputationem instituere liceat, id est, *num* et *singula*, quae in eo memorantur, *cum veritate conveniant*, et narratio omnis *notis* sit distincta eiusmodi, ex quibus, *quando quidque acciderit*, eruere possimus.

Itaque de rerum *veritate* ut idoneum fiat iudicium, tum de *auctore* libri disserendum est, tum de iis, quibus hic in eo contexendo usus sit, *fontibus*. *Auctorem* veteres *Lucam*, Pauli apostoli socium, nominant [a]). Neque est, quod contra dicamus; nam etsi Acta diserte non laudantur nisi *seculo* demum *secundo* fere medio [b]), tamen illa ab homine *apostolorum aequali*, et qui nonnunquam *Pauli comes* fuerit, profecta esse, ex variis libri ipsius locis demonstratur [c]). De *fontibus* vero si quaeritur, ex quibus singula ille derivaverit, priusquam hac de re disputare licet, paucis, quae de Lucae rebus certo cognita habemus, exponenda videntur. Ac prima quidem eius mentio Act. 16, 11 sqq. iniicitur [d]), unde eum cum Paulo in priore, qua hic Europam adiit, peregrinatione *Troade Philippos* navigasse ibique commoratum esse discimus. Cuius consuetudine quum eum non prius denuo usum esse videamus, quam quum apostolus in itinere eo, quod Act. c. 20. refertur, Philippis Hierosolyma peteret (Act. 20, 6 sqq.), summa cum veri specie, eum per totum, quod profectionem

---

a) Cff. Irenaeus adv. haer. 3, 14, 1., Clemens Alex. adumbrat. in 1. Petri ep., Orig. ap. Eus. H. E. 6, 26., Euseb. H. E. 3, 4. 25., alii. Adde ea testimonia, ex quibus evangelii, quod tertium occupare solet locum, auctor *Lucas* vocatur, quippe quem librum ab eodem, qui Acta composuit, scriptum esse, et aliunde, et ex Act. 1, 1., cll. ev. 1, 1., appareat. *b*) V. praeter cit. Irenaei locum *canonem* a Muratorio (in antiqq. Ital. med. aevi tom. III. col. 854.) editum, ep. ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad Asiae Phrygiaeque ecclesias (ap. Eus. H. E. 5, 2.). Testimonia antiquiora, quae Lardnerus (Glaubwürdigk. d. evangel. Gesch. part. II. tom. I. c. 1—16. p. 13. 45 sq. 86. al. vers. Bruhnianae) collegit, ambigua sunt. *c*) Cf. Act. 16, 10 sqq. 20, 5—21, 19. 27, 1—28, 16. Quam parum valeant, quae de Wettius (Lehrb. d. hist. krit. Einl. in d. kan. Bücher des N. Ts, §. 114.) contra monuit, Guerikius (Beitraege zur hist. krit. Einl. ins N. T. Hal. 1828, 8. p. 77 sqq.) et Schottus (isag. hist. crit. in ll. N. F. ss. Ien. 1830, 8. p. 174 sq.) ostenderunt. Praeterea cf., quae p. 4 a. dicentur. *d*) Quominus enim per *Λούκιον* illum, qui Act. 13, 1. (Rom. 16, 21.?) commemoratur, scriptorem nostrum intelligamus, et aliis rationibus, et eo impedimur, quod nomen *Λουκᾶς* e voc. *Lucanus* vel *Lucilius* ortum est. — Neque firma sunt argumenta ea, quibus Hugius (Einl. etc. II, p. 300 sqq. ed. 3.) probare studet, Lucam tum, quum acciderent, quae Act. 1, 1—11, 19. narrantur, in *Palaestina*, quum gererentur, de quibus abhinc usque ad cap. 14. extr. verba fiunt, *Antiochiae* degisse.

utramque intercessit, spatium *Philippis,* vel *prope Philippos* degisse, colligimus. Inde cum Paulo Hierosolyma vectus, quum ille biennio post Caesarea captivus Romam duceretur, in eius comitibus fuit (Act. 27, 1 sqq.); itaque per omne hoc intervallum eum et Hierosolymis et Caesareae apostolo adfuisse, recte concluditur. Ex nonnullis denique earum, quas P. Roma scripsit, epistolarum, hac eum in urbe aliquamdiu cum illo mansisse, intelligitur [e]). Quae quum ita sint, Lucas *eorum, quae* Act. 16, 11—40. 20, 6—28, 29. *de Pauli rebus* narrat, fere omnium *ipse testis fuit;* quae *praeterea de eodem* tradit, ea *vel* ab *apostolo, vel* ab *iis, qui singulis interfuerant,* nullo negotio accipere poterat. Tametsi eum in his *plerumque alios secutum esse* suspicamur, quia tantum abest, ut in enarrandis omnibus Pauli fatis eadem cum ubertate versetur, ut fusius ea soleat describere, quae, postquam ipse in interiorem Pauli notitiam pervenit (eaque de causa attentius animum ad eius res advertere coepit), et quae in regionibus non ita multum a Philipporum urbe remotis, quam quae in terris longinquioribus, et priusquam apostolum familiarius cognitum haberet, evenerant [f]). Quae vero *Pauli res non attingunt,* i. e., quae Act. cc. I—XII. (paucis exceptis) memorantur, ea, quoniam fere omnia in *Palaestina* gesta sunt, tum, quum biennium hac in terra degeret, comperire facile ab *iis* poterat, *qui rerum illarum spectatores fuerant et auditores* [g]).

---

e) Col. 4, 14. Philem. 24. 2 Tim. 4, 11. Siquidem ep. ad Philem., et, quae haud dubie eiusdem aetatis sunt, litteras ad Coloss. (atque ad Ephesios) datas non tam (ut Schulzio visum est, th. Stud. u. Krit. tom. II. part. 2. p. 612 sqq. et Schotto, isag. in ll. N. F. §. 66.) *Caesareae,* quam *Romae* exaratas esse censeo. Vix enim illud, quod apostolus in ep. ad Philem. v. 24. se mox *Colossas* venturum sperat, aetati ei convenire crediderim, qua ille Caesareae erat, quippe qua, *Romam* potius sese missum iri, exspectasse videatur (cf. Act. 23, 11.) *f*) V. Act. 17, 1—18, 17. 19, 1—20, 3. cll. 15, 40—16, 8. 18, 22 sq.; et quae ante c. 16. de Paulo traduntur, cum ea cf. sectione, quae est inde a c. 17. *g*) Quaesitum est, an Lucas *scriptis* quoque fontibus usus sit. Negavit Eichhornius, Einl. in d. N. T. II, §. 149.; contenderunt Koenigsmannus, de fontibus commentariorum sacrorum, qui Lucae nomen praeferunt, deque eorum consilio et aetate, Altonae 1798, 4., quae diss. recusa est in Potti sylloge commentt. theoll. vol. III., Boltenius, d. Gesch. d. Apostel v. Lucas, übersetzt m. Anmerkk., Altonae 1799, 8., in praef., Zieglerus, üb. d. Zweck, d. Quellen u. d. Interpolationen d. Ap. Gesch., in Gableri Journ. f. theol. Litt. tom. I. (1801) part. 2. p. 125 sqq., Heinrichsius, prolegg. in Acta App. p. 19 sqq., Kuinoelius, commentar. in ll. N. T. histt. tom. IV. prolegg. §. 4., Bertholdtius, hist. krit. Einl. etc. tom. III. p. 1331 sqq., I. C. Riehmius, diss. crit. theol. de fontibus Actuum Apostolicorum, Trai. ad Rhen. 1821, 8., de Wettius, Einl. in d. N. T. §. 115., Schottus, isag. in ll. N. F. p. 181 sqq. Ac negari profecto nequit, non modo epistolam Act. 15, 23 sqq. insertam (fortasse etiam hanc, quae 23, 26 sqq. legitur), sed et longiores illas orationes, quae, quum et loquentium ingeniis, et ei, quae quoque tempore erat, rerum conditioni egregie accommodatae esse soleant, prorsus fictae haberi non possunt, et has narrationes, quibus, quid Petrus in Palaestina gesserit, ita memoratur, ut res minutissimae perquam accurate exponantur, summa cum probabilitate e documentis scriptis derivari. Praeterea, licet idem sit per totum volumen loquendi usus (cf. Schottus, isag. p. 185. cll. p. 108—110.), tamen capp. XII prioribus non solum omnis dicendi ratio magis accedit ad linguarum hebr. et aram. indolem, sed et nonnullae reperiuntur loquendi formae, nec Lucae alias, nec reliquis

Atque iis quidem, *quibus Lucas ipse interfuit*, tum propter sincerissimum, quo eum actum fuisse ex eius evang. (1, 1—4.) novimus, veritatis studium, tum quia, si quid memorat, de quo alii etiam, iique probatissimi scriptores (Paulum prae ceteris dico, Iosephum, Tacitum, Suetonium, Dionem Cassium) verba fecerunt, egregia solet esse utriusque narrationis convenientia [h]), *maximam* iure nostro *fidem tribuimus*. Ad *reliqua* vero quod attinet, scriptorem nostrum haud dubie id egisse, ut a testibus locupletissimis edoceretur, non uno demonstratur argumento. Primum enim, quanta ille cum diligentia, quae non vidisset ipse, ab iis, qui spectassent, cognoscere studuerit, ex eo, quem modo attulimus, evangelii loco discimus; deinde in illis, de quibus loquimur, Actorum partibus eiusmodi commemorantur et minutiae et res obscuriores [i]), quas aut sub eorum, a quibus Lucas eas petiit, oculis, aut non procul accidisse necesse sit; tantus denique in his etiam sectionibus consensus est inter Lucam aliosque, qui forte easdem res attigerunt [k]), ut, nisi hos omnes errorum arguere velimus, non possimus, quin illum *scriptores luculentos secutum esse* fateamur. Verum, ais, nonnulla inveniuntur, quae, quum vel miraculosa sint, vel minus congruant cum iis, quae aliunde scimus, fidem vel Lucae, vel eorum, quorum ille testimoniis usus est, labefactant. Attamen de miraculis quomodocunque statuas: apostolis et iis, qui eorum aetate vixerunt, tantopere persuasum erat, in multis, quae vel ab ipsis, vel se coram perpetrabantur, miraculosi quid inesse, ut, si quis illorum talia tradit, hoc nomine eius fides impugnari nequeat. Deinde etsi largimur, haud facile secum conciliari posse, quae Act. 1, 4 sqq., et quae in ev. Lucae 24, 44 sqq., quae Act. 1, 18. et Mt. 27, 5 sqq., quae Act. 9, 3 sqq. et 22, 6 sqq. 26, 14 sqq. leguntur [l]): tamen hanc discrepantiam tam levem esse quisque perspicit, quae scriptoris alioqui certi fidei nihil possit derogare.

N. Ti scriptoribus usitatae; v. Eichhornius, Einl. II, p. 33., Schottus, isag. p. 184. Neque est, quod alias quoque Actorum partes a scriptionibus pendere negemus, etsi, de quibusnam hoc valeat locis, certo diiudicari non potest. — Ceterum libros illos *apocryphos*, qui *πράξεις Πέτρου* et *κήρυγμα Πέτρου* vocabantur, iam ante Actorum compositionem editos, et a Luca in usus suos adhibitos esse, id quod Zieglerus, l. c. p. 138 sqq., et Heinrichsius, l. all. p. 21 sqq., suspicantur, prorsus alienum est a veri specie. *h*) V. not. k. *i*) V. g. 4, 6. 9, 33. 36. 43. 10, 1. 3. 6. 11, 12. 12, 10. 13. al. *k*) Quanta sit Actorum et Pauli scriptorumque aliorum congruentia, prae ceteris docuerunt Lardnerus, Glaubwürdigk. d. evgl. Gesch. tom. I., Biscoeus, Erlaeuterung d. Ap. Gesch., aus d. Engl. übersetzt v. Rambach, ed. 2. Magdeb. et Lips. 1756, 4., Påleyius in l.: horae Paulinae — Beweis der Glaubwürdigkeit der Gesch. und der Aechth. der Schften des Ap. Paulus aus ihren wechselseitigen Beziehungen auf einander. Aus d. Engl. Mit einigen Anmerkk. v. H. P. C. Henke, Helmst. 1797, 8., I. A. G. Meyerus, Versuch einer Vertheidigung u. Erlaeuterung d. Gesch. Iesu u. d. App. allein aus griech. u. roem. Profanscribenten, Hannover. 1805, 8. p. 301 sqq., Haselaarius, de nonnullis Actt. Apostt. et epistt. Paull. ad historiam Paulli pertinentibus locis, Lugd. Bat. 1806, 8., Eichhornius, Einl. in d. N. T. II, §. 152. *l*) Sunt haec, quibus de Wettius usus est exemplis, ut Acta Apostolorum vix a Pauli comite originem ducere posse ostenderet. De locis Act. 5, 36. cll. Ios. Ant. 20, 5, 1. (ed. Haverc.), Act. 11, 30. cll. Gal. 2, 1., quos idem urget, quid nobis videatur, pp. 185. 145 sqq. exposuimus; de

Sin vero quaeritur, num Actorum liber *iis* sit *notis* instructus, *per quas* rerum, quae in eo volumine exponuntur, *tempora definiri queant:* prima quidem specie hac de re dubia movenda videntur. Nam etsi tantum abest, ut Lucas nonnisi *formis* quibusdam *latius patentibus* utatur (quamquam hoc eum passim fecisse constat [m])), ut saepius, qua quid *anni parte* [n]), quo *die* [o]) quave *hora* [p]) evenerit, doceat: tamen haec minoris plerumque sunt momenti; quibus vero *annis* singula acciderint, id quod nosse maxime nostra interest, *nusquam diserte tradit.* Attamen non desunt, quorum ope, etsi non omnium, at multarum certe rerum annos inveniri posse nobis persuasum est. Etenim partim hic illic narrantur, quae scriptores alii, iique fide digni [q]), vel cum diserta temporis notatione, vel ita commemorant, ut, quando illa acciderint, concludendo assequi liceat [r]); partim in Actis ipsis et in Pauli epistolis, quo temporis intervallo singulae res a se invicem remotae fuerint, haud raro vel tectius vel apertius indicatur [s]); quo fit, ut unius rei anno constituto interdum aliarum multarum tempora accuratius definiantur. Quamquam negari nequit, haec de ea inprimis libri sectione valere, quae est inde a cap. XVIII., non modo quia Lucas tum, quum agerentur, quae his capp. narrantur, iam in interiorem Pauli cognitionem pervenerat (v. Act. 16, 10 sqq.), eumque aliquamdiu comitatus est (20, 4 sqq.), verum etiam, quod temporibus iisdem plurimae, quae aetatem tulerunt, Pauli litterae sunt concinnatae; reliquam vero voluminis partem fere totam (ea potissimum dico, quae 1, 1—11, 25. 12, 25—17, 34. leguntur) ita se habere, ut, si quid de eius temporibus certius definiri possit, id non tam Lucae, quam Paulo (inpr. ep. ad Gal. scriptae) debeatur. — Sed et alia quaedam oritur dubitatio. Nam quum non fieri solum facile potuerit, ut Lucas passim, si illi, ex quibus hauriret, fontes vel deficerent, vel rem non satis accurate proponerent, maius quoddam temporis intervallum tacitus praeteriret, sed unum saltem, quod certum sit, negligentiae huiusmodi exemplum cap. 9, vv. 19—26. cll. Gal. 1, 17 sq. inveniatur, ac praeterea in Pauli epistolis varia commemorentur, quorum nullam

---

loco Act. 9, 26. cll. Gal. 1, 17. mox (p. 5a.) dicemus; neque ideo, quod Act. 22, 17. (in oratione, quae Paulo ipsi tribuitur) nulla itineris Arabici (Gal. 1, 17.) mentio iniicitur, iure de Lucae fide dubitari licet; quid erat enim, quod hoc loco profectio illa commemoraretur? *m*) Cf. 3, 1. 6, 1. 8, 1. 11, 27. 12, 1. *n*) V. 27, 9.; 28, 11. *o*) Cf. 13, 14. 16, 13.; 20, 7.; 2, 1. 20, 16.; 12, 3. 20, 6.; 27, 9. *p*) Ut 2, 15. 3, 1. 10, 3. 30. 44. 16, 25. al. *q*) Inpr. Iosephus, Tacitus, Dio Cassius. In quaestione ea, quae est de anno, quo Iesus in coelum adscenderit, maximam afferunt utilitatem evangelistae; Ioannes potissimum, qui plurimorum, quae retulit, spectator ipse fuit, et Lucas; cui, etsi ab aliis pendet, neque facile omnis omnino erroris absolvi potest, in iis tamen, in quibus eum secuti sumus, temporum definitionibus (3, 1. 23.) recte fidem adiunximus, quia illae, quum ad res pertinerent, quae a Christianis omnibus maximi habebantur, non poterant, quin tum, quum Lucas in Palaestina versaretur, multorum, qui hac in terra erant, memoriae infixae haererent. Ex Matthaei quidem evangelio aliquando eiusmodi loco usi sumus, qui variis de causis ambiguae est fidei; neque tamen addere omisimus, quid esset, quod non omnem ei fidem derogaremus (v. p. 6 sq. not. b.). *r*) V. inpr., quae c. II. et c. III. parte II. disputavimus. *s*) Ut Act. 1, 3. 16, 11. 17, 2. 18, 11. 19, 8. 10. 20, 3. 6 sqq. 21, 27. 24, 27. al. Gal. 1, 18. 2, 1.

Lucas mentionem iniecit *t*): actum videtur de subtiliore horum, quae indagaturi sumus, temporum cognitione. Sed ut ante omnia de iis dicamus, quae gesta sunt, ex quo Lucas Paulum familiarius cognovit, quae quidem inde a c. XVI. narrantur: quemadmodum prorsus incredibile est, Paulum (nam de huius potissimum rebus abhinc verba fiunt) hac aetate *diutius* alicubi degere potuisse, quin Lucas hoc et comperisset, et litteris mandasset, ita per omnem, quae est ab hoc inde capite, sectionem eum tam diligenter versatum videmus, ut, nisi singula quaedam haberet, quae de apostolo traderet, universe, ubinam ille fuerit, vel quid fecerit, indicare non omitteret *). Itaque si quid ex eius fatis, quod aliunde, quam ex Actis, novimus, intra hoc intervallum accidisse credendum fuerit, id *brevissimum* temporis spatium complexum esse, iure nostro concludimus *v*). In altera vero libri parte (excepto tamen fortasse loco 11, 26 — 12, 24.) etsi non improbabile est, hic illic intercapedinem longiorem silentio esse praetermissam: tamen hoc neque de alio loco, quam qui Act. 9, 19 sqq. legitur, certo comprobari potest, neque, si vel posset, maius hinc quaestioni nostrae detrimentum nasceretur, quam quod inde oritur, quod haec ipsa voluminis pars ita est comparata, ut, quidquid de eius temporibus accuratius cognitum habemus, id ex Paulo potius, quam ex Actis discamus.

Restat, ut iis occurramus dubiis, quae quis movere possit ex *ambiguitate lectionis*, quae in nonnullis, quorum usus nobis faciendus est, locis invenitur; quae quidem eo maioris haberi possint, quod Acta Apostolorum prioribus p. C. n. seculis magis, quam reliquae N. Ti partes, a librariis sunt corrupta *x*). Sed praeterquam quod egregia supersunt documenta, quorum ope locis longe plurimis, quae sit scriptio ab auctore ipso profecta, vel certo, vel summa cum probabilitate definiri licet: illi et Actorum et aliorum scriptorum loci, qui, quum sint alicuius in re nostra momenti, graviore quadam lectionis diversitate dubii reddi videntur, ita se habent, ut de scriptura genuina, licet nonnunquam arduum sit statuere, idoneum tamen fieri iudicium possit.

Ex his vero omnibus intelligitur, eorum, de quibus dicturi sumus, temporum indaginem haud exiguis implicitam esse difficultatibus. In quibus solvendis quum aetate antiquiore pauci, iique minus accurate, operam collocassent, plurimis in eo acquiescentibus, ut illorum vestigia premerent *y*): summa cum diligentia *post sacra in-*

---

t) V. g. Rom. 15, 19. 16, 3 sq. 2 Cor. 11, 25 sq. 12, 2—4., 13, 1 sq. Gal. 2, 11 sqq. al. *) V. g. 18, 22 sq. 20, 1—3. *v*) Cf. etiam pp. 64. 73. not. m., 76. *x*) Cff. Eichhornius, Einl. II, §. 154., Hugius, Einl. I, §§. 30. 31. — Quod Zieglerus (l. c. p. 154 sqq.) suspicatur, quasdam in Actis esse interpolationes, quae in omnia omnino documenta irrepserint (ut 2, 8—11. 5, 12—14. 8, 1. 13, 52.), id vereor an idoneis defendi possit argumentis. *y*) Primus plurium, quae in Actis traduntur, rerum tempora definire studuit Eusebius in canone chronico (in chronici totius vers. armenico-latina, quam Aucherius curavit Venet. 1818., tomis 2, 4., tom. II. p. 265 sqq.). *Primum* dicimus Eusebium; nam Iul. Africanus, quem ille plerumque sequitur, tempora ea, quae Christi aetatem exceperunt, teste Photio, bibl. cod. 34., paucis tantum attigit; quid vero operae Tatianus et Clemens (Alex.) in his temporibus illustrandis posuerint, ex testimoniis chronici Alex. (p. 548—550. ed. Raderi) et Malelae (p. 311. ed.

staurata, quae sit temporum in Actis ratio, quaesitum est. Abhinc permulti, quum partim veterum placita defendere, partim suas quasdam sententias stabilire conarentur, tanto ingenii acumine tantaque eruditione res obscuriores illustraverunt, ut, quantum illi ad expediendum horum temporum ordinem contulerint, dici vix possit *z*).

Chilmeadi) non perspicitur. Cum Eusebio, etsi non omni ex parte, Euthalius facit, in prologo ad edit. epp. Pauli, cap. 3. (in Gallandii bibl. patrum, tom. X. p. 247 sqq.), quem quidem Oecumenius excerpsit in fine comment. in Acta App. (p. 109 sq. ed. Veron. 1532, fol.). Syncellus in chronographia, p. 320 sqq. ed. Paris. 1652, fol. (cuius vestigia Anastasius bibliothecarius, hist. eccl. p. 14 sqq. ed. Paris. 1649, fol. et Ioëles, in chronograph. compendiaria, Paris. 1651, fol. p. 161 sqq., premunt), utut in enarrandis iis, quae apostolorum aetate acciderunt, ab Eusebio pendet, tamen nonnisi pauca eorum, quae Act. 1—9. traduntur, et de quorum temporibus, si ultimum Christi annum exceperis, Eusebius ne dixit quidem, certis assignat annis. Hieronymus, licet in ipsa versione canonis chronici Eusebiani (ed. eius, quae una cum chronn. Prosperi, Cassiodori, Herm. Contracti all. Basileae facta est a. 1529, fol. p. 71 A sqq.) — cll. l. de vir. ill. c. 5. —, tamen, ut in aliis, ita in omnibus iis, quae ad nostram spectant quaestionem, ab Eusebio discrepat. Hieronymum scriptores latini fere omnes (etsi non semper satis accurate) sequuntur, ut Orosius, hist. l. VII. c. 1—7., ut Beda, de tempp. ratione, ed. Basil. 1529. fol. p. 56. B—D., Freculphus Lexoviensis, in chronicis, (Heidelb.) ap. Henr. Commelinum, 1597, 8. tom. II. l. I. p. 396 sqq., Regino Prumiensis, in chron. (in Pistorii scriptt. rer. germ. ed. Fcft. 1613, fol. t. I. p. 2 sq., Hermannus Contractus, in chron. ed. Basil. 1529, fol. (una c. Eusebii chron. all. emissae) p. 176. B. C., Marianus Scotus, in chron., Bas. 1559, fol. p. 222 sqq., auctores chronicorum, quae in Pistorii scriptt. rer. germ. I, p. 705 sqq. leguntur, et eorum, quae Petrus Stevartius edidit, all. Ab his omnibus recedunt Prosper Aquitanicus, in chronico, tom. XI. thesauri Graeviani, p. 284 sqq., Ioannes, Malelas s. Malalas dictus, in hist. chronica, ed. Edm. Chilmeadi, Ox. 1691, 8. p. 309 sqq., auctor chronici paschalis s. Alexandrini, ed. Raderi, Monach. 1624, 4. p. 544 sqq.

z) Omissis, qui sua de his temporibus placita ita protulerunt, ut eorum causas vel nunquam vel raro adderent, ii tantum commemorandi videntur, qui sententias suas uberius exposuerunt. Sunt autem hi: Caes. Baronius, in annall. ecclesiastt. Rom. 1588 sqq. fol. et saepius editis, tom. I. ab a. Tib. 18. ad a. Ner. 4., Dion. Petavius, de doctr. tempp. Par. 1627, 2 tomis, Amst. (cum aliis eiusd. opp.) 1640, 3 tomis, fol., l. XI. c. 12., Lud. Cappellus, in hist. Apostolica illustrata (cum appendice, qua causas suae statuendi rationis enarrat, et cum diss. de ordine epp. Pauli), Genev. 1634., Salmur. 1683, 4., Francof. (cur. I. A. Fabricio) 1691, 8., recus. in criticis sacris, ed. Francof. tom. VII. p. 3139 sqq., Iac. Usserius, in annall. V. et N. T. Lond. 1650, fol. et saepius edd., ab a. mundi 4746. Ch. 33., Io. Lightfootus, in chronicis tempp. et ordine textuum N. T., opp. ed. 3. Franeq. 1699, fol. tom. II. p. 62 sqq., F. Spanhemius, in diss. p. 121. not. a. mem., cll. hist. eccl. N. Ti, in opp. Lugd. Bat. 1701, fol., tom. I. p. 534 sqq., Io. Pearsonius in (quinque) lectionn. in priora Actt. capp., et in annalibus Paulinis, quos una cum lectionn. illis et cum aliis eiusd. opp. posthumis ed. H. Dodwellus, Lond. 1688, 4., singulatim recudi iussit I. H. Michaëlis, Hal. 1713, 8., Seb. Nanus Tillemontius, mémoires pour servir à l'hist. ecclés. Par. 1693 sqq., 4. Bruxell. 1694 sqq., 12. (tom. I. part. II. fere tota, part. III. passim, edit. Brux.), Herm. Witsius, in l.: meletemata Leidensia de vita et rebus gestis Pauli, Lugd. Bat. 1703, 4. (qui in iis, quae ad tempora pertinent, unius fere Spanhemii vestigia premit), Sam. Basnagius, in annall. politico-eccless. Roterod. 1706, fol., tom. I. p. 403 sqq., Io. Iac. Hottingerus, in l.: πεντας dissertt. biblico-chronoll., Trai. ad Rhen. 1723, 8., in diss. quinta: χρονοταξις historiae et epp. S. Pauli, p. 305 sqq., I. A. Bengelius, in ord. tempp. Stutg. 1741. ed. 2, 53. ed. 3.

Quamquam tantum abest, ut coniunctis horum virorum studiis omnia, quibus haec quaestio implicita est, dubia tollerentur, ut, quum non deessent, qui sagacius interdum, quam verius dissererent, nova hic illic accederent impedimenta. Itaque iis, de quibus recte ab illis disputatum est, in usum nostrum conversis, num quas forte earum, quae supersunt, difficultatum removere nobis contingat, experiamur.

(emend.) 70, 8. (p. 268 sqq. ed. 1.), C. G. Hofmannus in adnotatt. ad Io. Ge. Pritii introductionem in lectionem N. Ti, edit. 2. Lips. 1764, 8., cc. XVII. XVIII., I. M. Lorenzius, in annall. Paulinis, dissertt. 3, Argent. 1769, 4., I. D. Michaëlis, Einl. in d. goettl. Schften des N. B., tom. II. §. 169. p. 1182 sqq. ed. 4. (Gott. 1788, 2 tomis, 4.), Vogelius, Versuch üb. chronol. Standpuncte in d. Lebensgesch. Pauli, in Gableri Journ. f. auserl. theol. Litt. tom. I. (1805) p. 229 sqq., Heinrichsius, in prolegg. ad suum in Acta App. comm. (Gott. 1809. 1812, 2 tomis, 8.) p. 45 sqq., Haenleinius, Handb. d. Einl. in d. Schften des N. T., ed. 2. Erl. 1801. 1802. 1809, tomis 3, 8., t. III. p. 157 sqq., Eichhornius, Einl. in d. N. T., Lips. 1804—14, 8. II, §. 51., III, §§. 202—204., Bertholdtius, hist. krit. Einl. in -- d. A. u. N. T., Erl. 1812—19, 8. V, §§. 628 sq., Süskindius, neuer Versuch üb. chronol. Standpunkte für d. Ap. Gesch. und für d. Leben Iesu, in Bengelii Arch. f. die Theol. u. ihre neueste Litt. I, I, p. 156 sqq., II, p. 297 sqq., I. E. C. Schmidtius, Chronol. d. Apostelgesch., in Keilii et Tzschirneri Analect. f. d. Stud. d. exeg. u. syst. Theol., tom. III. p. 128 sqq., Winerus, bibl. Realwtb., Lips. 1820. (ed. 2. t. I. 1833.), inpr. s. v. Paulus, et in l.: Pauli ad Gal. ep. graece, perpet. adnot. illustr. exc. II. p. 150 sqq., ed. 3. (Lips. 1829, 8.), ubi a sententiis in altero illo libro prolatis non semel recessit, Kuinoelius, in prolegg. ad tom. IV. commentarii in ll. N. Ti histt. (Lips. 1818. ed. 2. 1827, 8.), §. 7., de Wettius, Lehrb. d. hist. krit. Einl. in die Bibel A. u. N. T., Ber. 1826. ed. 2. 1830, 8., II, §. 118. — utriusque libri editione 1. usi sumus —, Hugius, Einl. in die Schften des N. T. ed. 3. Tub. 1826, 8. II, §§. 82 sq. (quocum fere consentit I. T. Hemsenius, d. Ap. Paulus, Gott. 1830, 8.), K. Schraderus, d. Ap. Paulus, tom. I. (chronoll. Bemerkk. üb. d. Leben d. Ap. Paulus) Lips. 1830, 8., I. F. Koehlerus, Versuch üb. d. Abfassgszt d. epistolischen Schften im N. T. u. d. Apokalypse, Lips. 1830, 8., inpr. p. 48 sqq., Feilmoserus, Einl. in d. BB. des N. B., ed. 2. Tub. 1830, 8., p. 308 sqq., Schottus, isag. hist. crit. in ll. N. F. ss., inpr. §. 48., et in l.: Eroerterung einiger wichtigen chronol. Punkte in der Lebensgeschichte des Apost. Paulus, Ien. 1832, 8., quo in libello varia eorum, quae prius proposuerat, retractavit, Iul. Fr. Wurmius, üb. d. Zeitbestimmungen im Leben des Ap. Paulus, in Tüb. Zeitschft f. Theol. etc. 1833, 1, p. 1 sqq. Praeterea allegari vidi Tob. Dornecrellii chronol. evang.-apost. etc. Hamb. 1639, fol., Hier. Sim. van Alphenii dissertt. varias ad histor. Pauli, Trai. ad Rhen. 1717. 18, 4. Sal. van Tilii Acta App. ad annales revocata, in eius diss. theoll. philoll., Lugd. Bat. 1719, 4., et Guldbergii l.: Tidsbestemmelse af det N. T. Boger; quorum scriptorum usum facere mihi non licuit. — Ceterum quum Baronius *annos p. C. n.* a Ian. a. U. C. 752., Hugius (cum Hemsenio) a Febr. a. 753., L. Cappellus a Ian. a. 755., Süskindius a Martio a. 757. numeret, eas, quas hi proferunt, temporum definitiones ad *epocham Dionysianam* (ex qua a. 1. a Ian. a. 754. inchoatur) revocavimus. Neque *annos U. C.* (in quibus constituendis Varronis rationem secuti sumus) cum Süskindio a *Palilibus*, sed a *Kalendis Ianuar.* duximus.

CAP. I.

DE ANNO,

QUO IESUS IN COELUM ADSCENDERIT.

(ACT. I, 1—11.)

Initium narrandi in tradendis rebus ab Apostolis gestis Lucas ab *eo* fecit *anno* a), *quo Iesus*, postquam supplicio affectus et in vitam reversus est, *ex his terris discessit.* Cuius anni indagatio quia arctissime cohaeret cum quaestione ea, quae est de *intervallo muneris Christi* et de *eo, quo ille in publicum progressus sit, tempore,* neque vero de his omnibus recte iudicari potest, nisi antea de *eo, quo natus sit*, anno dispexerimus: primum omnium id agamus, ut huic rei luminis, quantum fieri potest, affundatur.

---

a) De hoc anno, quippe qui ultimus vitae Iesu fuerit, innumeri scripserunt. Ac praeter eos, qui chronologiam vel historiam ecclesiasticam universam magnamve eius partem complexi sunt, et qui de Christi vita egerunt, fere omnes, et plerosque eorum, quos de Actorum rationibus chronologicis verba fecisse diximus, singulatim scripserunt Dion. Petavius, de anno et die dominicae passionis, in adnott. ad Epiphan. (Colon. 1682, fol. p. 142—212.), Gerh. Io. Vossius in diss. gemina, una de I. C. genealogia, altera de annis, quibus natus, baptizatus, mortuus, Amstel. 1643, 4., recus. in eius tractatt. theoll. Amst. 1701, fol. p. 49 sqq., Fr. Leuera, de invicta veritate anni, mensis et diei passionis I. C. eiusque nativitatis ex vett. patrum traditionibus totiusque Ecclesiae praeceptis, demonstrationibus aequinoctiorum, pleniluniorum et feriarum certissime comprobata, Rom. 1668, 4., Wilh. Langius, de annis Christi ll. 2, Lugd. Bat. 1649, 4. l. II., part. 2., Lahode, commentat. de die et anno ultimi paschatis Christi, Halae 1749, 4., N. Mann, true years of the birth and death of Christ, Lond. 1752, 8., Dominic. de Linbrun, Versuch eines neuen chronol. Systems üb. d. Sterbejahr I. C., tom. VI. operis: Abhandll. d. churbaierschen Acad. d. Wissenschaften, Monachii 1769, 4., Sanclementius in exercit. chronol. de anno dominicae passionis, adnexa eius operi de vulgaris aerae emendatione (ll. IV, Romae 1793, fol.), quem maximam partem Idelerus sequitur (Handb. d. Chronol. Berol. 1826, 8. tom. II. p. 413 sqq.), Paulus in comm. in N. T. tom. III. p. 784—807. ed. 2., Io. Fr. Wurmius in commentatione: astronom. Beitraege zur genaeherten Bestimmung des Geburts- und Todesjahrs Jesu, in Bengelii Archiv für Theologie und ihre neueste Litt. II, 1, p. 1—39., 2, p. 261—313. b) De huius rei veritate Hasius V. S. V. dubitavit (Leben Iesu p. 40.), quia, quum omnis Matthaei de Iesu infante narratio mythicum prae se ferat ingenium, hic quoque fatorum Iesu et Herodis nexus nonnisi mytho quodam inter populum vulgato nitatur. Sed tantus est eorum,

Natum esse Iesum regnante Herode Magno, Matthaeus indicavit (2, 1.). Qui quando regnum obtinere coeperit, certo scimus; quando sit fato functus, ambigitur. Regio eum nomine insignitum esse, Iosephus narrat, Antonio et Octaviano auctoribus, eo Olympiadis 184 anno, quo Cn. Domitius Calvinus II. et C. Asinius Pollio consulatu functi sint [c]), id est, U. C. (sec. Varr.) 714, cuius aestate ea, quam dixi, Olympias ad finem perducta est [d]). Sicuti igitur Herodes post primum huius anni semestre rex creatus esse non potest, ita neque statim ab eius principio factum illud existimandum est. Octavianus enim sub anni initium e Gallia redux bellum etiamnum cum Antonio gessit, quocum mortua demum Fulvia, Antonii uxore, in gratiam rediit [e]). Quod quum e rerum gestarum serie iam Martio mense vel Aprili fieri potuerit (vulgata enim est Fulviae mors, quum Octavianus ineunte anno Perusiam aliaque Italiae loca cepisset): apparet, Herodem intra Martium fere atque Iulium regio esse nomine ornatum [f]). Nec tamen regnare coepit ante caedem Antigoni, filii Aristobuli, qui regis Hyrcani frater fuit; quae quidem facta est paulo postquam Hierosolyma Agrippa et Caninio Gallo Coss., mense tertio, i. e. Iunio vel Iulio anni U. C. 717, ab Herode ipso et Sosio expugnata erant [g]). Quamobrem *Herodem*, quum anno, post-

---

de iisdem Iosephus refert, consensus, quantus, si tota narratio ficta esset, ab homine historiarum ignaro, qui, omni rerum statu mutato, post longum demum intervallum scripsit, exspectari nullo modo posset. Huc pertinent *Herodis dolus et crudelitas*, parentum Iesu *in Aegyptum fuga*, quae proxima erat terra Herodis regno non subiecta; *Iosephi*, Iesu patris, *de Herodis successore ignorantia* (Mt. 2, 22: *ἀκούσας δὲ, ὅτι Ἀρχ. βασιλεύει*): Antipae enim regnum Iudaeae cessisse, putare facile poterat, mutati ab Herode paucissimis ante mortem diebus testamenti nescius (Ios. Ant. 17, 8, 1.); *transitus* parentum Iesu *in Galilaeam* Archelao non subiectam, alia. *c*) Ant. 14, 14, 5. *d*) Ludi enim Olympici, Olympiadum termini, primo post solstitium aestivum plenilunio, interdum fortasse eo, quod solstitio antecedebat, celebrabantur, cf. Idelerus Handb. d. Chronol. 1, p. 366. *e*) V. Dio Cassius 48, 28. coll. 14. 15. *f*) Itaque non opus est, ut cum Paulo, comm. 1 p. 210, eam rem non ita multo ante VII Idus Iulias, vel cum Whistono (short view of the chronology of the old testament, and of the harmony of the four evangelists, Cantbr. 1702, 4. p. 150.) medio demum Iulio contigisse existimemus; multo magis a veritate aberraverunt Uhlandus (in diss. historico—chronol., Christum anno ante aeram vulg IV. exeunte natum esse, Tub. 1775. p. 11.), qui illam ante Sept. accidisse negat, Norisius (in cenotaphiis Pisanis p. 137 sqq.), et Pagius (in apparatu chronol. ad annales Baronii), qui Septembri vel Octobri, Sam. Basnagius (in annall. polit. ecclesiasticis, vol. I. p. 17, n. 16.), qui fini Octobris vel initio Novembris, et P. Allixius (de I. C. anno et mense natali, p. 75.), qui anno 714 exeunti tribuit. *g*) Ios. Ant. 14, 16, 4. — Usserius mensem tertium non anni ecclesiastici, a Nisano, qui circa aequinoctium vernum agebatur, ducti, sed civilis, qui a Tisrio, circa aequinoctium auctumnale posito, initium capiebat, dictum esse putavit. Verum quum Iosephus B. I. 1, 17, 8. coll. 18, 2. obsidium hieme exeunte inchoatum, urbem post quinque menses captam esse doceat, tertium anni ecclesiastici mensem intelligendum esse apparet. Monendum praeterea, secundum Dionem hanc Hierosolymorum cladem Claudio et Norbano Coss., U. C. 716., accidisse (lib. 49., c. 22.). Sed Iosepho maior in rebus ad patriam spectantibus fides habenda est; accedit, quod auctor Iudaicus eum annum sabbaticum fuisse obiter commemoravit (Ant. 14, 16, 2. 15, 1, 2.), quam notam nonnisi ei competere spatio, quod est inter auctumnum anni 716 eamdemque

quam rex creatus fuerat, tricesimo septimo, postquam Antigonus occiderat, tricesimo quarto mortuum esse Flavius tradat h), *anno U. C.* 751 *decessisse*, viri docti haud pauci statuerunt i). At gravissima sunt argumenta, quae nos movent, ut cum iis faciamus, qui *Herodis obitum in annum antecedentem transferunt* k). Primum enim *Herodes Antipas*, Herodis M. filius, patre mortuo, Galilaeae et Peraeae tetrarcha constitutus, anno, uti Norisius l) invictis demonstravit argumentis, 792 U. C. sub auctumnum a C. Caesare Lugdunum relegatus est m), postquam tertium certe et quadragesimum regni annum attigerat n). *Archelaus* vero post Herodis obitum Iudaeae ethnarcha creatus, quum nonum regni annum explevisset o), consulibus, uti Dio testatur p), M. Aemilio Lepido, L. Arruntio, U. C. 759, ab Augusto Viennam in exsilium missus est q). Itaque quum horum neuter serius anno 750 ad principatum accesserit: neque Herodem serius mortuum esse luculenter apparet. Egregie praeterea huius rei veritatem comprobat *lunae eclipsis*, quam paulo ante Herodis decessum accidisse legimus. De quo argumento ut rectius possit iudicari, res paulo altius repetenda est. Herodes quum Antipatrum, filium natu maiorem, vitae suae insidiari cognovisset, Romam misit, qui Augustum ea de re certiorem facerent. A quibus ubi acceperat, Caesarem ipsius arbitrio relinquere, quid de filio statui vellet, Antipatrum quinto, antequam ipse moreretur, die capitis supplicio affecit r). Accidit vero, ut, dum legati Romae versabantur, rex morbo gravissimo laborare inciperet; quem quum letalem esse appareret, Iudas quidam Sariphaei et Matthias Margalothi filii, magistri Iudaici, iuvenes nonnullos permoverunt, ut, quam Herodes maiori templi portae imposuerat, aquilam auream deiicerent; cuius rei perpetrandae maius etiam hoc accessit invitamentum, quod regem vel mortuum esse, vel animam certe agere fama tulerat. Comperto facinore, quum rex eius auctores comburi iussisset, ἡ σελήνη, uti Iosephus ait, τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλιπε s). Quae quidem omnia si quis duorum fere

---

anni 717 aetatem, infra demonstrabitur. *h*) Ant. 17, 8, 1. B. I. 1, 33, 8. *i*) V. g. Bengelius ord. temp. p. 220 sq.; Paulus comment. I, p. 211. 212.; Süskindius l. l. I., §. 12. p. 198—212.; Winerus in bibl. Rw. s. v. Iesus, alii. *k*) V. g. Petavius ad Epiphan. p. 127. D. t. XI, 1.; Norisius in cenot. Pis. diss. 2., qu. 1, et quos ille in epistola de nummo Herodis Antipae scripta, p. 664, laudavit; Tillemontius, mém. I, 1, p. 194; P. Allixius in diss. laudata; Idelerus II. 390—393.; Münterus in l. d. Stern d. Weisen; Hasius in l. d. Leben Iesu, p. 40. Dubii haerent inter a. 750 et 751 Lardnerus fid. hist ev. I, 2, in appendice, p. 798 vers. germ.; Meyerus in l. Versuch einer Vertheidigung etc., p. 186.; Wurmius l. l. I, p. 38. *l*) In doctissima epistola ad P. Antonium Pagium de nummo Herodis Antipae, opp. tom. II. p. 646—665. *m*) Ios. Ant. 18, 7, 1. 2. *n*) Tres enim supersunt huius tetrarchae numi inscripti: *ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ L. ΜΓ.*, quae signa regni eius annum 43 denotant. Vaillantius et Gallandus in aliis numis litteras *ΜΔ.* se vidisse contenderunt, qui utrum recte legerint, summo cum iure dubitatur; cf. Eckhelius, doctr. numorum vett III, p. 486—489, Sanclementius, de vulg. aerae emendatione, l. III, c. 1. *o*) Ios. Ant. 17, 13, 2. coll. de vita sua libello, §. 1. decennium, B. I. 2, 7, 3. novem principatus annos Archelao tribuit; unde recte concluditur, illum annos novem integros reguasse, decimo in exsilium missum esse. Cf. Lardnerus l. l. I, 2. app. p. 791. *p*) Dio 55, 27. *q*) Ios. ll. ll. *r*) Ios. Ant. l. 17, c. 5. l. 7, c. 8, §. 1. B. I. 1, 32. 33, 7. 8. *s*) Ant. 17, 6,

vel trium mensium intervallo acta esse existimaverit, non ille, credo, multum a vero aberraverit, praesertim quum legati iter Romam maturasse dicantur. Iam vero *Herodes non ita multo ante pascha*, quod festum Martio exeunte vel Aprili mense celebrari solebat, *diem supremum obiit.* Nam quum Archelaus post septem dierum luctum et convivium populo exhibitum in eo esset, ut Romam ad Augustum properaret, nonnulli Matthiae eiusque sociorum amici tumultum excitarunt, quem ut compesceret Archelaus, milites delegavit, qui *ipso azymorum festo* circiter tria hominum millia occiderunt. Sicuti igitur *mors Herodis*, ita et *lunae eclipsis brevi ante pascha contigit.* Iam quoniam per totum illud, de quo ambigitur, biennium nonnisi *semel* luna defecit, *ea* videlicet *nocte*, *quae erat inter diem Martii XII et XIII anni U. C. 750* v), *hunc annum Herodis ultimum fuisse*, quis est quin videat? Quod quum certissimum sit, superest, ut explicetur, quid sit, quod Iosephus eius regno annos 37 et 34, non 36 et 33 tribuerit. Ac plurimi quidem, eum Iudaeorum consuetudinem secutum esse, putant, qua regum Israëliticorum tempora a Nisano ita sint numerata, ut, si quis vel unum diem ante vel post huius mensis Kalendas regnasset, unus ille dies instar anni integri habitus sit x); dies igitur illos paucissimos, quos Herodem post Nisani initium, cuius die XIV pascha agebatur, vixisse probabile est, pro anno tricesimo septimo vel quarto computavisse y). Ac licet concedere oporteat, Iosephum aliquando vel unum diem post annum plenum pro anno integro sumere z), illud, quod dicunt de consuetudine, qua regum anni a Nisano incepti sint, vix huc pertinet. Nam praeterquam quod rabbini, huius moris testes, non videntur verba fecisse nisi de ea ratione, qua in *scriptura sacra* regum Israëliticorum tempora numerari opinantur a): *Iosephum* ab eo compu-

---

1—4. B. I. 1, 33, 1—4. t) Ant. 17, 8, 4. 9, 1—3. B. I. 2, 1. — Minus recte Usserius (ad a. IV. a. C. n.), Whistonus (short view etc. propos. 12.), quibuscum Norisius facit, (de nummo Herodis Antipae p. 654.) Herodem die Nov. 25 obiisse putant, quia in vetere Hebraeorum libro, מגלת תענית inscripto, eius mors septimo Cislevi mensis diei assignatur. Megillae an Iosepho maior sit fides habenda, in aprico est. v) Secundum Idelerum (II, 392.) ea eclipsis sub meridiano Hierosolymitano ab hora post mediam noctem 1, min. 48 ad hor. 4, min. 12 temp. veri duravit. x) Gemara bab. tract. ראש השנה c. 1. fol. 3. p. 1., ed. Amstelod.: אין מונין להם למלכים אלא מניסן „non numerant in regibus nisi a Nisano," (i e. regum annos nonnisi a Nisano numerant); deinde, nonnullis scripturae sacrae locis, unde hoc comprobetur, interiectis, ita pergitur: אמר ר׳ חסדא לא שנו אלא למלכי ישראל: „dixit R. Chasda: hoc non docent nisi de regibus Israëlitarum." Ibid. fol. 2. p. 2.: ניסן ראש השנה למלכים ויום אחד בשנה חשוב שנה: „Nisanus initium anni regibus; ac dies quidem unus in anno (videl. post Kalendas Nisani) instar anni computatur." Ibid. יום אחד בסוף שנה חשוב שנה: „unus dies in anni fine pro anno numeratur." y) Cf. Lardnerus l. l. I, 2., in appendice, p. 794. z) Cf. Ant. 14, 16, 4. coll. 14, 4, 3. Quorum locorum altero Iosephus Hierosolyma a Pompeio capta esse refert C. Antonio, M. Tullio Cicerone Coss., i. e. U. C. 691, mense tertio, ieiunii die; altero eamdem urbi cladem a Sosio et Herode accidisse tradit Coss. M. Agrippa et Caninio Gallo, U C. 717, mense ac die eodem. Annos vero inter utramque rem intercessisse ait *viginti septem*, quum non interessent nisi *viginti sex cum die uno.* a) Cf. quae

tandi modo alienum fuisse, dubio caret [b]). Qua de causa equidem sic statuo, ideo Herodi 37 ab hoc auctore annos datos esse, quod ille paucis diebus post *expletum* regni annum 36 vixit, regium nomen a Romanis *ante* eum diem nactus, quo deinde obiit; quod vero annos 34 attinet, Flavium, quoniam utrumque regni principium triennio fere distabat [c]), facili errore eum posuisse annorum numerum, qui triennio minor esset, quam numerus 37 [d]).

Ex his vero omnibus licet certum sit, Iesum ante pascha anni U. C. 750 natum esse, hoc tamen ex iis, quae nunc quidem nobis sunt, subsidiis nondum potuit enucleari, *quanto ante tempore lucem adspexerit*. Quaecunque enim argumenta vulgo prolata sunt ad ipsum Iesu nati annum definiendum, ea quum et ambigua sint et falsa, petita quippe a tempore, quo magorum stellam apparuisse putant [e]); a biennio, quod inter Iesu origines et caedem infantium bethlehemiticorum intercessisse existimant [f]); a censu, quem Augustus ante Herodis mortem

---

paulo infra de ea re dicentur. *b*) Claudius Caesar, teste Iosepho, *τῆς ἀρχῆς δωδέκατον ἔτος πεπληρωκώς*, i. e. paulo post diem Ianuarii 24 anni a. D. 53, Agrippam II nonnullis donavit terris, Chalcide, quam per quadriennium, i. e. *ab anno* 49, tenuerat, ei ablata [Ant. 20, 7, 1.], (cui non repugnat, quod Flavius alibi [Ant. 20, 5, 2.] narrat, hanc regionem Agrippae datam esse post Herodis, Chalcidis dynastae, mortem, quae anno Claudii octavo, *a. D.* 48, acciderat). Quo tempore bellum Iudaicum exarsit, Neronis anno XII (Ant. 20, 11, 2. B. I. 2, 14, 4.), triennio antequam Vitellius rerum potitus est (B. I. 4, 9, 12. coll. 10, 1.), i. e. a. 66 a. D., Artemisio sive Iiaro, qui primus est post Nisanum mensis, Agrippae regni annus decimus septimus agebatur (B. I. I. 1.). Cuius tempora si a *Nisano* anni 49 deducta essent, annus decimus septimus iam ineunte Nisano, eoque magis Iiaro anni 66 praeterlapsus fuisset. *c*) Ant. 14, 15, 14. B. I. 1, 17, 8. *d*) Neque a veri specie abhorrere videtur, si quis Iosephum ab initio obsidionis Hierosolymitanae, quae debellandi et occidendi Antigoni primaria causa fuit, numerasse putaverit; huic enim ipsi epochae scriptor momenti aliquid tribuit, et in archaeologia (14, 15, 14.) et in libris de B. I. 1, 17, 8) disertis verbis commemorans, Herodem annum egisse tertium post acceptum regium nomen, quum ad bellum urbi sanctae inferendum se accinxisset. *e*) Matth. 2, 1 sqq. Hoc sidus *coniunctos* fuisse *planetas Iovis et Saturni*, post Keplerum (de I. C. vero anno natalitio, Fcfti 1606. — de vero anno, quo aeternus Dei filius humanam naturam in utero b. virg. Mariae assumpserit, Fcfti 1614, 4.), ex cuius sententia *Mars* quoque et stella, quales praeter ordinem interdum apparent, accessit, Idelerus (l. l. II, 399—410) et Münterus (der Stern der Weisen. Untersuchungen über d. Geburtsjahr C. Havniae 1827, 8) existimarunt. Iam quum Iupiter et Saturnus a. U. C. 747 ter (20 Maii, 27 Oct. 12 Nov.) proxime a se abfuerint, anno vero 748 ad has stellas, quamquam extremo iam occidente vix amplius conspicuas, Mars accesserit, Keplerus quidem hoc ipso tempore, Idelerus et Münterus anno 747 Iesum natum esse concluserunt. Quae quidem coniectura, quamquam admodum ingeniosa, tamen, quia nihil nisi *coniectura* est, non potest quicquam ad certam anni Iesu natalis definitionem conferre. *f*) Mt. 2, 16. Ex hoc loco et patres et recentiores haud pauci Iesum, quum Herodes infantes Bethlehemiticos occideret, bimulum fuisse coniecerunt, unde vario modo, quatenus infantes illos vel diutius, vel minus diu ante regis decessum interfectos esse putarunt, Iesum duobus, (Erasm. Schmid. ad h. l.), tribus, (Lardnerus fid. hist. ev. 1, 2, p. 631 sq.) quatuor, (Epiphan. haer. 51, 9. Sulp. Sev. H. E. II, 27.), ac quinque adeo annis (Niceph. H. E. 1, 13, 14.) ante Herodis obitum natum esse statuerunt. Sed biennium illud a prima potius stellae apparitione, quam a die Iesu natali computandum esse (Mt. 2, 7. coll. 16.), recte iam Sca-

in Iudaea haberi iusserit g); vel a singulari quadam Matthaei et Lucae de Iesu prima aetate narrationum conciliatione h), vel ab ecclesiastica denique traditione i): talia igitur quum sint argumenta illa, facile apparet, maxime etiamnum fluctuare nostram de vero Iesu nati tempore cognitionem. Multo autem minus de *anni tempestate*, et de *mense* et de *die, quo Iesus natus sit,* constat; etenim quum ii, qui suam quandam de ea re sententiam probare conati sunt, argumentis usi sint ductis a tempore illo, quo greges sub dio commorari potue-

---

liger monuit (emendat. temp. VI, p. 254 sq. ed. 1.). g) Luc. 2, 1. 2. Quirinum Augusto imperante in Syria et Iudaea censum egisse, postquam Archelaus relegatus erat, id quod novem amplius annis post Herodis mortem accidit, ex Iosepho constat (Ant. 17, 13, 5. 18, 1, 1.). Quo tempore quum Iesum decem certe annos natum esse oporteret, alii aliter Lucae narrationem historiarum veritati accommodare studuerunt. De his conatibus, quos exponere non est huius loci, cf. Sam. Deylingium obss. ss. part. II, p. 326. Spanhemium dub. ev. II, 3—9. Wolfium in curis ad l. l. Thomam Ittigium hist. eccl. sec. 1. sell. capp. p. 334 — 337. Lardnerum fid. hist. ev. I, 2, p. 449 sqq. Kuinoelium et Paulum in comm. ad l. l. Winerum in l. bibl. Realwtb. s. v. Quirinus, Münterum l. l. Qui quidem conatus quum legibus vel grammaticis vel criticis vim inferant, vel cum historiis adeo pugnent, id quod Ammonius V. S. V. (comm. de censu Quirini, Erl. 1810, 4. bibl. Theol. II, p. 271), Thiessius (crit. Comm. II, 385.), Winerus (bibl. Realw. s. v. Quirinus), demonstraverunt, non possumus, quin cum his viris doctis et cum Anonymo (in Wineri et Engelhardi krit. Journ. V, 160 — 164.) vel Lucam ipsum, vel eum, a quo haec derivavit, nostro loco memoria lapsum esse statuamus. h) A Storrio enim (diss. II. ad librorum N. T. historicorum aliq. locos, in opuscc. academicis vol. III, p. 96 — 101.) et Süskindio l. l. I, p. 216 — 225, acute defensa est ea sententia, qua Iesus post reditum ex Aegypto in templum latus dicitur, ut Deo sisteretur, ita ut inter origines Christi et reditum ex Aegypto, qui Archelao regnante contigit, dies nonnisi XL interpositi fuerint; quae quidem sententia etiam van Tilii fuit (diss. de anno, mense et die nati I. C.). Sed quicunque sine praeiudicata opinione ad comparationem utriusque narrationis accesserit, is verba Mt. 2, 22.: *ἀκούσας δὲ (Ἰωσὴφ), ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας, ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν*, isti conciliationis modo contradicere intelliget. At neque eam viam, quam cum plerisque Paulus (comm. 1, 181.) ingressus est, qua, quae Lucas cap. 2, v. 1 — 39. narravit, ante magorum adventum facta existimantur, sequi licet, quia locus Luc. 2, 39. nos de itinere post profectionem Hierosolymitanam in Aegyptum facto cogitare vetat. Iam quum multo contortiora sint ea, quae alii proposuerunt, conciliationis experimenta: ingenue fatendum est, discrepare Lucam a Matthaeo, neque ullum ex coniuncta utriusque evangelistae traditione ad chronologiam emolumentum emergere. i) Patres plerique Iesu natalem anno Augusti 41 (Irenaeus haer. 3, 22., Tertull. adv. Iud. c. 8.), vel 42 (Clemens Al. p. 147. [quamquam is quidem, ex Alexandrina Augusti annos numerandi consuetudine, 28 dixit], Euseb. H. E. 1, 5, Epiphan. haer. 51, 22.), i. e. 751 vel 752 U. C. tribuerunt; Sulpicius Severus (2, 27.) anno 750. Dionysii Exigui sententiam, qua Iesus anno 754 (non 753, uti Petavio, Doctr. tempp. [ed. Paris. 1627, II tomm. f.] XII, 2. aliisque visum, cf. Idelerus II, 381 sqq.) natus putatur, ecclesia occidentalis recepit, viri docti plurimi probaverunt, argumentis stabilire conatus est Henr. Harvillaeus, Franciscanus (laud. Spanhemio, dub. ev. II, 1, p. 27.), ac nuper demum omnium maxime verisimilem esse Hasius (Leben Iesu p. 40.) censuit. — Praeterea veterum multorum haec fuit sententia, universalem, quum Christus nasceretur, in orbe pacem obtinuisse, unde non defuerunt, qui annum Iesu natalem eruere studerent, quos Io. Massonus refutavit in libro: templum Iani nascente Christo reseratum, Roterod. 1700, 8.

rint *k*), quove classis Abiae sacrificandi functa sit officio *l*), vel traditione ecclesiastica *m*): profecto illi nihil protulerunt, quod ad istam quaestionem solvendam alicuius sit utilitatis.

Haec igitur omnia quum ita fluctuent, ut mirari non liceat, quod, qui talibus usi sunt argumentis, diversissimas attulerunt opiniones de anno, mense ac die Iesu natali *n*), nec insuper ulla inveniendi veri natalium Iesu temporis facultas data sit: *acquiescendum esse* arbitror *in ea sententia, qua Christus post principium anni U. C. 750 natus esse negatur.*

Sequitur, ut de *initiis muneris Christi* pauca dicamus. Ac prodiit quidem Iesus in publicum, postquam sacra ab Ioanne unda lotus erat; qui quum baptizare coeperit *anno imperii Tiberiani*

---

k) Luc. 2, 8. Loci quidem talmudici a Lightfooto ad h. l. collecti greges circa paschatis tempus agi in campos, reduci versus Octobrem, demonstrant; sed negari nequit, in iis Palaestinae regionibus, ubi mitior est coeli temperies, pecora vel hieme sub dio versari posse; cf. Süskind. l. l. I, p. 215 sq. *l*) Luc. 1, 5. Scaliger (in appendice ad editionem secundam operis de emendat. temp. scripti, et l. III. canonum isagogicorum p. 303—305. ed. Amst. 1656.), quum primam sacerdotum classem, quo tempore templum a Iuda Maccabaeo purgatum est (25 Cislevi die anni 589 U. C., cf. 1 Macc. 4, 52.), officio functam esse putaret, classem Abiae, quae octava erat (1 Chron. 24, 10.). anno U. C 750, quo Ioannem conceptum esse credebat, intra dies Iulii 22 et 28 ministerio satisfecisse invenit; qua de causa Ioannem Martio, Iesum Octobri exeunte anni sequentis natos esse conclusit: non ille reputans, classis primae ministerium diei templi purgati nonnisi e coniectura assignari. Alii vero (v. g. Sal. van Til, diss. de anno, mense et die nati I. C. Lond. 1714. I. A. Bengelius, ord. temp p. 230 sqq.), Iudaeorum traditionem secuti, ex qua, quum templum secundum dirueretur (Loi vel Abi die IX, secundum rabbinos, X, secundum Iosephum, B. I. 6, 4, 5.), classis Ioiaribi, quae prima erat, rem sacram fecit, ab hoc inde termino retro numerantes, quando classis Abiae eo anno, quem Ioannis conceptioni tribuerunt, munere functa fuerit, enucleare studuerunt; quorum tamen alter ab altero in constituendis Ioannis Iesuque mensibus natalibus discrepat, cff. Thom. Ittigius, H. E. sec. 1. sell. capp. 7, 1, 4., Wolf. in curis ad Luc. 2, 2., Paulus in comment. ad Luc. 1, 5. Nec mirum; nam si vel accuratissime, quando circa illud tempus Abiae classis sacrificaverit, sciremus, quid tandem, antequam de annis, quibus conceptus Ioannes, et Iesus natus est, constat, inde lucrari possemus? — *Veterum* duplex erat de tempore ministerii Zachariae opinio: altera Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, Dionysii Exigui (v. Petav. Doctr. tempp., ed. Paris. 1627, II, p 418.), qui, Ioannis patrem summum pontificem fuisse rati, expiationis die (X Tisrii) muneri satisfecisse putarunt; altera auctoris chronici Alexandrini (ed. Raderi 1724, p. 466, 468 cll. 478, 480.), qui illum primo scenopegiae die festo (Tisrii XV) officio functum esse credidit; unde utrique, Iesum mense Decembri, eiusque adeo die XXV, natum esse concluserunt. *m*) *Alexandrini* antiquissimis iam temporibus Iesu origines nunc XXV mensis Pachon, nunc XXIV vel XXV Pharmuthii diebus assignarunt; *Asiani*, *Syri* (Epiphan. haeres. 51.), ac serius *Aegyptii* quoque (Cassian. collat. 10, c. 11.) diem Ianuarii VI posuerunt; *Latinorum* antiqua traditio, quae Iesum die Dec. XXV natum esse docet, sec. V. ab ecclesia Graeca recepta et a multis viris doctis non solum non improbata, verum adeo defensa est. *n*) V. Spanhemii dub ev. II, 12—15, Wildeshausenium in bibl. disputationum, Wolfium in curis ad Luc. 2, 2., I. A. Fabricii bibl. antiq. ed. III, p. 256 sqq., Petavium ad Epiphan. haeresim LI., Wernsdorfium in programmate inscripto: novissimorum de anno nati Christi conatuum examen, Vitbg. 1776, 4., Pritium introd. in lect. N. T., c. 36, p. 475—496. Eorum, qui de Iesu anno, mense et die natali scripserunt, catalogum post alios Hasius

decimo quinto (Luc. 3, 1.), *Iesum non ante hunc annum ad munus obeundum initiatum fuisse* intelligitur. Disceptatum vero est inter viros doctos *tum* de *anno*, *tum* de *die* eo, unde evangelista annos istos quindecim duxerit. Ac quamquam maxime cum rei natura convenit, ut ab eo anno scriptorem nostrum computandi initium fecisse existimemus, quo Tiberius post Augusti obitum solus imperare coepit (U. C. 767, aerae Dion. 14 o)); tamen non defuerunt, qui eius anni rationem habitam esse contenderent, quo ille ab Augusto in imperii societatem sit receptus p). Tradit enim Velleius Paterculus q), „senatum populumque Romanum postulante patre eius (Tiberii), ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam esset ipsi, decreto complexum"; Suetonius r), legem per Consules latam, ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret," refert; Tacitus s), „collegam imperii, consortem tribuniciae potestatis adsumtum, omnesque per exercitus ostentatum," docet. Quam rem, utpote quae facta sit paulo ante t), vel post v) Tiberii de Dalmatis et Pannoniis triumphum, qui a. d. XVII. Kal. Febr. x) a. U. C. 765 actus esse videtur y), vel huic anno, vel ei, qui antecessit, assignare solent z). Ab illo igitur imperii bipartiti tempore Tiberii

---

proposuit (Leb. Iesu p. 40—42.). o) Huic anno Augusti mortem Tiberiique initium competere, praeter alios Petavius, D. t. XI, 6, probavit. Quam Mercator (laud. Petavio l. c.), Blanchinius (in prolegomenis ad Anastasii vitas pontificum tom. II, teste Paulo, comm. III, p. 813.), Linbrunius (commentat. supra laudata), et secutus illum Schmidtius (Chronol. d. Ap.-Gesch. in Keilii et Tzschirneri analectis, III, 1, p. 140 sq.) foverunt opinionem, Augustum iam a. 13 decessisse, eam post Petavium (l. l.) doctissime Wurmius refutavit, (l. l. I. p. 12 sqq.). p) Ita Hervartus (in nova et emendata chronologia p. 248.), Usserius (ad a. M. 4015.), Io. Clericus (de annis vitae Christi), Prideaux (connex. V. et N. T. part. II, lib. IX, A. D. XII.), Ant. Pagius (diss. de periodo Graeco-Romana, p. XIII sqq., crit. in Baron. A. Chr. XI.), Blanchinius (opusc. 4. chronol. tom. II.), Marius Lupus (de notis chronologicis anni mortis et nativitatis I. C.); cff. Petav., D. t. XI, 7, Lardnerus I l. I, 2, c. 3. p. 657 sqq. vers. Germanicae, Paulus, comm. III, p. 788—793, Meyerus (Versuch einer Vertheidigung etc. p. 192.). q) 2, 21. r) Tib. 21. s) Ann. 1, 3. t) Ita Velleius l. l. v) Sic Suet. Tib. 20. 21. x) Secundum fastos Verrios laud Eckhelio, Doctr. num. VI, 186. y) Tradit enim Suetonius, Tiberium anno post cladem Varianam, quae U. C. 782 (cf. Dio 56, 18—24, cll. 1.) accidit, Germaniam repetiisse, ac biennio post, triumphum, quem distulerat, egisse (Tib. 17. 18. 20. 21.). z) *Principis* adeo nomine Tiberium iam tum insignitum esse, nonnulli inde concluserunt, quod Suetonio (Tib. 42.), et Plinio (H. N. 14, 22.) testibus L. Piso a Tiberio *iam principe* in ipsa publicorum morum correctione, (quam de lustro una cum Augusto condito intelligi volunt), praefectus urbi creatus est, quem Tacitus (Ann. 6, 11, cll. 1.) anno U. C. 785, „per viginti annos pariter probatum, publico funere celebratum" narrat. Sed nequaquam ex his locis, quod illi voluerunt, sequitur; nam partim anni viginti numerum efficiunt, quem rotundum vocamus, partim morum ista correctio ad ea potius spectat, quae Suetonius (Tib. 33.) his prodidit verbis: „Paullatim principem exseruit, praestititque — —. Ac primo eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. Itaque et constitutiones quasdam senatus rescidit," et quae reliqua sunt; „atque etiam" (sic scriptor pergit), „si qua in *publicis moribus* desidia aut mala consuetudine labarent, *corrigenda* suscepit (cf. Ernestus ad Suet. Tib. 42 not. b et d.). Ac quomodo, quaeso, biennio ante Augusti obitum princeps dici potuisset, qui illo demum mortuo „*litteras ad exercitus, tamquam adepto principatu* misit"? (Tac. Ann. 1, 7.).

annos a Luca numeratos esse, variis de causis censent. *Primum* enim Christum, si decimo quinto post Augusti mortem anno baptizatus esset, nimis iam excessisse annum vitae tricesimum putant, quam ut aetas ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν (Luc. 3, 23.) recte ei tribui potuisset. Verum ista quidem verba nequaquam obstare, quominus de XV post Octaviani decessum anno cogitemus, paulo infra videbimus. *Deinde* urgent, quod Lucas ἡγεμονίας, neque μοναρχίας vel βασιλείας vocabulo usus sit. Sed Tacitus quoque, Suetonius, Iosephus, Dio Cassius, alii Caesarum imperium ἡγεμονίαν, principatum vocant. *Porro*, quia in secundo Regum libro et in Hieremia Nabuchodonosori anni ab eo ducuntur tempore, quo ille cum patre regnare incepit, Lucam in Tiberii annis numerandis hanc rationem secutum esse verisimile ducunt. Ac si, quae in illis scriptoribus, et de Nabuchodonosoro valent, in Luca etiam, et de Tiberio valere opus sit! Gravissimam *denique* hanc afferunt causam, quod quum in reliquis provinciis, tum in Iudaea Tiberii tempora ab eo numerata sint anno, quo Augustus ei provinciarum curam demandaverat. Cuius quidem rei testes *primum* patres producunt haud paucos, qui Iesum, quem per biennium certe praeceptoris munere functum esse constat, Fufio et Rubellio Geminis Coss., i. e., XV post Octaviani mortem anno, iam supplicio affectum esse retulerunt [a]). Sed haec traditio, quia inde orta est, quod patres illi Iesum *uno eodemque anno* et progressum in publicum et mortuum esse posuerunt, quam nihil valeat ad rem comprobandam, quis est quin videat? *Deinde* ad Clementem Alexandrinum provocant, qui, Strom. l. I. p. 147, postquam imperatorum, qui ab Augusto ad Commodum usque fuerunt, annos secundum Alexandrinorum rationem (quamquam non ubique accurate) proposuerat, ideoque Augusto annos 43 [b]), Ti-

---

a) Ita Clemens Al. strom. I, p. 147., Tertullianus adv. Iud. c. 8., Origenes περὶ ἀρχῶν 4, 5., Africanus ap. Hieron. in Dan. c. 9., Lactantius inst. 4, 10. coll. de mortt. persecc. c. 2., fastorum consularium (ap. Graev. thes. XI, p 335 sq.) auctor, Sulp. Severus Hist. S. 2, 27., Augustinus de civ. Dei, 18, 54., de trin. 4, 5, fasti Idatiani (in Graevii thes. XI, p. 255), Prosper de praedictt et in chronico (in Graevii thes. XI, p. 284.), atque, ut videtur, Gaudentius (serm. I Dom Paschae, p. 249., ed. Brix. 1738.), et Philastrius haer. 106. b) Ita Clemens Al. l. l., postquam (p. 339.) Iesum anno Augusti 28 (ab Aegypto in provinciam redacta, secundum Alexandrinorum rationes), i. e. U. C. 752, natum esse docuit, sic pergit: ὅτι δὲ τοῦτ' ἀληθές ἐστιν, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῷ κατὰ Λουκᾶν γέγραπται οὕτως· ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος ἐγένετο ῥῆμα κυρίου ἐπὶ Ἰωάννην τὸν Ζαχαρίου υἱόν· καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ· ἦν δὲ Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν λ'. καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρῦξαι, καὶ τοῦτο γέγραπται οὕτως· ἐνιαυτὸν δεκτὸν κυρίου κηρύξαι ἀπέστειλέν με. τοῦτο καὶ ὁ προφήτης εἶπε καὶ τὸ εὐαγγέλιον. Πεντεκαιδεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου καὶ πεντεκαιδεκάτῳ Αὐγούστου· οὕτω πληροῦνται τὰ τριάκοντα ἔτη, ἕως οὗ ἔπαθεν. Quo loco quum tricesimus post Christi natalem, quem Clemens ponit, annus, i. e. U. C. 782, et baptismo et morti Iesu tribuatur, luce clarius est, Clementem h. l. de uno tantum Tiberii initio cogitasse. Cff. et Origenes, Gaudentius, Philastrius ll. ll. Quamquam vero negare non possumus, Origenem, sibimet ipsi repugnantem (c. Cels. 2, 12.), et Prosperum *biennium* Iesu muneri assignare, tamen illi duas potius diversas traditiones male compilasse, quam duplex Tiberii principium statuisse videantur.

berio 22 assignaverat [c]), eorumdem tempora ita describit, ut, quantum spatii inter imperatoris cuiusque initium et mortem intercesserit, definiat. Atque ibi quidem Augustum per annos 46, menses 4, diem unum, Tiberium per annos 26, m. 6, d. 19 rebus praefuisse docet. Sed primo tanta est toto hoc loco numerorum confusio, ut, ubi Clemens a reliquis scriptoribus differt, magna oriatur *erroris* suspicio; deinde, quod Tiberio imperii intervallum datur, maius est, quam quod inter initium regni bipartiti et Caesaris obitum intercedere potuerit; neque enim ille a. U. C. 763, sed 764 vel 765 demum communiter cum Augusto imperare coepit [d]). Quum vero praeterea nullum plane inveniatur vestigium, unde recte concludere liceat, in provinciis Tiberii annos a regni consortio deductos esse, nihil sane est, quo ista VV. DD. coniectura cuiquam sese commendet. At non omni solum caret probabilitate, sed disertis antiquitatis testimoniis repugnat. Neque enim *Alexandrini* modo, uti e Ptolemaei canone patet, licet principum tempora ab ea solerent aetate numerare, qua illi regni socii facti erant [e]), Tiberii tamen initium anno demum 14 a. D. assignarunt [f]); sed et Flavius *Iudaeus* eius imperium ab ultimo Augusti anno duxit [g]).

Quae quum ita sint, summo cum iure statuere nobis videmur, *Lucam Tiberii annos ab eo computasse tempore, quo ille solus ad imperium accessit.* — Sin de *die* quaeritur, unde evangelista Caesaris annos derivarit, alii eum consuetudinis *Romanae*, alii *Iudaicae* rationem habuisse putarunt [h]). Ac profecto, quamquam auctorem Iudaicum, qui, quae de rebus Iudaeorum tradidit, e Iudaicis hausit fontibus, Hebraeorum, quam Romanorum rationem secutum esse probabilius est: tamen, quia tum temporis magna intercessit Iudaeos inter et Romanos necessitudo, ad Romanorum morem respicere illum potuisse, non est, quod negemus. Iam *Romanos* Caesarum annos ab eo die duxisse constat, quo quisque imperare coepit [i]). Qua de causa, quum Augustus a. d. XIV Kal. Sept. [k]) anni p. C. n. 14 obierit, ideoque ab hoc ipso die Tiberii principatus initium ceperit: Lucas, si Romanos secutus est, XV Tiberii annum inter diem Augusti mensis XIX anni p. C. n. 28, et inter diem eumdem anni sequentis

---

c) Cf. can. Ptolemaei. *d*) Pagius (crit. in Baron. A. D. 11, n. 9.) hac de causa pro κς′ (26) κε′ (25) legi vult; quo quid potest esse magis arbitrarium? *e*) Cf. Idelerus I, 119. *f*) In hoc enim canone Augustus per annos 43 imperasse traditur; qui quidem anni, quia Alexandrini Octaviani tempora a Kalendis Thoth eius anni, quo Alexandria ab eo capta est (U. C. 724, a. C. n. 30, cf. Idelerus I. p. 153 sqq.) numerabant, ad annum usque 14 a. D. pertinent (cf. tabulam ab Idelero I, p. 148, propositam). *g*) Ant. 18, 4, 6. (coll. 6, 10. B. I. 2, 9, 5.). *h*) Nec defuerunt, qui, quia in traditione ecclesiastica Lucas Antiochenus, Theophilus, ad quem scripsit, Alexandrinus appellatur, evangelistam vel Antiochenorum, vel Alexandrinorum usum respexisse arbitrarentur (cf. Bengelius, ord. temp. p. 225 sq.). Ac quia Antiocheni ante Galbae aetatem, numis Tiberii et Neronis testibus (cf. Eckhel. Doct. numm. III, p. 276 sqq. 281.), consuetudinem Romanam secuti sunt, Alexandrini primum Tiberii annum a Kalendis Thoth anni p. C. n. 14, i. e. vel a die Augusti XX, si Thoth mobilem, vel a die eiusdem mensis XXIX, si Thoth fixum spectaveris, duxerunt; perinde fere esse apparet, utrum Lucam Romana an Antiochena, an vero Alexandrina consuetudine usum fuisse dicas. *i*) Cf. Dio 51, 1. cll. Suet. Vesp. 6. Tac. Hist. 2, 79 al.

posuit. Quod vero *Iudaeorum* attinet morem, trita est opinio, eaque hausta e talmude, istam gentem regum exterorum annos a *Tisrio*, qui Septembri nostro vel Octobri respondet, ita numerasse, ut, si quis vel uno ante Kalendas Tisrii die ad regnum evectus esset, dies ille unus pro integro censeretur anno †); unde non defuerunt, qui Lucam XV Tiberii annum a Tisrio anni p. C. n. 27 derivasse opinarentur, quia Iudaei spatium inter 19 Augusti diem et Kalendas Tisrii anni p. C. n. 14 pro primo Tiberii anno habuerint, a Tisrio inde secundum eius annum deduxerint *l*). Verum in talmude non proponi, nisi rabbinorum de ea ratione, qua in *scriptura sacra regum Persarum* anni numerati sint, coniecturas, inde apparet, quod illi, quatenus alius aliis V. Ti locis usus est, horum principum annos vel a *Tisrio* *m*), vel a *Nisano* *n*) ductos esse opinati sunt *o*). Inde quum nihil de ea consuetudine discamus, quae circa Apostolorum aetatem in imperatorum Romanorum temporibus numerandis valuit, ad optimum huius consuetudinis testem, Flavium Iosephum, provocandum est, utpote quem in libris de bello Iudaico scriptis, quos Hebraice in Iudaeorum gratiam editos serius demum Graece vertit *p*), rationem patriam adhibuisse, vel maxime est consentaneum. Qui quidem Iudaeorum seditionem *anno Neronis duodecimo*, mense Artemisio, qui Iiaro Hebraeorum *q*),

---

k) Suet. Oct. c. 100. †) V. not. m. *l*) Ita v. g. Sam. Petitus, eclog. chronol. I, 12. Bengelius ord. temp. ed. 1. p. 227 sq. *m*) Bab. fol. 3. p. 1. (cll. fol. 8, p. 1), ubi, postquam traditum est, Chasdam contendisse, regulam de annis regum a Nisano computatis nonnisi de regibus Israeliticis valere (v. supra dicta), ita pergitur: אבל למלכי אומות העולם מתשרי מנינן שנ׳ דברי נחמיה וגו׳: „quod vero reges gentium mundi (i. e. exterarum) attinet, a Tisrio numerant secundum quod dictum est: hae sunt res Nehemiae (Neh. 1, 1. 2, 1.) Altero enim loco (1, 1.) de Cislevo anni Artachsasthae vicesimi, altero (2, 1.) de Nisano eiusdem huius regis anni sermo est. Quodsi igitur, ita Chasda concludit, Nisanus Cislevum secutus non tribuitur anno regis sequenti, non a Nisano, sed a Tisrio huius principis tempora numerantur. *n*) Hier tract. ראש השנה, fol. 56, p. 1, rubr. 2. ed. Cracov.: ר׳ לעזר בשם ר׳ חנינה אף למלכי אומות העולם אין מונין אלא מניסן בשישי בשנת שתים לדריוש בשמיני בשנת שתים לדריוש לא נאמר בשמיני בשנת שלש: והכתיב ויהי בחדש ניסן שנת עשרים ויהי בחדש כסליו שנת עשרים תיפתר כר׳ אליעזר דר׳ אליעזר אמר כל שנת שלא נכנסו לה שלשים יום אין מונין אותה שנת שלימה וגו׳: „Rabbinus Lazarus nomine rabbini Chaninae: etiam quod attinet ad reges nationum exterarum, non numerant nisi a *Nisano*; v. g. *mense sexto anni secundi Darii* (Hagg. 1, 1.); *mense octavo anni secundi Darii* (Zach. 1, 1.): non dictum est: *octavo anni tertii*. Quod vero scriptum est: accidit mense Nisan anni XX, accidit mense Cislev anni XX (Neh. 1, 1. 2, 1.) secundum rabb. Elieser ita explicatur. Dicit scilicet rabb. Elieser: in quemcunque annum non intraverunt dies triginta, eum non numerant instar anni integri etc“ *o*) Quae de annis regum Israëliticorum a Nisano ductis in talmude traduntur, ea, quia arctissime nexa sunt cum iis, quae de anni principio regum exterorum docentur, scripturae sacrae in numerandis illorum annis consuetudinem spectare, recte conclusisse nobis videmur (cf. p. 9). *p*) B. I. prooem. §. 1. et l. 7, c. 11, §. 5. *q*) Nominibus Macedonicis menses Iudaicos a Iosepho designari, post Petavium et Norisium omni dubio Idelerus exemit (I, 400—402.) *Primum* enim ille in archaeologia nomina mensium Hebraicorum cum Macedonicis saepe comparat; *deinde* l. VI. de B. I. c. 4., §. 5 cll. §. 8. postquam templum *Loi die* 10 a Tito

Maio fere Romanorum respondet, ortam esse r), atque eodem huius imperatoris anno, die octavo mensis Dii, quem Marchesvanem Iudaei dicunt, nostro fere Octobri respondentem, Cestium Gallum, Syriae praesidem, a Iudaeis fusum fugatumque tradit s). Bellum Iudaicum triennio, antequam Vitellius imperium capessivit, anno igitur p. C. n. 66, initium cepit t); Nero a. d. III. Idus Octobres v) anni p. C. n. 54 x) imperium adeptus, ab hoc die anni 65 ad diem eumdem anni sequentis regni annum duodecimum egit. Iam si Flavius a Ianuario, vel Nisano, vel Tisrio diem Octobris decimum tertium antecedente Neronis tempora duxisset, Dium, utpote qui proximus sit post Tisrium, octavus a Nisano, decimus fere a Ianuario mensis, anno decimo tertio tribuisset. Quum vero loci B. I. l. 6, c. 4, §. 8. et c. 10. doceant, Iosephum nec a Ianuario, nec a Nisano Tisriove imperii exordia proxime sequente numerare y): nihil relinquitur, nisi ut eius illum temporis rationem habuisse credamus, quo Nero imperare coepit; quamquam ex populari quadam negligentia diem Marchesvanis octavum, qui isto anno, quia luna 7. Oct. vespera siluerat, 15 fere Octobris diei respondebat z), ad duodecimum Neronis annum, qui die Octobris 13 iam praeterlapsus erat, retulit, qui quidem error ideo facillime committi poterat, quia verus imperii natalis, in anno lunari vagus, vix ab homine Iudaeo accurate sciri poterat.

---

dirutum esse narraverat, hanc rem in eumdem incidisse diem addit, quo templum Salomonis a Nabuchodonosoro combustum sit, id quod sec. Hierem. (52, 12.) 10 *Abi die* factum est; *Panemi die* 17 iuge sacrificium cessasse refert (B. I. 6, 2, 1.), quod sec. misnam (Tract. תענית 4, 7. p. 382. tom. II. ed. Surenhus.) 17 *Tammuzii die* offerri desiit. Respondent autem ex Iosephi mente:

Nisan	(*Νισὰν*)	Xanthico, Ant. 1, 3, 3. 2, 14, 6. 3, 8, 4. 10, 5. 11, 4, 8.
Ijar	(*Ἰὰρ*)	Artemisio, 8, 3, 1.
Sivan		Daesio,
Tammuz		Panemo,
Ab	(*Σαββᾶ*, l. *Ἀββᾶ*)	Loo, 4, 4, 7.
Elul		Gorpiaeo,
Tisri	(*Θουρὶ*, l. *Θισρὶ*)	Hyperberetaeo, 8, 4, 1. 3, 10, 2.
Marchesvan	(*Μαρσουάνης*)	Dio, 1, 3, 3.
Cislev	(*Χασλεῦ*)	Apellaeo, 12, 7, 6.
Tebeth	(*Τεβέθος*)	Audynaeo, 11, 5, 4 (quamquam h. l. Iosephus minus recte Tebethum cum Apellaeo composuit. Melius interpres, qui pro Tebetho Caslevum legit).
Sebat		Peritio,
Adar	(*Ἄδαρος*)	Dystro, 4, 8, 49.

r) B. I. 2, 14, 4. s) Ibid. 2, 19, 9. t) Ibid. 4, 9, 12. cll. 10, 1. v) Suet. Claud. 45. Tac. Ann. 12, 69. x) M. Asinio M'. Acilio Coss. (Tac. Ann. 12, 64.). y) Templum, testibus his locis, 10 Loi (Augusti fere), urbs Hierosolymitana 8 Gorpiaei (fere Septembris) die, anno Vespasiani secundo, diruta est. Iam vero Flavius alio loco (Ant. 20, 10 fine), anno centesimo septimo p[illegible] Herodis initia (sc. postquam Antigonum occiderat, uti nexus docet; quae quidem res facta est mense tertio (Iunio fere) anni U. C. 717.), i. e. anno U. C. 823, p. C. n. 70, ista accidisse innuit. Vespasiani principatus a Kalendis Iuliis (Suet. Vesp. 6. Tac. Hist. 2, 79.) anni 69 ducitur. Cuius tempora si Iosephus vel a Tisrio, vel a Ianuario Nisanove sequente computasset, templi urbisque cladem in annum Vespasiani primum conferre debuisset. z) V. p. 33 sqq.

Hinc igitur quum appareat, eam fuisse Iudaeis consuetudinem, ut Caesarum annos ab ipso imperii initio (quamquam non semper accurate) derivarent (quae quidem ratio Antiochenorum quoque Iudaeis vicinorum ante Galbae tempora fuit) [a]: *Lucas, sive Romanorum, sive Iudaeorum morem secutus sit, annum Tiberii XV ab Augusto anni a. D. 28. ad eumdem anni sequentis mensem duxit.*

Ex his quamquam manifestum est, *Iesum ante auctumnum anni a. D. 28 docere non coepisse,* fluctuatur tamen in constituendo eo, quo revera primum docuerit, tempore. Cui quidem inveniendo quum quam maxime inservire existiment locum Luc. 3, 23. neque tamen in eo explicando consentiant Viri Docti, quid de eius loci sensu statuendum sit, paucis iam indagandum esse videtur.

Ac primum quidem, quod attinet ad verba *ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν*, *alii* addito vocabulo *ὡσεὶ* ipsum annum tricesimum [b], *alii* tempus aliquod hunc annum proxime antecedens [c], alii proxime consequens [d] innui putant, qui quidem et ipsi in diversas partes abeunt, vel de anno tricesimo primo, vel secundo, vel tertio [e] vel qui hunc etiam excedat [f], cogitantes. Quarum sententiarum quaeque uti cum Lucae verbis stare potest, ita nulla unice vera est. Evangelista enim adiecta vocula *ὡσεὶ* eum, quem posuit, numerum pro rotundo, quem dicimus, agnosci voluit. Iam quum istius numerorum generis haec sit ratio, ut v. g. circiter 3000 dicatur, quidquid ab hoc numero propius abest, quam a numeris 2000 et 4000; circiter 60, quidquid a numeris 70 et 50 longius, quam a numero 60 remotum est, cuius rei veritatem idoneis exemplis iam Keplerus [g] comprobavit: apparet, formula *ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν* eum designari, qui annis 25 maior, 35 minor est.

Quod sequitur verbum, *ἀρχόμενος*, nonnulli [h] cum verbis *ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν* ita coniungi voluerunt, ut sensus esset: *Iesus annum fere tricesimum incipiebat.* Quae explicandi ratio quia lin-

---

a) Cf. Eckhel. Doctr. numm. III, p. 276 sqq. 281. *b*) Ita Scaliger, Hackspanius, Starckius, laudati a Wolfio (in curis ad h. l.), quia hoc sensu voculam hebr. כ haud raro, particulam *ὡς* vel *ὡσεὶ* locis Io. 1, 14. Mt. 14, 5. Luc. 22, 44. inveniri credebant. *c*) Ita Bengelius ord. temp. p. 222., laudatis locis Luc. 9, 28. coll. Mt. 17, 1. et Io. 19, 14. (verbo *ἕκτῃ* in *τρίτῃ* mutato) coll. Marc. 15, 25. *d*) Sic Wetstenius ad h. l. allato loco Io. 6, 19. *e*) De anno 31 intelligunt Süskindius l. l. I, p. 213—216., qui eum, si quis annos 31 et 4 menses natus sit, *ὡσεὶ τρ. ἐτ.* recte dici negat; Vogelius, chronol. Stdpcte etc. in Gableri Journal. f. auserl. th. Litt. I, p. 246.; de anno 32 iam praeterlapso Basnagius, Ann. Pol. Eccl. ad a. ante a. D. 3., n. 6. p. a. D. 30, n. 4. laudante Lardnero p. 704. tom. I. Inter a. 32 et 33 fluctuant Allixius (laud. Wolfio ad h. l.) Lardnerus l. l. *f*) Ita Maknightius harmon. in IV. evang. tom. I, p. 133. Paulus comm. I, p. 256. — Varias interpretum de h. l. sententias collegerunt Kuinoelius ad h. l. et laudati ab eo Wolfius in curis, Koecherus in anal. ad l. l. Thiessius, krit. Comm. 2, 285 sqq. *g*) De anno C. natali c. 12, citante Lardnero, 1, 2. p. 705 sq. Exempla e Livio petita sunt, qui v. g. l. VI, c. 2. prope centum annos dicit (ac c. 28. simpliciter centum vocat), qui, monente Glareano ad h. l., plures sunt quam anni 110. Similes loci sunt Liv. I, 15. coll. 21.; V, 40. coll. 54 et Valesio ad V, 40. Recte et Io. 6, 19. confertur. *h*) Erasmus ad h. l. Lutherus in vers., alii.

quae Graecae usui repugnat — scribendum enim fuisset: ἔτους τριακοστοῦ — rectius alii ἀρχόμενος *absolute* positum, deque *principio muneris Christi* accipiendum esse statuerunt [i]). Huius enim rei initia per vocem ἀρχ. indicari, partim ex ipso Lucae consilio, de rebus a Iesu gestis sermonem faciendi, partim inde, quod narratio de Christi ad munus obeundum initiatione proxime antecedit, facile perspicitur.

Sin de *vinculo* quaeritur, quod inter vv. ἀρχόμενος ὢν et ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, intercedat, Paulus, quia Iesum a Luca dici potuisse negat ὄντα υἱὸν Ἰωσὴφ, ita ut quasi populi de Iesu origine opinio confirmaretur, ὢν cum ἀρχόμενος ita coniungit, ut haec ipsa vox a participio ὢν pendeat. Sed ea verborum connexio nullo potest exemplo defendi (est enim inauditus pleonasmus), ne illo quidem, quod Paulus ex Euripidis Medea attulit: κουφῶς φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφοράς, ubi in addito participio οντα magna inest vis, aliena illa a nostro loco; vertendum enim: *quoniam mortalis es* [k]). Neque magis placet Erasmi (ad h. l.) explicatio, qui ἀρχόμενος ὢν ex eleganti Graecorum usu pro ἀρχόμενος εἶναι positum existimat; qualis enim ista esset abundantia: ἦν ἀρχόμενος εἶναι! Verum etiamsi hae sententiae illis non laborarent vitiis, nostro tamen loco stare ideo non possent, quia Lucas, nisi barbare loqui voluisset, non potuisset, quin verba: ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, aliqua coniunctionis vocula cum antecedentibus necteret, hac fere ratione: ἦν — ἀρχόμενος ὢν, υἱὸς δὲ, ὡς ἐνομίζετο, Ἰωσήφ. Sed bene omnia cohaerent, si ὢν cum vv. υἱὸς Ἰωσὴφ ita coniungitur, ut hic oriatur sensus: *Iesum secundum hominum opinionem Iosephi filium fuisse.* Participio enim ὢν quum optime nexa esset, quae sequitur, generis Iesu enarratio, cum iis, quae antea dicta erant, evangelista adiectis vv. ὡς ἐνομίζετο cavit, ne quis crederet, se quoque Iesum pro Iosephi filio habere. At haec ipsa vocabula Paulus [l]) verti iussit: uti mos ferebat (wie es der Sitte gemäss geachtet war). Hanc enim V. S. V. Iudaeorum consuetudinem fuisse existimat, ut, si qui populum publice instituere vellent, non ante annum aetatis XXX progrederentur. Sed neque ullum huius moris vestigium invenitur, neque Lucas, si hoc sibi voluisset, formula usus esset, quae lectorem dubium redderet, utrum Iesus annis triginta minor fuerit, an maior [m]).

---

i) Erasmus Schmidius ad h. l. Calvisius in epistola ad Keplerum, ap. Er. Schmid. l. l. Clericus, Grotius aliique a Wolfio, Koechero, Kuinoelio, ad h. l. laudati, Paulus, comm. I, 256. Vogelius, l. l. p. 246 sq. Süskindius l. l. p. 213 sq. Quorum alii minus recte vv. διακονίας, vel διδάσκειν, vel εὐαγγελίζεσθαι suppleri voluerunt, melius alii ad locos provocarunt Act. 10, 37. cll. 1, 22. Luc. 23, 5. Quod vero Ludovicus de Dieu et Io. Wandalinus (ap. Wolfium ad h. l.) defendere ausi sunt, ἀρχ. *pleonastice* positum esse, id nostris, credo, temporibus nemo cum regulis hermeneuticis stare posse arbitrabitur; cf. Fritzschius ad Mt. 16, 21. Multo minus cum Casaubono *lectio* sollicitanda est, qui, invitis codd., ἐρχόμενος scribi voluit. *k*) Non sine emphasi dicta haec esse Paulus quoque vidit, quamquam quem ille verbis sensum tribuit: als Sterblicher muss man *nun wohl* Schaden schweigend tragen (comm. I, p. 257.), is a loco alienus est. *l*) Comm. l. l. *m*) Praeterea siquidem Lucas salva etiamnum Iudaeorum re publica scripsit (quod equidem certissimum esse ar-

Sensus igitur totius commatis hic est: *Iesum, quem vulgus pro Iosephi filio habuerit, annos fere triginta natum*, id est, *maiorem annis XXV, minorem annis XXXV, docendi munus auspicatum esse.* Nec diu post baptismum, uti ex Act. I, 22. liquet *n*), primos adscivit discipulos, quod quidem ipsum brevi ante pascha factum esse, e collatis locis Io. 1, 35 sqq. 2, 1. 12. 13. colligitur; unde Iesum non ita multo ante azymorum festum ad munus obeundum initiatum esse sequitur. Quum vero Christus ante pascha anni U. C. 750 natus sit, primum autem Ioannis iam doctoris pascha anno 782 competat: apparet, Iesum non prius esse baptizatum, quam anno aetatis XXXII fere expleto, vel initio anni XXXIII. Iam ex iis, quae supra diximus, luce clarius esse arbitror, tantum abesse, ut, qui istam agat aetatem, is ὡσεὶ τριάκοντα ἔτη natus dici nequeat, ut per hanc ipsam formulam de maiore adeo aetate cogitare, atque Iesu initia annis etiam 783 et 784 (30 et 31 a. D.) tribuere liceat; *quibus tamen quominus annus* 785 (32 *a. D. addatur, impedit hoc, quod tum Iesus vel anno XXXV fere ad finem perducto, vel inchoato anno XXXVI, iam longius ab a. XXX, quam ab a. XL remotus, ergo ὡσεὶ τεσσαράκοντα ἐτῶν dicendus fuisset.*

Quae vero per formulam ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν in constituenda Iesu, ad munus accedentis, aetate ambiguitas relinquitur, ea ut tolleretur, quaesitum est *de illo temporis spatio, quod inter Ioannis et Iesu primos praecipiendi conatus intercessisse probabile sit.* Ac Spanhemius *o*) quidem de *intervallo plurium annorum* cogitat, quia Ioannes, peragratis omnibus, quae Iordani adiacent, locis, omni fere populo iam baptizato, (Luc. 3, 3 sqq. 21. Mt. 3, 5 sqq. Mc. 1, 5.) tum demum, ὡς ἐπλήρου τὸν δρόμον (Act. 13, 24. 25.), i. e., Spanhemio interprete, „quum implevisset — cursum ministerii sui, seu prope esset, ut expleret,“ Iesum sacro lavacro initiasse tradatur. Sed ne potuerunt quidem evangelistae, nisi si chronica conscribere instituissent, res alio narrare ordine, quam ut pauca de universa Ioannis agendi docendique ratione praemitterent, antequam de Iesu ab eo baptizato verba facerent. An fortasse est, qui Iesum ab Ioanne initiatum credat, postquam is in vincula erat coniectus, quia Lucas de ea re ante, quam de sacro illo ritu, locutus est (Luc. 3, 19. 20. cll. 21. 22.) *p*)? Ac nonne Lucas ipse Iesum non μετὰ τὸ βαπτισθῆναι, sed ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν Iordani immersum esse narrat? Verba autem: ὡς ἐπλήρου τὸν δρόμον, hoc

---

bitror), quo tempore consuetudinem illam adhuc vigere oportebat, potius: ὡς νομίζεται, quam: ὡς ἐνομίζετο, scribere debebat. *n*) Etenim ad vocabulum ἀρξάμενος ex iis, quae antecesserunt: εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς, repetenda sunt: εἰσέρχεσθαι καὶ ἐξέρχεσθαι. Itaque h. l. primum Iesu cum discipulis commercium tam arcte cum eius baptismo connectitur, ut appareat, vel utramque rem in unum idemque tempus incidisse, vel alteram certe ab altera proxime remotam fuisse. Haec, quam ultimo loco posui, sententia quum per se, tum propter locos Mt. 4, 1 sqq. Mc. 1, 12 sq. Luc. 4, 1 sqq. propius ad veritatem accedit. *o*) Disq. chronol. de anno conversionis Pauli, in dissertt. hist. argumenti quaternione, Lugd. Bat. 1679., no. II, p. 194 sqq. *p*) Cf. Storrius, über den Zweck der evang. Geschichte Ioh. p. 295 sqq.

dicta esse sensu: „dum munere fungebatur,“ Kuinoelius ad h. l. docuit.

Contrariam alii *viam ingrediuntur*, qui *Iesum eodem atque Ioannem anno munus auspicatum esse* coniiciunt, *partim*, quia ex arcto narrationum de utriusque initiis nexu (Luc. 3, 1. 23.) haec ipsa initia proxime a se invicem remota fuisse colligunt q); *partim*, quia et Iesum et Ioannem, quorum alter altero sex mensibus minor erat, ea statim aetate prodiisse verisimile ducunt, qua ex Iudaeorum legibus prodire praeceptori licuerit, unde Iesum sex fere mensibus post Ioannem officio fungi coepisse concludunt r); *partim* denique, quia Christum praeterlapso aetatis anno XXXI vel XXXII vix ac ne vix quidem virum ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν dici potuisse contendunt s). Quorum argumentorum illud, quod primo loco posui, ideo nihil valet, quia vel arctissimo narrationum nexu tempora tamen, quibus res traditae acciderunt, longe distare possunt; reliqua hypothesibus niti vel falsis vel ambiguis, ex iis, quae supra dicta sunt, patere arbitror. Rectius cum Bengelio t) ad ea provocari posse credo, quae Ioannes ev. c. 1, v. 19 sqq. de sacerdotibus et levitis a synedrio ad baptistam missis narravit. Ipsa enim legatorum quaestio: τίς σὺ εἶ; τί βαπτίζεις; rei, de qua quaerunt, novitatem indicat. Venerunt ergo ad Ioannem, quum fama quidem nuntium novi alicuius prophetae Hierosolyma pertulisset, necdum tamen, quis ille revera esset, constaret. Atqui istum rumorem quis tandem putaverit sero ad Hierosolymitanorum aures pervenisse, quorum quotidie cum idonea Iudaeorum exterorum multitudine commercium erat? Quod quum plane sit incredibile, ei, si quis nihilominus legatos longo demum, postquam Ioannes in publicum prodierat, tempore advenisse contenderit, statuendum erit, synedrium initio rem minus curasse, ac tum demum, quum Ioannes in dies magis celebraretur, misisse, qui, quid sibi vellet, quaererent. Quae quidem incuria quam maxime ab illorum ingenio aliena est. Messiae enim desiderium post longam multorum seculorum exspectationem tum temporis, quum iugum Romanum paene intolerabile factum esset, summum fere attigerat fastigium. Quodsi igitur surrexisse audirent, qui aliqua certe cum probabilitate pro Messia haberi posset (cf. Luc. 3, 15.): num, quaeso, eos dubitasse credamus, quin statim, quis esset, percontarentur? Huc accedit, quod synedrio, cui rerum sacrarum cura demandata erat, ne licebat quidem cunctari, donec de Ioannis consilio certius fieret, praesertim, quum is non usitato hucusque baptismi ritu v) Iudaeos virtutis studio obstringeret. Sive igitur synedri felicitatis Messianae iamiam oriturae spe allecti, sive novarum rerum studio incitati, ut Christo, quem opinabantur, duce aliquid contra Romanos molirentur, sive suspiciosa superstitionis avitae cura incitati, ut caverent, ne quid religio detrimenti caperet, ad Ioannem, qui de eius consilio sciscita-

---

q) Ita nuperrime post alios Hasius (Leb. Iesu, §. 31.). r) Lightfootus, hor. hebr. Hasius l. l. s) V. supra laudatos sub nota e, p. 18. t) In gnomone ad h. l. v) Quamquam enim fortasse ante templi excidium baptismus interdum in proselytis usitatus erat, novus tamen erat, si in Iudaeis adhibebatur, ritus, cf. Bengelius, üb. d. Alter d. jüd. Proselytentaufe, Tub. 1814, 8. et eiusdem Arch. f. Theol. II,

rentur, miserunt x): quum primum eius fama ad eos pervenerat, legationem maturasse existimandi sunt. Itaque si Ioannes vel exeunte demum anno Tiberii XV, i. e., sub Augustum mensem anni 29 aerae Dion. baptizare coeperit: legati vix ac ne vix quidem serius, quam anno 30, missi esse possunt. Atqui brevi ante pascha (Io. 1, 19 sqq. cll. 29. 35. 44. 2, 1. 12. 13.), et eo quidem tempore missi sunt, quo Iesus, nisi iam sacro lavacro usus, certe die sequenti (Io. 1, 29—34.), usurus erat y): ergo neque illorum adventum, neque Iesu baptisma facile ultra azymorum festum anni 30 a. D. ponere licet z). — Verumtamen, quoniam haec omnia non carent aliqua ambiguitate, certi quid iis superstruere, id quod Bengelium fecisse video, non ausus sum.

Omni vero omnino dubio solvendo aptissimus profecto esset locus, qui legitur in evangelio Ioanneo, 2, 20., nisi et ipse variis obnoxius esset difficultatibus. Iudaei videlicet, cum Iesu, qui tum pascha primum doctor celebrabat, colloquentes, *τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν,* inquiunt, *ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος,* templum ab Herode instauratum innuentes b), quod annis octo vel novem exstructum c), usque ad initium fere belli Iudaici d) hic illic exornatum est. Aedem reficiendi consilium Herodes Iudaeis proposuit anno regni (ab Antigoni caede ducti) XVIII, U. C. 734—735 e); hinc, advectis omnibus, quae ad opus efficiendum necessaria erant, postquam mille sacer-

---

III, 740 sqq. x) Tittmannus in melett. ad h. l. synedros *invidia* ductos Ioannem adiisse coniicit; qui tamen nisi illi favissent, profecto, postquam et Messiam et prophetam se esse negaverat, ne baptizare pergeret, vetuissent; cf. Kuinoel. ad h. l. y) Kuinoelius quidem et Lückius post alios et h. l. et vv. 35. 44. voc. *τῇ ἐπαύριον* idem ac *μετὰ ταῦτα* denotare putant; sed numquam *ἡ ἐπαύριον* nisi *diem crastinum* significat; nam vel loco Gen. 30, 33. vers. Al., ubi verba *τῇ ἐπαύριον ἡμέρᾳ* in universum de tempore futuro dicta videntur, interpretem ipsum de die crastino cogitasse, quia in Hebr. scriptum est: בְּיוֹם מָחָר, quis est, quin videat? z) Paulus, qui, quia loco Io. 1, 28. neque Bethaniam aliquam trans Iordanem sitam, utpote quae nulla umquam fuerit, commemorari credit, neque pro *Βηθανίᾳ* cum Origene aliisque *Βηθαβαρᾷ* legere audet, de ea Bethania sermonem esse debere putat, quae stad. 15. ab Hierosolymis remota erat (Io. 11, 18.). Itaque puncto post *ἐγένετο* posito, verba *πέραν τοῦ Ἰορδάνου* cum sqq. *τῇ ἐπαύριον βλέπει τὸν Ἰ. ἐρχ. πρὸς αὐτόν*, coniungit. Inde concludit, Ioannem tum forte e Peraea Bethaniam se contulisse, ad quem synedros unquam legationem missuros fuisse, nisi ille e Peraea Herodi Antipae subiecta, et in locum quidem haud procul ab Hierosolymis dissitum venisset, negat; quamobrem e loco nostro nequaquam recte colligi posse contendit, legatos brevi post Ioannis initia missos esse. Sed haec loci illius distinctio ab Ioannis ingenio prorsus abhorret. Is enim partim loca minus nota epithetis quibusdam accuratius definire solet (v. 1, 45 cll. 12, 21; 2, 1 cll. 4, 46. [et 21, 2.]; 3, 23; 4, 5; 7, 42; 11, 54; inprimis 11, 1. cll. 18. et 12, 1., ubi de ea Bethania, quam Paulus loco nostro dictam esse censet, verba fiunt); partim nonnisi tum, quum temporis notationes (qualis h. l. *τῇ ἐπαύριον*) praeponit, ac ne tum quidem semper, coniungendi particulam omittit, ipsa temporis definitione huius particulae locum obtinente (1, 35. 44. 2, 12. 3, 22 al. cll. 2, 1. 4, 43 al.); sin postponit, a nectendi vocula numquam abstinet (7, 1. 8, 21. 12, 1 al.). Praeterea synedrio in rebus sacris Iudaeos omnes subiectos fuisse constat; quidni vero legati longiore etiam itinere ad baptistam contendere potuerint, non video. c) Ios. Ant. 15, 11, 5. 6. d) Ibid. 20, 9, 7. e) Ios. Ant. 15, 11, 1. Qui quia B. I. 1, 21, 1. eam rem Herodis anno XV tribuit, haec nunc

dotes lapides et ligna fabricari docuerat, fundamenta iecit; quibus quidem omnibus quum haud parvum temporis spatium impendendum esset, fieri potuit, ut anno demum 736 aedificatio ipsa inciperetur. Itaque quatenus Iudaei templi annos vel a tempore consilii ab Herode populo propositi, vel ab eo anno, quo aedes condi coepta est, numeraverunt, annus XLVI annis U. C. 780, 781 vel 782, a. D. 27, 28 vel 29 respondere potest. Verum etiamsi de termino, unde Iudaei computaverint, constaret: inde tamen certe concludi non posset, ea, de quibus quaeritur, verba ipso templi anno XLVI prolata esse; neque enim, ut recte Paulus *f*) monuit, cognitum habemus, an aliquo ante illud colloquium tempore, ipso quidem aedis anno XLVI, a templo exornando aliquamdiu destiterint, ita ut serius etiam dici potuisset: *τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος.*

His igitur missis, iam ad eam transeamus quaestionem, quae est de *muneris Christi intervallo.* Constat autem, huic rei in-

---

multorum (v. Kuinoel. ad Io. 2, 20.) est sententia, Flavium in l. archaeologiae laudato annos duodeviginti ab eo duxisse anno, quo Herodes a Romanis rex constitutus est (714 U. C.), in loco e libris de B. I. citato ab eo, quo Antigonum occidit (717). Sed Iosephum annos Herodis Antigoni caede seriores ab hoc ipso termino numerare, haud pauca docent exempla. *Septimum* enim regis annum cum anno eo confert, qui pugnam Actiacam secutus est [U. C. 724.], (Ant. 15, 5, 2. cll. 6, 1. B. I. 1, 19, 3. cll. 20, 1. v. Süskind. l. l. I, 209, Wurm. l. l. I, 29.); anno eiusdem XIII famem gravissimam Iudaeam invasisse (Act. 15, 9, 1. 2.), circa idem vero tempus Herodem Aelio Gallo, qui tum ad mare rubrum versatus fuerit, copias auxiliares misisse tradit (§. 3.), quem quidem Augusto X. C. Norbano Coss., U. C. 730, Octaviano imperante, in Arabiam profectum esse, Dio testatur (53, 29.). Annus XVII. iam praeterlapsus dicitur, quum Herodi ab Octaviano Zenodori tetrarchia donaretur (Ant. 15, 10, 3.), quam rem Cassius in annum 734, quo M. Apulius P. Silius consulatu fungebantur, confert (54, 9.). Caesaream Augustam ab Herode in Augusti honorem exstructam Iosephus anno regis XXVIII, Ol. 192 (i. e. inter aestatem a. 742 eamdemque tempestatem a. 746 U. C.) perfectam esse narrat, cuius quidem Olympiadis anno tertio vicesimus octavus Herodis annus, ab a. 717 ductus, agebatur. Atque ab hac numerandi ratione Iosephus ne locis quidem Ant. 17, 8, 1. B. I. 1, 33, 8. recessit, ubi in enarrando regni totius tempore annos ab utroque principio computavit. Quae quum ita sint, causa idonea cogitari nequit, cur illo, de quo agimus, loco, sibi ipsi non constans, annum ab accepto nomine regio duodevicesimum appellaverit. Sed, quod multo gravius est, capite antecedente (Ant. 15, 10, 3.) Herodi post expletum XVII regni annum Zenodori tetrarchiam commissam esse retulerat, quam rem anno 734, ergo anno XVII post Hierosolyma expugnata, competere, ex collato Dionis loco modo vidimus. Hinc Herodem in ipsa illa, quae Zenodori fuerat, terra prope Panium montem Caesari templum exstruxisse, variisque modis a subditorum odiis sibi cavisse tradit (ibid. §. 3. 4.). Inserta deinde narratiuncula de Esseno, qui Herodi puero regnum vaticinatus sit, *τότε γοῦν*, pergit, *ὀκτωκαιδεκάτου τῆς Ἡρώδου βασιλείας γεγονότος ἐνιαυτοῦ, μετὰ τὰς προειρημένας πράξεις, ἔργον οὐ τὸ τυχὸν ἐπεβάλετο, τὸν νεὼν τοῦ Θεοῦ κατασκευάσασθαι.* Quae si quis perpenderit, non poterit, credo, dubitare, quin de XVIII post caedem Antigoni anno sermo sit; in loco autem ex libris de B. I. petito eo lubentius cum Keplero, Petavio, aliis, vitium aliquod vel Iosephi ipsius, vel primorum librariorum agnosco, quod et illo loco Flavius, ubi narraverat, Augustum Herodi Zenodori terram donasse, ita ad describendam templi instaurationem transit, ut, hanc rem post insecutam demum esse, haud obscure indicet. *f*) comm.

veniendae ab antiquissimis inde temporibus *g*) maxime idoneum habitum esse Ioannis evangelium, quippe ex quo videre sit, quot Iesus paschata, dum docebat, celebraverit *h*). Tria enim commemorantur azymorum festa, quorum primum Iesus Hierosolymis *i*), alterum in Galilaea egit *k*), tertio Hierosolymis versans supplicio est affectus *l*). Praeterea c. 5, v. 1. de solennitate quadam sermo est, simpliciter ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων dicta. Quam quum alii pro alio habeant festo *m*), plurimi *n*) pascha intelligendum esse statuunt. In quorum argumenta antequam inquirere licet, de eo dicendum est loco, in quo omnes eorum conclusiones nituntur, Io. 4, 35. Verba enim haec: ἔτι τετράμηνός ἐστι καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται, quae illi eo dicta putant tempore, quod quatuor mensibus messem antecesserit, ab aliis proverbii loco usurpata creduntur, ut hoc modo explicanda sint: inter sementem ac messem quatuor menses interpositos esse; cui

---

IV, p. 178 sq. *g*) Etenim iam Irenaeus (2, 38. 39.) ex hoc evangelio, quamdiu Iesus praeceptoris munere functus sit, eruere studuit. *h*) Ioannem accuratius, quam reliquos evangelistas, temporum ordinem sequi, a multis iam est animadversum. Apparet hoc partim ex formulis μετὰ τοῦτο, μετὰ ταῦτα, quibus transitum sibi parare solet, partim e disertis temporum sese excipientium notationibus, ut τῇ ἐπαύριον, τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, μετὰ τὰς δύο ἡμέρας, partim denique ex ordine eo, quo festa a Iesu celebrata commemorat. Quam ob rem quum defendi nullo modo possit eorum sententia, qui Ioannem nonnisi rerum, non temporum rationem habuisse existimant (v. g. Eichhornii in Einl. in's N. T. II, §. 158.), negare tamen non licet, didacticum potius, quam historicum evangelistae consilium fuisse. Dividendi enim fundamento chronologico usus, varia proposuit Iesu dicta et facta, quae ad confirmandam hominum de divina eius legatione persuasionem facere credidit. *i*) Io. 2, 13. *k*) Io. 6, 4. Iesus enim Hierosolymis in Galilaeam redux, instante paschate quinque hominum millia cibat (6, 1—13.), die sequenti etiamnum ad mare Galilaeae versatur (6, 22.), Capernaumi docet (6, 59.), hinc a Petro tamquam Messias agnoscitur (6, 62—71.), καὶ, Ioannes pergit, περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ (Io. 7, 1.). Ceterum silentio non est praetereundum, verba c. 6, v. 4. contra omnem codicum, patrum, versionum auctoritatem vel interpolata, vel spuria habita esse a Pearcio, commentary with notes on the four Evangelists and of the Acts of the Apostles (Lond. 1777) ad h. l. Gerh. Io. Vossio, in diss. laudatis; Mannio, true years of birth etc. p. 161. Priestleyio observations on the harmony of the Evangelists, p. 43. Eichhornio, Einl. in's N. T. II, p. 127. ed. 1. Cf. Kuinoelium ad h. l. Causis autem illi adducti sunt his, quod non esset, quomodo cum his verbis conciliarent suas de festo 5, 1. appellato sententias, et quod idonea non appareret ratio, cur evangelista h. l. pascha commemorarit; quae argumenta quum levissima sint, levius etiam hoc, quod abesse illae voces possint salvo rerum et sententiarum nexu. *l*) Ioh. 11, 55. al. *m*) Festum enim *pentecostes* dictum esse putarunt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Maldonatus, alii, laudati a Bengelio (gnomone ad h. l.), eiusdem sententiae defensore, et Lampio, comm. in Ioannem, tom. II, p. 3., quibus addendus Greilingius (Leb. Iesu p. 139 sq.); festum *Purim* Keplerus, Petavius ad Epiphanium p. 206, Bernardus Lamius, d'Outreinius, laudati a Wolfio, cur. ad h. l. quibus accedunt, quos Lampius citavit l. l.; praeterea Hugius Einl. II, p. 229. Lückius et Tholuckius in comm. ad h. l.; nec defuerunt, qui de *tabernaculorum encaeniorumque* festis cogitarent, cf. Kuinoel. ad h. l. *n*) Irenaeo, 2, 38. chron. Alex. p. 516. ed. Raderi 1624. Scaligero emend. t. VI, p. 257. Michaële ad Io. 5, 1. Süskindio l. l. I, p. 185—194. Storrio, Zweck Ioh. ed. 2, p. 314. Paulo, comm. I, p. 908—911. Hasio, Leb. Iesu §. 47., cff. in universum Lampius, Rusius, Koecherus, Wolfius, Kuinoelius ad h. l.

quidem proverbio quaenam conveniat ad vitam accommodatio, dissentiunt eius interpretationis auctores. Sed ut taceam, de semente nihil scriptum esse, neque hoc addi, nisi ex lubitu: particula ἔτι o) non admittit, ut universalem quandam sententiam huic loco inesse credamus. Statuendum igitur, verba illa revera quatuor ante messem, quae Nisano fieri incipiebat p), dicta esse mensibus, id est, Marchesvane vel Cislevo. Iam quum Iudaei tribus tantum festis, paschate, pentecoste, scenopegia, Hierosolyma adscendere iussi essent, scenopegia autem et pentecoste iam ante Marchesvanem praeteriissent, pascha proxime instaret, ἑορτὴν illam, cuius causa Iesus in urbem sanctam profectus traditur, azymorum ferias fuisse existimant. Verum cur de eiusmodi festo cogitandum sit, quo Iudaei Hierosolyma migrare coacti erant, non liquet, quum Iesus encaenia quoque, quae domi agere cuique licebat, Hierosolymis celebraverit q). Deinde ad locos Mt. 12, 1 sqq. Mc. 2, 23 sqq. Luc. 6, 1 sqq. provocant, ubi de tempore sermo est post pascha posito r) quod neque ad primum Iesu pascha referri posse contendunt, quia, quae Mt. 12, 1. narrantur, facta sint, quum baptistes iam in carcere esset (11, 2—24.) in quem primo paschate nondum fuerit coniectus (Io. 2, 13. cll. 3, 23 sqq.), neque ad illa azyma, quae Io. 6, 4. commemorentur, quia eam rem, quae Mt. 12, 1. traditur, *secuta* demum sit quinquies mille hominum cibatio, quam Ioannes *ante* pascha ev. 6, 4. dictum collocat, (v. Io. 6, 4 sqq. cll. Mt. 14, 13 sqq. Mc. 6, 31 sqq. Luc. 9, 10 sqq.) s). Sed quia evangelistae tres priores non eum servant in temporum rationibus ordinem, ut ea res, quae *post* miraculum illud *traditur*, non possit *antea facta esse:* neque hac ratione, Io. 5, 1. de paschate sermonem esse, probatur. — Praeterea Paulus t) usum loquendi appellat, quo vox ἑορτή non addito festi nomine, in evangeliis semper pascha designet. Sed Mt. 27, 15. Mc. 15, 6. Luc. 23, 17. verba κατὰ ἑορτὴν vertenda sunt: *singulis festis* v); locis vero Mt. 26, 5. Luc. 2, 42. Io. 4, 45. 11, 56. 12, 12. ideo pascha simpliciter ἡ ἑορτή vocatur, quia ipsum feriarum nomen antecedit (cf. Mt. 26, 2. Luc. 2, 41. Io. 2, 13. 23. 11, 55.); eadem prorsus ratione, qua tabernaculorum festum Io. 7, 8. 10. 11. 14., quia σκηνοπηγίας vocabulum praecedit (v. 2.), nonnisi ἡ ἑορτή nuncupatur.

Gravissimae vero sunt, ex mea quidem sententia, causae, quae, quominus de azymis cogitari possit, impediunt. *Primum* enim quum Ioannes reliqua omnia, quae commemorat, festa suis designet nominibus, ubi vero de paschate loquitur, plus semel ea, quae his feriis convenit, appellatione utatur (2, 13. 23. 6, 5. 11, 55. 12, 1. 13, 1.), nec nisi tum simpliciter τὴν ἑορτὴν vocet, quum ex antecedentibus,

---

o) Pauci illi codices et patres, qui ἔτι omittunt (v. Griesb. ad h. l.) nihil valent contra codicum optimorum auctoritatem. p) V. Buhlii calend. Palaestinae oeconomicum sub mensibus Martio et Aprili; Paulum et Kuinoelium ad Io. 4, 35. Paulsenium, Ackerbau d. Morglder, p. 43 sqq. q) Io. 10, 22. r) Quamcunque enim foveas de significatu vv. σάββατον δευτερόπρωτον sententiam, certe circa pascha illud positum fuisse inde apparet, quod eo die discipuli Iesu aristas maturas decerpserunt. Plurimi paschate serius fuisse, putant, quia maxima cum probabilitate primum post secundum azymorum diem sabbatum intelligitur. s) Hanc sententiam prae reliquis Süskindius defendit l. l. I, p. 185 —194. t) Comm. I, p. 908. v) V. Fritzschius ad Mt. 27, 15.

de azymis sermonem esse, colligitur (2, 23. 4, 45. cll. 2, 13. al.; v. supra), per profecto mirum fuisset, si hoc uno loco proprio illam solennitatem vocabulo insignire noluisset. Maxime *porro* offendit idem festum 6, 4. recurrens, quem locum alii sine idonea causa corruptum putaverunt x), alii ita explicuerunt, ut verba ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα de azymis modo praeterlapsis, non de instantibus, intelligerent y). Sed ἐγγὺς de tempore dictum, non addito ἔτι, nonnisi de rebus instantibus usurpari posse, bene iam alii monuerunt z). Nihil igitur restat, nisi ut c. 5 et 6. de duobus diversis paschatis festis verba facta esse statuant, cui quidem sententiae narrationis Ioanneae indoles prorsus repugnat. Ioannes enim, ubicunque ex aliquo ampliore temporis spatio nihil memorabile tradit, innuere certe, quid tum Iesus in universum egerit, solet. Nam absoluta earum rerum descriptione, quae paulo post Christi baptismum gestae sunt, antequam de primo, quod Iesus doctor celebraverit, paschate loquitur, Capernaumi eum cum discipulis et fratribus et matre *aliquamdiu mansisse* narrat (2, 12.: μετὰ τοῦτο κατέβη εἰς Καπερναοὺμ, αὐτὸς, καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, etc., καὶ ἐκεῖ ἔμειναν οὐ πολλὰς ἡμέρας). Deinde, postquam, quae Iesus in paschate fecerit, retulit, μετὰ ταῦτα, dicit, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς — — εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν, καὶ ἐκεῖ διέτριβε — — καὶ ἐβάπτιζεν (3, 22.), quibus verbis Apostolus, *quid Iesus inter pascha et iter Samaritanum,* quod quatuor ante messem anni sequentis mensibus institutum est, (cf. 4, 35.; v. p. 25.) *egerit*, indicat. Hinc, interiecto Baptistae testimonio de sua ad Christum relatione, ad describendam Domini per Samariam profectionem transit, quem post colloquium cum muliere Samaritana habitum, Sychare per biduum moratum, inde Canam in Galilaea abiisse, ibique filio ministri regii valetudinem restituisse docet (4, 4 — 54.). Quo facto quum adesset illud, de quo quaeritur, festum, Iesus, uti Ioannes tradit, Hierosolyma migrat, unde in Galilaeam redux, appropinquantibus azymorum diebus, quinque hominum millia cibat, in mari Galilaeo incedit, die sequenti Capernaumi orationem habet, qua audita, multi eum discipuli deserunt, Petrus tamquam Messiam agnoscit (5, 1 — 6, 71.). Inde Christus, *donec scenopegia agatur*, *in Galilaea ambulat* (περιεπάτει — — ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, 7, 1.); ad hanc solennitatem celebrandam Hierosolyma se confert (7, 10.); de variis rebus et in festo et proximis post festum diebus cum Iudaeis disputat (7, 14 — 8, 59.); hominem caecum sanat (9, 1 sqq.), quam ob rem Pharisaei multa et Iesu negotia facessunt et ei, cui cernendi facultatem dederat (9, 13 — 10, 21.). Ea dum geruntur, adsunt encaenia, quo festo Iesus, quum periculum esset, ne propter doctrinam a Iudaeis occideretur, in Peraeam se confert (39, 40.), *ubi per aliquod tempus manet* (καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ, 41, 42.). Lazarus suscitatur (11, 1 sqq.); cuius miraculi fama ad Pharisaeos translata efficit, ut Iesum interficiendi consilium capiatur (45 — 53.). Itaque Iesus Ephraimum migrat, *ibique aliquamdiu versatur* (κἀκεῖ διέτριβε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, 54.). Iam pascha appropinquat (55.), quod quum post sex dies ex-

---

x) V. supra not. i, p. 24. y) Paulus comm. IV, p. 333. Hasius, Leb. Iesu §. 90. z) Kuinoelius comm. ad Io. 6, 4. Lückius ad Io. 5, 1.

spectaretur, Iesus a Mariâ ungitur (12, 1 sqq.), die sequenti ovans Hierosolyma intrat (12 sqq.); varia et hoc, et iis, qui ad pascha usque supersunt, diebus aguntur, (12—50.); Iesus coenam ultimam habet (13, 1—17, 26.); capitur, damnatur, necatur (c. 18. c. 19.), et post resurrectionem interdum cum discipulis conversatur (c. 20. [21.]). — In his describendis paulo longiores fuimus, quo posset facilius illa Ioannis consuetudo perspici, qua maius quodque temporis spatium, ex quo nulla Iesu dicta vel facta memoriae prodit, ita explet, ut certe, quid tum in universum Christus, et ubi egerit, doceat, nec nisi tum, quum parvo singulae res se exceperant tempore, quid interea factum sit, addere omittit, quoniam per se patet, non posse de quovis die memorabile aliquid referri. Quid autem post ea, quae c. 5. tradita sunt, additum est eorum verborum, quibus uti solet Ioannes, ubi inter rem narratam et narrandam paucorum mensium, quid quod hebdomadum spatium est interpositum? Nonne aut, si interesset inter festa c. 5 et 6. commemorata anni fere intervallum, quo nihil factum esset, quod scriptori tradere placeret, talia eum addere oportuisset, qualia sunt: μετὰ ταῦτα ἔμεινε, vel περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, vel ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, vel similia, aut, quoniam haec non addidit, non potest nisi perparvum inter utramque solennitatem spatium intercessisse? Annon igitur ab omni Ioannea narrandi consuetudine eorum aliena est sententia, qui, quum ἑορτὴν τῶν Ἰουδαίων de azymis intelligant, diversum esse hoc festum ab eo putant, de quo c. 6. verba facta sunt?

Ex his vero omnibus certissimum esse arbitror, Ioannem c. 5. aliud, quam paschatis festum, indicasse [a]). Celebrantur autem inter Marchesvanem et Nisanum (quo pascha agitur), festa duo, *encaenia* (Cislevi die 25) [b]), et *dies phuraei* (Adari die 14) [c]). Iam vero, quod encaenia attinet, neque credibile est, hieme (ea enim anni tempestate encaenia aguntur) homines aegrotos balneo usos esse (Io. 5, 22 sqq.), neque, Iesum vix paucis diebus e Iudaea reducem eodem iam tum rediisse [d]); quibus accedit, quod perspectu difficile est, cur ab encaeniorum nomine Ioannes hoc loco abstinuerit, quod paulo post (10, 22.) usurpare non dubitavit. Sin de Estheris festo cogitaveris, neque difficultatibus illis tua laborabit sententia, et idoneam videbis causam, cur evangelista propria hanc solennitatem appellatione non insigniverit. Nam quum reliqua, quae commemoravit, festa vel Grae-

---

tom. II, p. 6. Süskindius l. l. I, 183. a) Hugius (Einl. II, 230.) et Lückius (comm. ad h. l.), qui a partibus nostris stant, ideo de paschate cogitari posse negant, quia, si secus statueretur, Iesus per annum unum et semestre Hierosolyma non adiisse existimandus esset. Quod quum vix credibile sit, magna profecto inde sententiae nostrae commendatio accedit. At minus recte alii, eiusdem statuendi rationis fautores, pascha, non addito festi nomine, nonnisi τὴν ἑορτὴν appellari potuisse putant, quia Iudaeos hanc solennitatem, utpote omnium maximam, simpliciter et prae ceteris *festum* dicere solitos autumant. Sed et eodem pascha cum reliquis festis maioribus honore habitum est (cf. Philo de mundi opif. p. 27. ed. Paris., de decalogo p. 766. de sept. et festis, p. 1194), et est, ubi pascha sine articulo ἑορτὴ appellatur, locus apud Iosephum (Ant. 20, 6, 2. coll. B. I. 2, 12, 6). — Verba „ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων" non posse cum Hugio (231) pro festi *nomine* haberi, Lückius, II, 7. 8. docuit. b) 1 Macc. 4, 59. c) Esth. 9, 21. Dies 15. nonnisi Susis celebratus esse videtur. d) Cf. Süskindius l. l. I, p. 184. 185.

cis magis cognita essent, quorum in usum Ioannes evangelium scripsisse videtur (ut *pascha* et *scenopegia*, quippe quae essent ex magnis Iudaeorum festis), vel Graecis vocarentur nominibus (ut σκηνοπηγία et ἐγκαίνια *e*), neutrum Estheris diebus competit, et minus notis, et vocabulo, cui aures Graecae assuetae non erant, dictis; appellatione enim insigniebantur τῶν φρουραὶ vel φουραὶ *f*), vel τῆς Μαρδοχαϊκῆς ἡμέρας *g*). Iesus autem, quum eo tempore Iudaei Hierosolyma petere non solerent, ob causas quasdam nobis ignotas hoc iter fecisse censendus est, mansurus fortasse ad paschatis usque festum, quod quominus exspectaret, a Iudaeis impeditus esse videtur, qui eum interficere conabantur *h*).

Quae quum ita sint, in illud spatium, quo Iesus docuit, tria tantum paschata incidisse patet; Christus igitur nonnisi per biennium paucosque menses *i*) praeceptoris officio functus, anno epochae Dionysianae vel 31 vel 32, vel 33 cruci affixus est.

---

e) Σκηνοπηγία non solum Graeca est verborum compositio, verum etiam apud Aristotelem, (de animal. 9, 8, 1.), quamquam de constructione nidi hirundinis, invenitur; ἐγκαίνιον apud Quint. 7, 2, 23 legitur. *f*) LXX Esth. 9, 26. 28. 29. 10, 3 fin. (αἱ ἡμέραι τῶν φρουραὶ, ἡ ἐπιστολὴ τῶν φρουραί. Vetus autem in codd. versionis Alexandrinae vitium latere videtur, quum פורים potius voce φουραὶ quam φρουραὶ exprimendum esset. Cf. quae Hudsonius, Spanhemius, Relandus ad Ios. Ant. 11, 6, 13. monuerunt. Iosephus l. l. Graecis auribus magis accommodate nominavit ἡμέρας φρουραίους, nisi forte hic quoque φουραίους scripsit; latinum enim interpretem h. l. Phuraea legere Relandus testatur. *g*) 2 Macc. 15, 36. *h*) Io. 5, 16. 18. 7, 2. cf. Lückius in comm. ad Io. tom. II, p. 7. Hugius Iesum ideo ad festum Mardochaicum Hierosolyma profectum esse credit, ut ostenderet Iudaeis, quanti hanc et ipse solennitatem haberet, quam illi maximo honore prosequerentur (coll. Gemara Hieros. tract. megillah, 1, 8.); opus enim fuisse, ut evitaret, quantum fieri posset, quae fidem ipsi habendam impedire possent (Einl. II, p. 232.). Sed recte Lückius ad h. l. monuit, tantam in rebus tam minutis sollicitudinem Iesu ingenio non esse accommodatam. *i*) Eadem de muneris Iesu annis sententia et patrum multorum fuit, et scriptorum recentiorum: Irenaei, haer. 2, 39., qui, quia Ioannis (5, 1.) ἑορτὴν pro paschate habuit, diversum ab illa fuisse festum azymorum, 6, 4. commemoratum, negasse videtur; Eusebii, in chronico (ut videtur, v. Petav. D. t. XII, 12.), Chrysostomi, Cyrilli, Theophylacti, Euthymii, qui ἑορτὴν (Io. 5.) pro pentecoste acceperunt, Epiphanii, haer. 20. et 51, cf. Pet. annott. ad Epiph. p. 203 sqq.; Prosperi in chronico, atque ipsius adeo Origenis, qui quum alibi (περὶ ἀρχ. 4, 5.) Iesu ministerio unum tribuat annum, sibi ipsi non constans alibi (c. Cels. 2, 12.) Iudam Cariotensem non per integrum triennium cum Iesu versatum esse tradit; Petavii l. l. et D. t. XII, 7. 13., Norisii, cenotaph. Pisan. c. XVI. I. A. Bengelii, ord. temporum p. 236 sqq. Pauli I, 901—912. Lückii, Tholuckii, Hasii, (Leb. Iesu §. 22.), et eorum omnino omnium, qui Io. 5, 1. de paschate sermonem esse negarunt, vel Io. 6, 4. spurium iudicarunt, quos supra laudavimus. Patrum veterum nonnulli, qui supra citati sunt, alogi aliique haeretici, (cf. Epiphan. haer. 51, no. 25.), inter recentiores vero Franc. Burmannus (parte 2. exerc. diss. 2. de intervallo τῆς πολιτείας sive functionis Christi, p. 257.) de *uno* tantum anno cogitarunt; Iesum per *triennium* homines instituisse, post Ignatium (interpolatum), in ep. ad Trallianos, Eusebium (H. E. 1, 10.), Theodoretum (ad Dan. 9.), Iosephum hypomnestici auctorem (in Fabricii cod. pseudepigr. V. T. tom. II, p. 255.) — ut videtur —, chronici Alex. auctorem (ed. Raderi 1624, p. 492. 504. 512. 514.), Bedam (de temporum rat. c. 40.) vulga-

Ad quam ambiguitatem tollendam quum mere historiea non suppetant praesidia, fuerunt, qui ad *astronomicas* se converterent rationes. Atque eorum quidem opinionem ad rem nostram nihil facere apparet, qui solis eclipsin computare conati sunt, quam, quum Iesus cruci esset affixus, accidisse opinantur; nam neque XIV vel XV post neomeniam die deficere sol potest, neque evangelistae nisi caliginem aliquam insolitam solis lucem texisse narrant [k]); etenim ne *σκοτίζειν* quidem, quo Lucas verbo usus est, sed *ἐκλείπειν* solenne est ad designandos solis lunaeve defectus vocabulum. Attamen patrum haud pauci eum tum accidisse crediderunt solis defectum, quem Phlegon Trallensis ad Ol. 202. notavit [l]), in cuius tamen anno constituendo eorum, qui Phlegontis locum laudant, scriptorum alii ab aliis dissident, vel quartum vocantes, vel secundum [m]). Iam si vel scriptorem illum de insolita quadam obscuratione locutum putaremus, nihil tamen inde lucraremur, quia de anno non constat: sin de vera eclipsi, non potest ea, ut modo dictum est, in plenilunio contigisse. Sed de vera solis eclipsi verba fecit; de ea scilicet, quae Ol. 202, a. 1. (p. C. n. 29.) a. d. VI. Kal. Dec. hora fere X matutina accidit; quo tempore iis, qui in Babylonia et Chaldaea versabantur, sol totus, qui Nicaeae, fere totus defecit [n]).

At certiorem alii viam ingressi videntur. Notissimum est, Iesum Veneris die supplicio esse affectum [o]), quum vel instaret, vel iam ageretur azymorum festi dies primus, ergo vel XIV vel XV Nisani

---

ris facta est sententia; *quadriennium* denique Christum docendo occupasse, opinati sunt Scaliger (emend. temp. l. IV, p. 257 sqq.), et Wilhelmus Langius, de annis Christi II, 2, 8. — Praeterea cf. Marshius (Anmerkungen und Zusaetze zu Michaëlis Einl. in's N. T. tom. II. p. 51 sqq. vers. Rosenmüller.). *k*) Mt. 27, 45. Mc. 15, 33. Luc. 23, 44. *l*) Locus ab Eusebio in canone chronico allegatus, graece a Syncello servatus (p. 324 sq. ed. Paris.), ita se habet: (*Γράφει δὲ καὶ Φλέγων ὁ τὰς Ὀλυμπιάδας* * [adde: *συνάγων*] *περὶ τῶν αὐτῶν* [de eclipsi sub Tiberio facta] – *τάδε·*) *τῷ δ´* [Scaliger in thes. temp. *δὲ*] *ἔτει τῆς σβ´* (202) *Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι· σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο.* *m*) Eusebius in canone chronico (ex interpretatione et Hieron. et Armen., nec non ap. Syncellum loco modo laudato), Malelas, auctor chronici paschalis, alii *quartum* dicunt annum. Sed in demonstratione evangelica, lib. VIII, Eusebius annum nominat II, qui in Africani quoque fragmento apud Syncellum servato (p. 322.) legitur. Philoponus modo IV, modo (per scribendi vitium, ut recte Tillemontius existimat, mém. tom. I, p. I, p. 250.) II dixit. Hinc Petavius D. t. XII, 21. scriptum fuisse putat: *τῷ δὲ * * ἔτει*, i. e. *τῷ δὲ δευτέρῳ ἔτει*, unde, omissa littera ε et numeri signo, *τῷ δ´ ἔτει* factum sit. Keplerus nunc (in eclogis chronicis Fcfti 1615, 4. p. 87.), annum II, nunc (tabb. Rudolphin. Ulmae 1627, c. 17. p. 43.) a. III legi, nunc (eclog. l. l.) numeri notam omitti, et verba *τῷ δὲ ἔτει* hoc vult sensu dicta esse: ipso anno (i. e. a. 1.). Cf. Petav. Doctr. temp. XII, 21., not. ad Epiphanium p. 176. 177., Marii Lupi diss. de notis chronol. etc. p. 41 sqq., Pauli comm. l. l., Wurmium l. l. II, p. 295—306. *n*) Cf. Wurmius l. l. II, p. 304—306. *o*) Mt. 27, 62. coll. 28, 1. Mc. 15, 42. Luc. 23, 54. coll. 56. Io. 19, 31. Wilhelmi Langii opinio (de annis Christi II, 2, 4.), qua Iesum die Iovis mortuum esse statuit, quia die solis resurrexerit, postquam per triduum et *tres noctes* (Mt. 12, 40.) in sepulchro versatus sit refutatione non eget.

die *p*). De ea enim re ambigitur, quia alteri diei Ioannes, alteri evangelistae reliqui Iesu mortem assignant. Quum vero certum sit, alterutro die Dominum fato functum esse, iam antiquitus fuerunt, qui ex anni Iudaici ratione eruere studerent, quonam eorum annorum, de quibus hic quaeritur, festi paschatis initia Veneris diem tangere potuerint. Qua in quaestione quia alii nimis confidenter ambigua pro certis vendiderunt, alii nimis anxie in rebus certis dubia quaesiverunt, nondum potuit e cognita anni Hebraei forma ultimus Iesu annus certo cognosci. Qua de causa meum esse duxi, rem ita indagare, ut, quum eorum, quae dubia sunt, ambiguitatem haudquaquam negarem, ea, de quibus iure dubitari non posse intelligerem, tanquam certa agnoscerem.

Primum igitur si de die supplicii Iesu quaeritur, etsi rectius eos statuere arbitror, qui illum XIV, quam qui XV Nisani diem fuisse existimant *q*): tamen, quia hanc sententiam argumentis stabilire et longum est, neque (uti serius perspicietur) quidquam habet utilitatis ad quaestionem nostram felicius solvendam: hoc equidem solum ponendum esse putavi, eum annum, quo neuter illorum dierum Veneris dies esse potuerit, pro ultimo vitae Iesu anno haberi non posse.

Deinde quod attinet ad anni Iudaici, qualis templi secundi aetate fuit, formam, eius rei cognoscendae praesidia inprimis posita sunt in scriptis antiqui foederis exilio serioribus, in Philonis et Iosephi operibus et in talmude; quibus seriorum quoque Iudaeorum libri, prae reliquis Maimonidis de consecratione Kalendarum commentatio (קדוש החדש) *), et quae scriptores exteri passim monuerunt, non sine usu adduntur.

Ac *menses* quidem lunae cursui accommodatos fuisse, et vocabulum יֶרַח a יָרֵחַ deductum, et varii veterum loci abunde testantur *r*). Iam quum inter bina novilunia 29 dies, horae 12, 44, quae dicuntur, minuta, 2 secunda cum 82 partibus centesimis intersint, quod spatium mensis synodicus appellatur, duo igitur menses synodici diebus fere 59 constent: quemadmodum quaecunque gentes tempus ad lunae amussim dividunt, ita et Iudaei menses agebant nunc 29, nunc 30 dierum *s*), quorum alteros מלאים, plenos, alteros חסרים, cavos,

---

p) Erat enim haec festi paschatis ratio, ut, postquam vespera XIV Nisani diei agnum hoedumve assatum cum pane azymo et herbis amaris (additis quatuor vel quinque vini poculis), comederant, a die sequenti ad diem mensis eiusdem XXI festum azymorum celebrarent (Exod. 12, 1—20. Lev. 23, 4—8. Num. 28, 16—25. Deut. 26, 1—8.). *q*) De scriptis ad hanc quaestionem pertinentibus cf. Hasius (Leb. Iesu §. 122.), et quos hic eodem loco citavit. *) Versione huius libri usus sum, quam Lud. de Compiegne de Veil una cum Maimonidis libro de sacrificiis et Abarbanelis exordio commentariorum in Leviticum item latine factis Londini edidit 1683, 4. *r*) Philo de sept. et festis, p. 1185 ed. Paris. *τὴν — τρίτην ἑορτὴν ἀναγράφομεν, τὴν κατὰ σελήνην νουμηνίαν.* Cf. ibid. p. 1174, 1191, 1196.; de vita Mosis p. 686.; Ios. Ant. 3, 10, 3.: *δεκάτη δὲ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς κατὰ σελήνην νηστεύονται ἕως ἑσπέρας.* §. 5.: *τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην θύειν ἐνόμισε* (Moses). Cf. 4, 4, 6. 2, 15, 2., praedic. Petri ap. Clement. Al. strom. VI, p. 636., misna ראשׁ ה׳ multis locis, Maim. de consecratione Kal., c. 1. *s*) Galenus loco infra laudando, Maim.

dicebant *t*). Mensibus duodecim *annus* describi solebat *v*), cuius duplex erat initium, alterum civile, constitutum illud in Tisrio mense, alterum sacrum, quod in Nisano positum erat *x*). Quorum mensium quis fuerit in anno solari locus, ex variis cognoscitur signis. A Nisani enim die XV usque ad XXI azymorum festum celebrabatur, cuius die secundo (i. e. Nisani XVI) hordei maturi primitiae in Iudaea metendae *y*) Deo offerebantur *z*). Quod frumenti genus quum in regione Hierichuntina, quae totius Iudaeae calidissima est, ultimis Martii et primis Aprilis diebus maturescat *a*), eo fere tempore Nisanus, quo Martius et Aprilis fastorum Romanorum, agebatur. Accedit, quod Philone, Iosepho aliis testibus idem mensis circa aequinoctium vernum versabatur *b*), quodque Iosephus illum cum Pharmuthio Aegyptiorum comparat *c*), qui tum, quum annus Aegyptiacus in anni Iuliani formam redactus esset, a XXVII Martii die ad Aprilis XXV ducebatur *d*). Tisrius, utpote septimus a Nisano mensis, ac Philone teste circa aequinoctium auctumnale positus *e*), Romanorum Septembri fere vel Octobri respondit.

Ex his intelligitur, quamquam *menses* cum *lunae* cursu congruebant, *annos* tamen ad *solis* rationem accommodatos fuisse. Sed quia annus solaris undecim fere diebus lunari maior est, fieri non poterat, quin tertio quoque, interdum et secundo anno, mense duodecimo absoluto, aequinoctium nimis esset remotum *f*), neque fruges

---

l. l. c. 1, §. 3—7. *t*) Cf. gemaram babyl. tract. ראש השנה fol. 6. p. 1. ערכין fol. 9, p. 1 al. Maim. l. l. c. 1, §. 14. *v*) V. 1 Chron. 27. 1 Reg. 4, 7 sqq. Philo de mundi opif. p. 12., de profugis p. 477 al. *x*) Misna ראש ה׳ 1, 1. — Exodi 12, 2 narratur, Mosen auctorem fuisse, ut mensis Abib, is, qui serius Nisan dicebatur, primus anni mensis haberetur. Tisrius utrum post captivitatem demum Babylonicam, an iam Mosis aetate, ut Iosephus (Ant. 1, 3, 3.) aliique putaverunt, anni civilis principium fuerit, non liquet. *y*) Gemara bab. tract. סנהדרין, fol. 11, p. 2.: אין עומר בא אלא מיהודה: „non venit Omer (frumenti manipulus) nisi e Iudaea." *z*) Lev. 23, 10 sq. Hordeum oblatum esse, Iosephus (Ant. 3, 10, 5.) et Philo (de sept. et festis p. 1192) testantur. *a*) Cf. Buhlius in Calendario Palaestinae oeconomico, Gottingae 1785, 4., sub mensibus Martio et Aprili. *b*) Ios. Ant. 3, 10, 5: *τῷ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὅς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται — τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος — θύειν ἐνόμισε* (Moses). Philo de vita Mosis p. 686.: *τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀναγράφει μῆνα Μωϋσῆς — κατὰ γὰρ ταύτην τὰ σπαρτὰ, ἡ ἀναγκαῖα τροφὴ, τελειογονεῖται* etc. Anatolius, episcopus Laodicenus, qui Probo et Caro imperatoribus floruit, in canonis paschalis fragmento apud Eusebium servato (H. E. 7, 23. coll. Niceph. H. E. 12, 32.) antiquiores etiam Philone Iudaeos, Agathobulum utrumque, et Aristobulum docuisse tradit, pascha post aequinoctium celebrandum esse. Secundum talmudem et Maimonidem dies certe Nisani XVI ante aequinoctium non agebatur, quamquam de ea re non inter omnes convenit magistros (cf. quae paulo infra dicentur). *c*) Ant. 2, 14, 6. *d*) Cf. Idelerus l. l. I, p. 143. *e*) Philo de sept. et festis p. 1195.: *τελευταία δ' ἐστὶν ἑορτὴ τῶν ἐνιαυσιαίων, προςαγορευομένη σκηναὶ, καιρὸν ἔχουσαι τὸν τῆς μετοπωρινῆς ἰσημερίας.* Cf. de mundi opif. p. 27. de decalogo p. 766. in Flaccum p. 982. *f*) Regula haec erat, ut intercalarent אם כן היתה תקופת חסירה רובו של חודש (gemara bab. סנהדרין fol. 12, p. 2. fol. 13, p. 1.): „si aequinoctium a maiore mensis parte abesset," i. e. si aequinoctium post medium mensem (in diem XVI vel

maturae post dies sedecim exspectari possent. Opus igitur erat, ut tum mensis unus anno adderetur, qui, quia Adarum sequebatur, secundus dicebatur Adarus (ואדר) *g*). Neque vero ea, quam attuli, sola erat intercalandi causa; nam si vel arbores baccas nondum protulerant, vel imbrium vi pontes destructi semitaeque inviae redditae, vel furni agnis paschalibus assandis destinati rupti erant, vel Iudaei procul habitantes iter quidem Hierosolymitanum ad pascha celebrandum ingressi erant, neque tamen iusto tempore urbem attingere poterant, mensis decimus tertius addi solebat *h*). Quibus de causis quamquam magna erat synedrorum (his enim id negotii traditum erat) in intercalando licentia, has tamen illi regulas secuti sunt, ut nec unquam tribus, nec nisi summa necessitate urgente, duobus annis continuis *i*), neque anno sabbatico, quo ab agrorum cultu abstinendum erat, Adarum alterum adiicerent, eum vero annum, qui sabbaticum antecedebat, mense uno longiorem redderent *k*).

---

serius) incideret; quo loco utrum aequinoctium intelligendum sit, rabbini Iudas et Simeon cum Iose aliisque disputant, illis de auctumnali, his de verno cogitantibus. Alteram partem si secutus fueris, Iudaeos tum intercalasse censebis, quum praeviderent, aequinoctium vernum die Nisani XVI vel serius futurum esse; sin partem alteram, eos Adarum secundum addidisse crede, quum aequinoctium auctumnale cum Tisrii die XVI conventurum sse scirent. *g*) Egregie, quae hucusque de anni Iudaici forma dicta sunt, Galeni loco illustrantur (comm. I. in Hippocratis epidem. l. I. ed. Kühn. tom. XVII, p. 23.): *τοῖς κατὰ Παλαιστίνην ἀριθμοῦσιν οἱ δώδεκα μῆνες ἀριθμὸς ἡμερῶν γίνονται τνδ* (354). *Ἐπειδὴ γὰρ ὁ ἀπὸ συνόδου τῆς πρὸς ἥλιον αὐτῆς χρόνος ἄχρι πάσης ἄλλης συνόδου πρὸς τὰς θ' καὶ εἴκοσιν ἡμέρας ἔτι καὶ ἄλλο μέρος ἥμισυ προςλαμβάνει, διὰ τοῦτο καὶ τοὺς δύο μῆνας γινομένους θ' καὶ ν'* (59) *τέμνουσιν εἰς ἄνισα μέρη, τὸν ἕτερον αὐτῶν λθ'* (l. *λ'*) *ἡμερῶν ἐργαζόμενοι, τὸν δ' ἕτερον θ' καὶ κ'. Ἀναγκάζονται τοιγαροῦν οἱ οὕτως ἄγοντες τοὺς μῆνας, ἐμβόλιμόν τινα ποιεῖν, ὅταν πρῶτον ἀθροισθῇ τὸ τῶν ἔμπροσθεν ἐνιαυτῶν ἔλλειμα, καὶ γίνεται χρόνος ἑνὸς μηνός.* *h*) Cf. gemaram hieros. sanh. c. 1, §. 1. bab. ibid. fol. 13, p. 1. Maimon. l. l. c. 4, §. 2. *k*) Gemara utraque ll. ll. אין מעברין שלש שנים זו אחר זו: „non intercalabant tribus annis altero post alterum," videlicet quia, uti scholion ad gem. bab. l. l. addit, si hac ratione annorum ordinem turbassent, Nisanus anni tertii in mediam incidisset aestatem. Duobus annis continuis solus Akiba rabbinus menses XIII tribuisse fertur, cf. Aben-Esra in Lev. c. XXIII (laudante Sam. Petito, eclog. chron. Paris. 1632, 4., c. 2, p. 9.: ואמרו על ר׳ עקיבא שקבע שתי שנים מעוברות שנה אחר שנה לפי צורך השעה: „rabbinum Akibam duos annos intercalares alterum post alterum fixisse dicunt propter temporis necessitatem." *k*) Gemara utraque ll. ll. et schol. ad gem. bab. Sanh. c. 1, fol. 11, p. 2.: אין מעברין את השנה לא בשביעית ולא במוצאי שביעית „non intercalabant anno septimo (sabbatico), neque exitu anni septimi." Schol. ad h. l.: לא בשביעית לפי שמאריכין עליהן איסור עבודת קרקע: ולא במוצאי שביעית בשמינית לפי שכלה הישן ומאריכין עליהן איסור החדש: „*neque anno septimo*, ne produceretur hominibus interdictum agrorum colendorum" (i. e., ne tempus, quo ab agrorum cultu abstinendum erat, longius redderetur); *neque exitu anni septimi*, id est, anno octavo, ne, cibo vetere consumto, produceretur iis interdictum novi" (i. e. ne tempus, quo novo vesci non licebat, prolongaretur; neque enim ante diem azymorum secundum metere permissum erat [Lev. 23, 14. Ios. Ant. 3, 10, 5.]). Pergunt gemarae: אימתי רגילין לעבר ערב שביעית „ecquando intercalare consueti erant? vesperi anni sabbatici," i. e. anno

Mensium exordia, quum luna, postquam siluerat, primum apparebat, fiebant *l*). Ac quia prima lunae cornua nonnisi tempore vespertino cernuntur, primus, ideoque reliqui etiam mensis cuiusque dies initium a vespera capiebant. Kalendarum figendarum potestas, uti rabbini tradunt, nonnisi penes synedrium magnum erat; quod ubi e tabulis astronomicis eruisse sibi videbatur, fieri posse, ut luna vespera undetricesimi mensis diei aperiretur, die tricesimo exspectabat, num qui venturi essent, qui cornua recentia vespera antecedente se conspexisse testarentur. Erat enim hoc synedrii mandatum, ut quicunque probatae fidei viri non longius quam diei noctisque iter ab Hierosolymis abessent, ii, simulac lunam novam vidissent, vel sabbati religione neglecta, huius rei nunciandae causa Hierosolyma se conferrent. Quorum testimonium ubi confirmatum erat, senatus, solenni utens exclamatione: מקודש, ipsum diem tricesimum novi mensis initium constituebat *m*). Sin vero, quia coelum nubilum erat, aliasve ob causas, nulli advenerant nuncii, synedri, quatenus, lunam prius vel serius lumen novum exserturam esse, e tabulis coniiciebant, menses cavos et plenos, nunc singulos, nunc binos, alternis ponebant vicibus *n*), hanc sequentes regulam, ut neque plures octo, neque pauciores quatuor mensibus plenis uni tribuerent anno *o*); qua ratione quomodo caverint, ne anni ordo turbaretur, tum demum perspicere nobis licebit, quum viderimus, inter quotnam dies prima lunae apparitio fluctuare possit. Atque e variis quidem, quae Wurmius *p*) collegit, testimoniis intelligitur, in terris australibus cornua interdum iam XVII. fere post lunam silentem hora, saepius circa horam XXIV. et serius, nonnumquam tertio demum die in conspectum venire. Quibus Wurmius addit, lunam non solum post triduum demum, quam siluerat, sed interdum, siquidem novilunium certo quodam diei tempore (puta die ad finem vergente) commissum sit, paulo etiam serius aperiri. Hinc Iudaeos coelo sereno, siquidem

---

sabbaticum antecedente. „Schol.: בערב שביעית להוסיף להם חודש לעבודת קרקע: „vesperi anni sabbatici, ut eis (hominibus) adderent mensem ad colendos agros." Quae quidem regulae, utpote ex ipsa hominum necessitate ortae, tam strenue sunt servatae, ut ab ea solum, quae de anno sabbaticum sequente lata est, magistros, nec nisi sub Gamaliele, interdum recessisse legamus, cf. gem. bab. l. l. *l*) Philo de sept. et festis p. 1174. 1185. misna ראש ה׳ 1, 5. 7. 9. al. Maim. l. l. c. 1—3. c. 5, §. 1 al. *m*) Misna ראש ה׳ fere tot. inprimis c. 1 et 2. Maim. l. l. c. 1—3. *n*) Maimon. ibidem, c. 18, §. 5—9.; cf. gem. bab. ראש ה׳, fol. 6, p. 2., ubi pentecoste, quae, uti mox videbimus, die quinquagesimo a decimo sexto Nisani die agebatur, nunc quinto, nunc sexto, interdum septimo Sivani die celebrari dicitur, quatenus Nisanus et Iiarus aut pleni sint, aut cavi, aut alter plenus, alter cavus. *o*) Misna ערכין 2, 2. Maim. l. l. 18, 9. Anno intercalari non pauciores quinque mensibus plenis assignabantur; nam in gemara bab. ad locum tract. ערכין modo laudatum et in Maimonidis de cons. Kal. libro, c. 18, §. 10. tanquam singulare quid traditur, aliquando novem menses cavos uno in anno positos fuisse. *p*) l. l. II, §. 25. Eliae ben Mosis, Caraei, sententia, a Seldeno (de anno civili vett. Hebrr.) allata, lunam iam post 11½ a coitu horas cerni posse, vix fidem meretur. — Quoniam vero luna *vulgo* citius, quam tardius aperitur, menses *vulgo* prius, quam serius inchoatos esse (cf. Philo de vita Mosis p. 686. de sept. et festis p. 1191. 1196. Origenes ad Mt. 27, 45. ed. Ruaei tom. III, p. 922.), per se patet.

primam lunae apparitionem accurate secuti sunt, nunc exeunte ipso novilunii die, nunc vespera quarti demum a novilunio diei mensium initia constituisse, recte colligitur. Atque ad hanc quidem anni formam, in qua Kalendae intra tres quatuorve dies fluctuant, tantopere accommodata est illa, qua synedros, quum coelum nubibus tectum erat, usos esse vidimus, regula (id quod, si quis rationem inire voluerit, facile perspiciet q)), ut, modo illa recte usi fuerint, Kalendas coelo caliginoso iisdem, quibus coelo sereno, limitibus inclusisse putandi sint. At quis tandem illos non summo opere elaborasse crediderit, ut in hac regula adhibenda quam accuratissime versarentur, quibus *religio* fuerit, Kalendas minus iusto celebrare tempore r)? His accedit, quod, licet per tabulas, rudiores quippe, interdum parva quaedam Kalendarum confusio prohiberi non potuisset: lunam tamen ipsam, utpote quae in Palaestina fere quotannis, aestatis certe tempore, aliquoties nova exserat cornua, quominus Kalendae facile terminos praescriptos excederent, impedivisse quam maxime est consentaneum. Quae quum ita sint, si quis in enucleando eo tempore, quo hic vel ille veterum Iudaeorum mensis initium ceperit, ita versatur, ut, quatenus lunam die vel ineunte vel ad finem inclinato siluisse deprehenderit, eatenus Kalendas neque ante vesperam eius diei, quo commissum est novilunium, vel diei proxime sequentis, neque post diem a coitu tertium vel quartum agi potuisse statuat: eum haud sane a veritate aberrare existimo.

Iam si quis exempla quaesiverit, quibus ea, quae hucusque de Kalendarum Iudaicarum ratione diximus, illustrentur: nonnisi unum, quo recte uti liceat, nobis servatum est; quod quidem in Iosephi archaeologia reperitur, l. XIII, c. 3, §. 4, ubi scriptor, postquam narraverat, Hyrcanum, Iudaeorum principem, Antiocho Soteri, Syrorum regi, in expeditione contra Parthos suscepta comitem se adiunxisse, eius rei testem laudat Nicolaum Damascenum, quem haec tradidisse dicit: *τρόπαιον — στήσας ὁ Ἀντίοχος ἐπὶ τῷ Λύκῳ ποταμῷ, νικήσας Ἰνδάτην τὸν Πάρθων στρατηγὸν, αὐτόθι ἔμεινεν ἡμέρας δύο, δεηθέντος Ὑρκανοῦ τοῦ Ἰουδαίου διά τινα ἑορτὴν πάτριον, ἐν ᾗ Ἰουδαίοις οὐκ ἦν νόμιμον ἐξοδεύειν. Καὶ ταῦτα μὲν,* Iosephus addit, *οὐ ψεύδεται λέγων· ἐνέστη γὰρ ἡ πεντηκοστὴ μετὰ τὸ σάββατον, οὐκ ἔστι δὲ ἡμῖν οὔτε ἐν τοῖς σάββασιν, οὔτε ἐν τῇ ἑορτῇ ὁδεύειν.* His narrationem adiicit

---

q) Duodecim enim menses lunares diebus constant 354 cum novem fere horis; quatuor menses pleni cum octo cavis dies continent 352; quatuor cavi cum octo plenis dies 356. Alterum igitur annorum genus biduo fere minus, alterum biduo fere maius est anno lunae astronomico. Iam si mensis primus anni 356 dierum ipso lunae silentis die vel die sequenti inchoatur, primae sequentis anni Kalendae biduo longius absunt a neomenia; itaque tertio vel quarto a coitu die aguntur. Contra, si mensis primus anni 352 dierum tertio vel quarto post interlunium die initium habet, primus anni insequentis mensis biduo prius, i. e., die novilunii vel sequenti incipit. r) Kalendae enim festae habebantur (1 Sam. 20, 5. 27 sqq. Amos. 8, 5. Iudith. 8, 6.) et sacrificiis celebrabantur (Num. 28, 11 sqq. coll. 10, 10.). In talmude bab. מנחות fol. 29, pag. 1, et Maimonidis de cons. Kalend. libro, c. 1. §. 1. haec magistrorum Iudaicorum opinio traditur, Deum ipsum Mosi speciem lunae nascentis ostendisse, qua apparente menses incipiendi sint.

de pugna cum Arsace commissa, qua victus Antiochus perierit. Iam vero ille per breve tantum tempus bellum cum Parthis gessit; etenim „advenienti," ut Iustinus s) ait, „multi orientales reges occurrere, tradentes se regnaque sua cum exsecratione superbiae Parthicae. Nec mora congressioni fuit. Antiochus, tribus proeliis victor" (quorum unum ante pentecosten commissum vidimus) „quum Babyloniam occupasset, magnus haberi coepit." Quae quidem nonnisi paucorum mensium spatio fieri potuisse, ipse rerum gestarum nexus docet. Arsaces vero, quum vi aperta Antiochum superari non posse intelligeret, ad dolum conversus, Demetrio, Antiochi fratri, quem iam diu captivum apud se retinuerat, ut in patriam rediret, permisit, quo Antiochus, suo metuens regno, et ipse in Syriam reverteretur. Interea civitates, per quas Antiochus exercitum in hiberna diviserat, oneris impatientes, rebellant; ipse, proximis opem laturus, Phrahati obviam factus, in pugna cadit. Atque hoc quidem iam brevi post Demetrii in Syriam reditum evenit, ut Parthus, quem iam liberati Demetrii poenitebat, missis statim equitum turmis, retrahi illum posse speraret. Quae quum ita sint, Antiochum brevi postquam Phrahati bellum intulerat, occidisse, *pentecosten* igitur illam, de qua quaerimus, *regis mortem,* quae hieme accidit t), *proxime antecessisse*, sequitur. Iam Antiochus anno Seleucidarum 174, qui ab auctumno anni U. C. 615, a. C. n. 139, oriebatur, regnum capessivit v), cui Porphyrius apud Eusebium novem annos tribuit x). Qui quum regum tempora nec a regni natalibus, nec ab eo anno, quo currente rex constitutus est, sed ab eo, qui hunc proxime sequitur, computare soleat y), novem istos annos, quia Antiochus currente anno 174 regnum adiit, ab anno 175 numerandos, ultimum ergo Soteris annum 183 esse apparet z), qui ab auctumno anni U. C. 624,

---

s) Iustin. l. XXXVIII, c. 10. t) Hoc partim inde sequitur, quod tum exercitum in hiberna diviserat, partim diserte ab Eusebio (vers. latino-armenicae I, p. 350.) notatur. v) 1 Macc. 15, 10. cll. numis Syriacis apud Eckhelium (Doct. num. III, p. 236.), quibus Antiochi nostri nomen et annus aerae ΔOP (174) inscriptus est. Primus Macc. liber annos Sel. a Nisano (cf. Ideler. I, p. 531 sq.), numi ab auctumno anni a. C. n. 312 ducunt. Iam quum Demetrii, qui ante Antiochum regnaverat, quamquam inde ab a. 172 captivi, moneta ad annum usque 174 pertineat (neque enim Trypho, qui, capto Demetrio, regnum usurpaverat, ab omnibus agnoscebatur), recte concluditur, Antiochum post auctumnum demum anni a. C. n. 139, quamquam ante Nisanum anni sequentis, regnum paternum occupasse. x) In chronico, vers. arm. ed. Aucher., part. I. p. 349. 358. Cf. canonem chron. p. 35. 245. eiusdem editionis, p. 7 C. 64 B. vers. Hieronymianae, ed. Basileensis. y) Cf. Niebuhrius in commentatione: Historischer Gewinn aus der arm. Uebersetzung der Chronik des Eusebius, in eius libro: Kleine histor. und philol. Schriften, tom. I. p. 249. z) Cf. idem ibidem, p. 250. — Numi quidem Antiochi Soteris, annis ΔΠP, EΠP, ϚΠP (184, 185, 186) inscripti, Frölichium (annal. reg. et rerum Syriae, prol. part. III, c. 4.) et Eckhelium (Doct. num. III, p. 235. 237.) permoverunt, ut illum in Parthia non cecidisse, sed reducem in aliqua Syriae parte, Demetrio reliqua tenente, regnasse arbitrarentur; sed recte Niebuhrius (l. l. p. 250 sqq.) opinionem istam, quippe quae omnibus veterum testimoniis repugnet, vanam esse ostendens, numos illos a civitatibus nonnullis cusos esse existimat, quae, quum Demetrii crudelitatem timerent, neque huic se subiicere voluerint, neque ex Antiochi filiis, quorum maior natu a Parthis captus erat, minori regnum, vivo fratre, non competebat, alterutrum regem agnoscere ausae

a. C. n. 130, ad eandem anni sequentis tempestatem ducebatur. Antiochus igitur, quia hiemis tempore interfectus est, vel exeunte anno 130, vel ineunte 129 a. C. n. obiit. Hoc idem ex eo intelligitur, quod Porphyrius Demetrium post reditum e captivitate per quadriennium regnasse tradit, quem numi ad annum usque 187 [a]) vixisse docent [b]). Ad annum igitur 130 illud, de quo quaerimus, festum referendum est. Iam vero pentecoste die quinquagesimo ab oblatis frugum primitiis, i. e. a die Nisani 16, celebrabatur [c]); qui quidem mensis hoc, quem dixi, anno, si illum vulgarem fuisse statuimus, eam secutus est neomeniam, quae sub meridiano Hierosolymitano Martii die 11, hora matutina 1 commissa est [d]). Itaque dies Nisani 16 Martio extremo, pentecoste circa Idus Maias celebranda erat; cuius mensis dies decimus septimus solis erat dies. In hunc si pentecoste cecidit, Martii diei 29 secundus azymorum dies, eiusdem vero mensis diei 14 (i. e. ei spatio, quod est inter vesperas dierum 13 et 14) Nisani Kalendae assignandae sunt. Quibus positis, tertia post synodum vespera mensem inceptum esse arbitrabimur. Sin vero intercalatum est, eam Nisanus secutus est neomeniam, quae in Aprilis diem 9, horam pomeridianam 4 incidit. Ergo Nisani dies 16 Aprili exeunte, pentecoste medio Iunio agenda erat. Iunii dies 14 primus erat hebdomadis dies; cui si pentecoste tribuitur, Nisani dies 16 cum die Aprilis 26, Kalendae cum die eiusdem mensis 11 (10—11) congruerunt: Nisanus igitur altero post neomeniam die coepit. Utrumcunque posueris, egregius erit cum iis, quae de initiis mensium Iudaicorum disputavimus, consensus [e]).

---

sint, ideoque monetam Antiochi Soteris inscriptione signare perrexerint. *a*) Eckhel. Doctr. num. III, p. 231. *b*) Porphyrius quidem Demetrium, qui, teste 1 Macc. libri auctore (14, 1.) anno Seleuc. 172 contra Parthos profectus est, decennium in captivitate exegisse tradit; neque tamen inde concludere licet, id quod Niebuhrius fecit, (l. l. p. 253.) regem iam a. 182 rediisse; numerus enim X, quia ad eos pertinet, quos rotundos dicimus, tempus accurate non definit. Idem praeterea ad eandem rem comprobandam eo provocat, quod Porphyrius (l. l. c. 40, §. 20.) Demetrium anno Olymp. 162 secundo, qui anno Sel. 182 respondet, in regnum restitutum esse narrat. Quod quidem argumentum minus etiam valet, quia Porphyrius, ipso Niebuhrio fatente, toto loco nostro in Olympiadibus denotandis graviter errat. — Praeterea omittendum non est, Livium (epit. l. 59.) et Orosium (5, 10.) Antiochi cladem ad eum referre annum, quo consulatum gesserunt C. Claudius, M. Perperna, i. e., U. C. 624. *c*) Lev. 23, 15: וּסְפַרְתֶּם לָכֶם מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת מִיּוֹם הֲבִיאֲכֶם אֶת־עֹמֶר הַתְּנוּפָה שֶׁבַע שַׁבָּתוֹת תְּמִימֹת תִּהְיֶינָה׃ Voce sabbati h. l. non septimus hebdomadis dies indicatur, quae Caraeorum est opinio, sed prima azymorum feria, quae sabbati instar celebrabatur. Philo de decal. p. 766, singula enumerans festa, pascha quoque commemorat, *καὶ ἔτι τὴν* (sc. *ἡμέραν*), *ἐν ᾗ προςφέρεται δράγμα χαριστήριον — — καὶ τὴν ἀπὸ ταύτης καταριθμουμένην ἑπτὰ ἑβδομάδων πεντηκοστὴν ἡμέραν.* Ios. Ant. 3, 10, postquam §. 5. de sacrificio die 16 Nisani offerendo verba fecerat, ita pergit §. 6: *ἑβδόμης δ' ἑβδομάδος διαγεγενημένης μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν, αὗται δ' εἰσὶν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα, τῇ πεντηκοστῇ, ἣν Ἑβραῖοι Ἀσαρθὰ καλοῦσιν—προσάγουσι τῷ Θεῷ ἄρτον* etc. *d*) Secundum Vegae tabulas. *e*) Eodem exemplo ad illustrandas Iudaeorum Kalendas Scaliger, Ricciolus, Petavius, Sam. Petitus, al. usi sunt; quorum plerique in anno, de quo Iosephus loquitur, definiendo erraverunt, quem U. C. 624 esse, iam

Quibus quum praeterea lucis haud parum affundatur exemplis quibusdam eius consuetudinis, quae apud gentes Iudaeis vicinas in constituendis mensium lunarium Kalendis valuit, addere haec exempla non alienum esse a consilio nostro duximus. Ptolemaeus *f*) enim, aliquas Saturni et Mercurii planetarum observationes *Babylone* a Chaldaeis institutas describens, eos, quibus illae factae sunt, dies secundum fastos Aegyptios et Macedonicos definivit; unde *Apellaeum* mensem a. 245 ante a. D. vespera 14 Nov., *Dium* a. 237 vesp. 16 Oct.; *Xanthicum* a. 229 vesp. 26 Febr. inchoatos esse discimus, quibus quidem annis ea, quae huc pertinent, novilunia sub meridiano Babylonio 13 Nov. h. 1, min. 40 mane, 15 Oct. h. 10, 43 min. vesp., 24 Febr. h. 11, min. 1 mane commissa sunt *g*). Dius igitur et Apellaeus die neomeniae diem sequente, Xanthicus die tertio initium habuit. In inscriptione Rosettana, a sacerdotibus Memphiticis in honorem Ptolemaei Epiphanis anno ante a D. 196 facta, Mechiri Aegyptiorum dies 18 cum 4 Xanthici die confertur. Ac quia is, quem dixi, Mechiri dies illo anno 27 Martii diei respondebat, Xanthicum vespera diei 23 coepisse, sequitur. Luna sub meridiano Memphitico die 20, hora 8 vespertina siluerat; itaque Xanthicus vespera diei post novilunium quarti inchoatus est *h*).

Iam vero superest, ut indagemus, quando Nisanus festumque paschale illis annis, quibus Iesu mortem assignari posse vidimus, secundum ea, quae de Kalendis Iudaicis disseruimus, initium habere potuerint, ut, quid inde emolumenti ad solvendam quaestionem de anno vitae Christi ultimo redundet, perspiciamus. Quod quo facilius fieret, hanc subiecimus tabulam *i*).

Annus aerae Dion.		Novilunium Nisani.	Kalendae Nisani.	Dies Nisani XIV.	Dies hebdomadis.	Dies Nisani XV.	Dies hebdomadis.
31	Vulgar.	12 Mt. 12h 56′ mane;	13,[k] 14, 15 Mt.	26, 27, 28 Mt.	2,3, 4.	27, 28, 29 Mt.	3,4,5.
	Embol.	10 Ap. 2h 0′ vesp.	12, 13, 14 Ap.	25, 26, 27 Ap.	4,5, 6.	26, 27, 28 Ap.	5,6,7.
32	Vulgar.	29 Mt. 10h 57′ vesp.	31 Mt. 1,2 Ap.	13, 14, 15 Ap.	1,2,3.	14, 15, 16 Ap.	2,3,4.
	Embol.	28 Ap. 9h 15′ mane.	30 Ap. 1 Mj.	13, 14 Mai.	3, 4.	14, 15 Mj.	4, 5.
33	Vulgar.	19 Mt. 1h 16′ vesp.	21, 22, 23 Mt.	3, 4, 5 Ap.	6,7,1.	4, 5, 6 Ap.	7,1,2.
	Embol.	17 Ap. 9h 30′ vesp.	19, 20, 21 Ap.	2, 3, 4 Mai.	7,1, 2.	3, 4, 5 Mj.	1,2,3.

Petavius recte vidit (Doctr. temp. l. XIII, ad h. a.) *f*) Almag. l. IX, c. 7. l. XI, c. 7. *g*) Cf. Idelerus l. l. I, 396. *h*) Cf. idem l. l. I, 398. *i*) In definiendis noviluniis hac tabula propositis Wurmium secutus sum; quam vero ille omisit anni 32 neomeniam, quae Aprilis die 28 accidit, secundum Vegae tabulas computatam adieci. *k*) I. e., eo spatio, quod est inter vesp. diei 12 et vesp. diei 13; sed brevitatis causa in tota hac tabula eos nominavi fastorum Iulianorum dies, quorum vespera dies

Ex hac tabula intelligitur, anno 31, siquidem is intercalaris erat, diem Nisani 14 et 15, anno 33, siquidem vulgaris erat, diem Nisani 14, anno vero 32 neutrum in Veneris diem incidere potuisse. Atqui anno 33, ideo, quod ille annum sabbaticum proxime antecedebat *l*), Adarus alter adiiciendus erat *m*). Ergo neque annum 32, neque 33 (cui Iesu decessum alia quoque de causa vix ac ne vix quidem assignari posse, supra [p. 21 sq.] vidimus), pro ultimo vitae Christi anno haberi posse apparet. Quamobrem quum *unus* supersit *annus 31, hoc anno Iesum cruci affixum et in coelum reversum esse, ab eodem Lucam in Actis Apostolorum narrandi initium fecisse*, recte nos statuere arbitramur.

Iudaici, de quibus sermo est, ad finem perducti sunt. *l*) Erat hoc legis Mosaicae institutum, ut Israëlitae septimo quoque anno ab agris colendis abstinerent (Lev. 25, 1—7. Deut. 15, 1—11.). Quod praeceptum quum ante exsilium minus strenue secuti videantur, tamen post reditum e captivitate Babylonica religiosius observarunt, id quod tum e decretis nonnullis, quae a Iudaeae dominis in Iudaeorum gratiam edita sunt, quibus annorum septimorum tributa iis remittuntur (Ios. Ant. 11, 8, 5. cll. 6.; 14, 10, 6.), tum e regulis, quas magistri de annis illis celebrandis proposuerunt (v. misnae tract. שביעית), tum e locis veterum, quibus vel in universum annos sabbaticos ipsorum tempore actos esse indicatur (ep. ad Gal. 4, 10. cf. et Tac. hist. 5, 4.), vel diserte hunc illumve annum sabbaticum fuisse docetur. Primi enim Macc. libri auctor (6, 49. 53. cll. 10.) Bethsurorum incolas a. Sel. 150 (a. C. n. 163) ideo cum Syris pacem composuisse tradit, *ὅτι οὐκ ἦν ἐκεῖ διατροφὴ τοῦ συγκεκλεῖσθαι ἐν αὐτῇ, ὅτι σάββατον ἦν τῇ γῇ. Βρώματα δὲ*, pergit v. 53., *οὐκ ἦν ἐν τοῖς ἀγγείοις, διὰ τὸ ἕβδομον ἔτος εἶναι.* Quae quum de eo sint tempore dicta, quo iam omnes fere anni superioris fruges consumtae erant, locus de anno ad finem vergente intelligendus est. Hinc, anni sabbatici initium auctumno anni 164 a. C. n. factum esse, perspicitur; ab auctumno enim, qua tempestate seritur, atque, ut rabbini docent, a *Tisrio* mense, anni otiosi ducebantur (misna ראש חשׁ 1, 1.). Simili modo ex Iosephi archaeologiae l. 13, c. 8, §. 1, coll. 7, 4. et 1 Macc. 16, 14—16.) concluditur, ab auctumno anni 136 ad auctumnum a. 135 a. C. n., ex eiusdem operis l. 14, c. 16, §. 2. coll. 15, 1, 2., a Tisrio anni 38 ad eundem mensem a. 37 a. C. n. annum fuisse sabbaticum. Est denique haec Iudaeorum traditio, templum a Tito excisum esse anno sabbaticum secuto (במוצאי שביעית, seder Olam rabba, ed. Io. Meyeri, p. 91.). Iam quum templum dirutum esse constet anno p. C. n. 70, annus sabbaticus a Tisrio a. 68 ad eundem a. 69 p. C. n. mensem pertinuit. Ac si rationem inieris, inter a. 163 (i. e. 164—163.) a. C. n. et 135 annos *septies* quatuor, inter annos 135 et 37 *septies* quatuordecim, hinc ad a. p. C. n. 69 *septies* quindecim interpositos fuisse invenies. Ex hoc vero annorum sabbaticorum ordine, annum a. D. 34 (i. e. 33—34) otiosum fuisse, sequitur. Cf. de omni hoc loco Scaligerum, Petavium, des Vignolium, alios, a Fabricio bibliogr. antiq. p. 440 sq. laudatos. *m*) V. supra p. 32.

Cap. II.

DE TEMPORIBUS ACT. XI, 25—XII, 23. DESCRIPTIS.

Quum eorum, quae Lucas, exposito Iesu in coelum reditu, memoriae prodidit, haec sit ratio, ut, quo quidque tempore acciderit, non possit ea, qua opus est, et perspicuitate et brevitate demonstrari, nisi prius de rerum earum aetate disputatum fuerit, quae Act. capp. XI. et XII., et a cap. XV. usque ad XXVIII. continentur: neglecto, quo res ab eo narratae sunt, ordine, primum omnium *de eo* dicendum videtur *tempore, quo gesta sint, quae Act. XI,* 25 — *XII,* 23. *referuntur.*

Tradit autem Lucas, Paulum cum Barnaba per annum integrum Antiochiae docuisse, atque intra hoc spatium Christi asseclas primum Christianos esse appellatos (Act. 11, 25. 26.). Tempore eodem Hierosolymis prophetas venisse, quorum unus, Agabus nomine, praedixerit, orbem terrarum fame gravissima pressum iri; quam quidem famem revera Claudio imperatore ingruisse, Lucas testatur. Christianos igitur Antiochenos, postquam pro suis quisque viribus largitus esset, quo ii, qui in Iudaea versarentur, fratres pauperes sublevarentur, hanc stipem Paulo et Barnabae, ut Hierosolyma perferrent, tradidisse (11, 27 — 30.). Eadem aetate Christianos ab Herode rege vexatos, Iacobum, Ioannis fratrem, gladio interfectum, Petrum carcere inclusum esse; unde postquam ille non sine Dei numine evasisset, regem e Iudaea Caesaream reversum diem obiisse (cap. 12.).

Intra parvum haec omnia accidisse intervallum, ex tota narratione abunde apparet. Quod ut accuratius definiatur, primum de tempore eo, quo Herodes decesserit, dicendum est.

Omni autem dubio caret, Herodem, quem Iosephus Agrippam appellat [a]), anno a. D. 44. mortuum esse; Flavius enim, ad

---

a) Eundem esse, quem Lucas h. l. *Herodem*, atque quem Iosephus Ant. 18, 5, 4. capp. 6—8. l. 19, capp. 4—9. B. Iud. l. 2, capp. 9—11. alibique *Agrippam* vocat, et potestatis ambitus et mortis genus (cf. Sal. Ranischii disp. hist. critica de Lucae et Iosephi in morte Herodis Agrippae consensu, Lips. 1745, 4.) satis superque docet, ut mirandum sit, fuisse, qui h. l. tetrarcham Galilaeae et Peraeae intelligendum esse putarent, Hippolytum dico (de XII. apostolis), Sophronium, Erasmum, Robert. Baillium a Basnagio (ann. polit. eccl. ad a. 44. §. IV.) laudatos, inprimis Harduinum (de nummis Herodiadum, Paris. 1693, 4. p. 51 — 64.), cuius

eius obitum exponendum accessurus, τρίτον, inquit, ἔτος αὐτῷ βασιλεύοντι τῆς ὅλης Ἰουδαίας πεπλήρωτο[b]). Iudaeae totius regnum in Agrippam collatum est a Claudio paulo postquam ipse imperare orbi Romano coeperat[c]), i. e. paulo post diem, qui erat ante d. IX. Kal. Febr.[d]) anni 41. a. D. Agrippam igitur post initium a. 44. exspirasse necesse est. Quocum concinit, quod ab eodem memoratur, eum septimo principatus anno decessisse, postquam per quadriennium tetrarchiae Philippi (adiecta anno quarto Antipae quoque tetrarchia), per triennium toti regno Iudaico praefuisset[e]). Ceterum eius mortem non diu post festum paschale contigisse, ex iis, quae mox dicentur, patebit.

Diem regis *fatalem* Nicol. Nonnenius[f]) sextum Augusti mensis diem fuisse censet, quia festum illud, quod Agrippa sexto ante mortem die in honorem Caesaris agere coepit[g]), diem Claudii natalem fuisse arbitratur, quem quidem in Kal. Sextiles incidisse novimus*). Sed quoniam hic dies nimis est ab azymis remotus, ita potius statuendum esse videtur, Agrippam Claudii e Britannia reditum, qui initio anni 44. contigit[h]), celebrasse; nec tamen huius festi, eademque de causa nec mortis Agrippae diem accuratius definiri posse.

Constituto ultimo Herodis anno, cui tempori et Iacobi caedes et Petri vincula tribuenda sint, facile invenitur. Lucas Agrippam non ita multo post Petri fugam ex Iudaea Caesaream profectum, ibique mortuum esse indicat[i]). Rex igitur, quum apostolum in vincula coniiceret, *ultima vice in Iudaea* et quidem, uti ex omni rerum narratarum ratione apparet, *Hierosolymis*[k]) erat. *Saepe* autem *et li-*

---

de Herode nostro opinionem praeter alios Christoph. Cellarius refutavit (in diss., qua Fl. Iosephi de Herodibus historia a νοθείας suspicione contra Cl. V. Io. Harduinum iustis vindiciis asseritur, et nummis antiquis conciliatur, quae in eius dissertt. acadd. p. 207 sqq. reperitur, et in edit. Iosephi Havercampiana tom. II, p. 324 sqq., §. XII sqq.). Duo igitur ei nomina erant, quemadmodum et Archelao, quem Dio Cassius (55, 27.), et Philippo, primo Herodiadis coniugi (Matth. 14, 3. Marc. 6, 17.), quem Iosephus (Ant. 18, 5, 4. al.) Herodem appellat. Videlicet *Herodes gentis nomen* erat. b) Ant. 19, 8, 2. c) Ios. Ant. 19, 5, 1. d) Suet. Cal. 58. e) Ant. 19, 8, 2. Minus accurate B. I. 2, 11, 6. eum Philippi Antipaeque tetrarchias per *triennium* rexisse dicit; nam etsi ab initiis Caii Caesaris, quo tempore Agrippa tetrarchiae Philippi impositus est (Ios. Ant. 18, 6, 10.), ad Claudii usque imperium, quo toti Iudaeae praeesse coepit, non integrum effluxit quadriennium: hoc tamen spatium a quadriennio propius, quam a triennio abest. f) In diss. p. 41. not. q. laudanda, p. 19—21. g) Teste Iosepho, Ant. 19, 8, 2. *) Cf. Suet. Claud. 2. h) *Initio* anni 44. Claudium e Britannia rediisse, hinc colligimus. Reversus est C. Quintio Crispino, T. Statilio Tauro Coss. (cf. Dio, 60, 23.), sexto, postquam profectus fuerat, mense (cf. Dio l. l. Suet. Claud. 17). Quum Roma profecturus esset, τῷ Οὐιτελλίῳ, uti Dio refert (60, 21.) τῷ συνάρχοντι τά τε ἄλλα καὶ τοὺς στρατιώτας ἐνεχείρισε — καὶ γὰρ ἐξ ἴσου αὐτὸν ἑαυτῷ ἑξάμηνον ὅλον ὑπατεῦσαι ἐποίησεν — αὐτὸς δὲ ἐξεστρατεύσατο. Ex his apparet, Claudium sexto consulatus mense exacto iter instituisse. Iulio igitur mense profectus, Ianuario urbem repetiit. Eius reditus Romae festis splendidissimis celebratus est (cf. Dio, 60, 24.), cuius rei nuncio in Iudaeam allato (id quod vix prius, quam vere proximo fieri potuit), Agrippam, Caesaris amicum, et ipsum ludos instituisse, probabile est. i) Act. 11, 19—23. k) Nam quum festum paschale tum temporis ageretur (Act. 12, 3.), in quanam Iudaeae urbe, praeter Hierosolyma, eum fuisse putabimus? Cf. Lard-

benter in urbe sancta versabatur *l*); itaque nonnisi breve interfuisse putandum est spatium inter illud tempus, quo ultimum ibi degit, et quo, in urbe ab Hierosolymis remota, animam efflavit. Iam vero quum Petrus, qua aetate *azymorum festum* celebrabatur, in carcere esset, si de paschate anni 43. cogitaremus, integer fere annus inter ultimam Agrippae commorationem Hierosolymitanam eiusque mortem effluxisse existimandus esset; at quia nequaquam tantum inter utramque rem spatium intercessisse credibile est, *Petrum festo paschali anni 44. in vinculis fuisse*, colligimus. Quo quidem anno, nisi intercalatum est, Nisani luna silens diem tetigit Martii 18. horam 5. matut., azyma vespera Kalendarum Apr. aut secundi huius mensis diei agi coepta sunt; sin vero alter additus est Adarus, Nisani neomenia in diem Aprilis 16. hor. 2. pomerid., festi initium in vesperam 30. Apr. diei aut Kalendarum Maii, aut diei sequentis incidit.

Iacobum paulo ante Petri vincula occisum esse, omnium maxime probabile est. Lucas enim regem, postquam vidisset, populo Iacobi supplicium gratum fuisse, ad eandem poenam de Petro quoque sumendam accessisse refert; quem, quum sine dubio statim post Iacobi caedem de populi voluntate certior factus esset, *mox* curasse, ut maiorem etiam ex Petri supplicio favorem sibi conciliaret, quam maxime est consentaneum*). Itaque *Iacobi mors nisi in ipsum annum 44., at in ultima certe anni 43. tempora conferenda est* *m*). — Neque, quos Herodes Christianos praeter Petrum et Iacobum persecutus esse traditur (Act. 12, 1.), eorum vexatio ad tempora remotiora pertinere videtur, quum Lucas eam intra eandem regis commorationem Hierosolymitanam, qua Iacobus periit, accidisse, haud obscure innuat.

Sequitur, ut de *fame*, ad quam sublevandam Antiocheni stipem Hierosolyma miserunt, dicamus. Ubi si primum de *terra* quaeritur, quam ea fames infestaverit, Agabus, Luca teste, ὅλην τὴν οἰκουμένην vocavit. Quae quidem verba a nonnullis de tota republica Romana accipiuntur *n*); quam quia per omnem aetatem Claudianam nunquam fames universalis pressit**), Witsius *o*), Basnagius *p*), Nonnenius *q*), atque, ut videtur, Bengelius *r*) quoque Agabum ad

---

nerus l. l. I, p. 18. *l*) Ios. Ant. 19, 7, 3. *) At Iacobum ipso azymorum festo occisum esse, e Lucae narratione nequaquam, uti Paulus (comment. in evv. III, p. 550.) putat, sequitur. *m*) Obiter commemorare iuvat, diem, quo Iacobus interemtus est, vario modo traditione definiri; Afri enim, fortasse et Galli, olim martyris memoriam die Dec. 27. recolebant; nunc Latini Iulii die 25., Graeci die Aprilis ultimo celebrant; cf. Tillemontius l. l. I, 3, p. 906. *n*) V. g. ab Eusebio (can. chron. p. 72. B. ed. Bas. p. 269. ed. Aucher.), a Baronio (ann. ad a. Claud. 2. §. LXII.), ab Usserio (ann. mundi, ad a. m. 4755., Christi 42.), a Wolfio (in curis ad Act. 11, 28.), L. Cappello (in hist. apost. p. 10.), Witsio, Basnagio, Nonnenio, Bengelio, locis statim laudandis. **) Parum idonea sunt argumenta, quibus Basnagius (ann. ad a. 42. §. VI.) utitur, ut anno Claudii secundo famem in toto orbe Rom. grassatam esse probet; cf. p. 42. not. c. *o*) Melet. Leid. p. 41. *p*) Ann. ad a. 42. §. VI. Is, quamquam anno Claudii secundo totum imperium Romanum annonae caritate pressum esse opinatur, tamen Agabi vaticinium non ad hunc modo annum respexisse, sed annos omnes, qui regnante Claudio fame pallidi fuerint, complexum esse putat. *q*) In dissert. theol. de finibus a Deo per magnam famem regnante Claudio in orbe grassantem intentis, Bremae 1744, 4. §. 4—16., ubi probare studet, nul-

varias eiusmodi calamitates, quas nunc Romae, nunc in Iudaea, nunc in Graecia, Claudio imperante, saeviisse legimus, respexisse coniecerunt. Sed ut istae sententiae per se satis mirae sunt, ita non difficile est perspectu, verbis ὅλη ἡ οἰκουμένη nonnisi *Palaestinam* indicari, quae alias quoque a scriptoribus Iudaicis hoc nomine insignitur [s]); neque enim alio, nisi in *Iudaeam*, stipem ab Antiochenis missam esse legimus [t]), quamquam illa aetate alibi quoque Christianos fuisse constat, aeque Antiochenorum ope, si qua eos fames pressisset, indigentes [v]).

Quater autem Claudio imperatore annonae difficultas hic illic fuisse traditur: *primum Romae*, tribus prioribus Claudii annis (41—43.) [x]), *deinde* in *Iudaea*, Cuspio Fado et Tib. Alexandro procuratoribus [y]), *hinc* in *Graecia*, anno Claudii VIII. aut IX. [z]), ac *Romae denique* anno eiusdem X aut XI [a]). Praeterea Iudaei anno quoque septimo, quum ab agris colendis abstinerent, fame premebantur [b]), ideoque Palaestinam, quamdiu Claudius imperabat, bis annonae caritate ab anno otioso oriunda laborasse opus est, annis 41. et 48.; verumtamen, quia, si quis eiusmodi tempore Iudaeam fame vexatum iri praedixisset, Iudaeorum nemo *vaticinium* istud quidem appellasset, utpote quod de re egisset, quam futuram esse nemo ignorasset: ea, de qua Agabus locutus est, fames non potest esse, nisi quae Fado et Alexandro procuratoribus saeviit [c]).

---

lum fere fuisse imperii Claudiani annum, quo non haec illave terra fame laboraverit. r) Ord. temp. p. 274. Dicit enim, annonae difficultatem anno Claudii 2. Romae ortam serius, inprimis a. huius imperatoris 4., orbem pervasisse. s) Ita Luc. 2, 1., Ios. Ant. 8, 13, 4., ubi Achabus dicitur περιπέμψας κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τοὺς ζητήσοντας τὸν προφήτην Ἠλίαν. t) Act. 11, 29. v) Sermonem non esse nisi de fame, quae Iudaeam invaserit, praeter alios diligenter exposuit Lardnerus (l. l. I, p. 436—440.). x) Dio, 60, 11., hanc famem Claudio II. C. Caecina Largo Coss., i. e. anno Claudii secundo, grassatam esse, refert. Sed eius initium anno imperatoris primo ponendum esse, Pagius (critica in ann. Baronii, ad a. 42. §. VII.), Basnagius (ann. ad a. 42. §. VI.), Lardnerus (l. l. I, p. 442. not.), Nonnenius (l. l. p. 6.) recte docuerunt. Numus enim exstat Romanus, hoc anno cusus, in quo frumenti modius conspicitur, qui quidem typus, curam de re frumentaria a Claudio adhibitam indicans, in numis quoque anni sequentis invenitur (cf. Eckhelius, doctr. num. VI, p. 238 sq.), quo famem contigisse, a Dione modo didicimus. Accedit, quod Aurelius Victor (Caes. c. 4.) ortam sub Claudio annonae caritatem a Caligula inductam esse dicit, „dum, adactis toto orbe navigiis, pervium mare theatris curribusque damno publico efficere studuerit.“ Anno denique Claudii tertio famem Romae nondum prorsus cessasse, numi demonstrant hoc anno cusi, eadem, ac, qui modo descripti sunt, imagine insigniti (cf. Eckhel. l. l. VI, p. 239.). y) Ios. Ant. 20, 5, 2. z) Huius famis notitiam Eusebii canoni chronico debemus, cuius in versione armeniaca (p. 271. ed. Auch.) annus Caesaris octavus, in versione Hieronymiana (ed. Basil. p. 72. D.) annus nonus adscriptus est. a) De anno XI. Tacitus loquitur, qui calamitatem Claudio V. Ser. Cornelio Orfito Coss. accidisse tradit (Ann. 12, 43. cll. 41.), annum X. Eusebius ponit (can. chron. ed. Auch. p. 271. Basil. p. 72. D.), et, qui eum sequitur, Orosius (hist. 7, 6.). Nequaquam de rebus diversis, ut Nonnenius putat (l. l. p. 9.), utrique sermonem faciunt, sed aut Eusebius et Orosius errarunt, aut ea fames hieme saeviit, quae media erat inter annos Claudii X. et XI. b) Annos sabbaticos frugum inopia graves fuisse, uti per se patet, ita e variis veterum locis (cf. quae p. 38. not. l. e 1 Macc. libro et e Iosepho laudavimus) intelligitur. c) At

De qua quidem annonae caritate haec Iosephus memoriae prodidit: Claudio imperante, Ismaële pontifice maximo, Cuspio Fado et Ti. Alexandro praesidibus tantam in Iudaea fuisse frugum inopiam, ut frumenti assaron (quod chaldaicum est eius mensurae nomen, quae Omer Hebraeis dicitur d)) quatuor drachmis veniret, multique cibo deficiente perirent, ac miraculo simile esset, quod, quum azymorum festo fere septuaginta farinae cori in rei sacrae usum allati essent, sacerdotum nullus ne tantillum quidem abstulisset. Ea aetate forte fortuna Helenam, Izatis Adiabenorum regis matrem, prius una cum filio ad Iudaeorum ritus transgressam, Hierosolyma venisse, et, cognita hominum miseria, ablegasse, qui ex Aegypto frumenta, Cypro caricas propere adveherent; Izaten vero, re audita, Hierosolymitanorum proceribus multas misisse pecunias e). Atque in eo quidem, quod Flavius Ismaëlem tum temporis pontificatu functum esse dicit, error inest; neque enim apostolorum aetate ullus fuit pontifex max., qui Ismaëlis nomine appellaretur, nisi, qui Nerone imperatore sacerdotio ornatus est, Phabi filius f); procuratoribus vero Cuspio Fado et Tiberio Alexandro Elionaeus Canthera g), Iosephus Camydi F. h),

---

fuerunt tamen, qui iam ante hanc annonae caritatem famem in Iudaea grassatam putarent eam, ad quam Agabus respexerit; in quibus Basnagius (ann. ad a. 42. §. VI., ad a. 46. §. IV.) tempore eodem, quo Romae primum sub Claudio ciborum penuria laborarunt, i. e. a. 41. et 42., Iudaeam quoque fame pressam esse, existimat (quam quidem eadem de causa universalem merito dici arbitratur, cf. p. 41. not. **), hoc praeter alia, quae minoris sunt, argumento allato, quod annus 41. sabbaticus eoque ipso frumenti defectu gravis fuerit, unde quae orta sit fames, eam ad a. quoque sequentem pertinuisse suspicatur. Anno 41. famem in Iudaea fuisse, largimur; sed eam cur Agabus respexisse non putandus sit, supra demonstratum est; at, calamitatem ad a. 42. pertinuisse, sumitur, non probatur. Quod vero eiusdem mali mentionem a Iosepho factam esse putat Ant. 3, 15, 3., de eo quid sit statuendum, infra disquiremus. Petavius autem (doctr. temp. XI, 12.) et ipse famem ab Agabo praedictam in annum Claudii 2. confert, loco nixus Dionis, 60, 11., ubi fames, quae *Romae,* non, quae in *Iudaea* grassata sit, memoratur. d) V. Edu. Bernardi not. ad Ios. Ant. 3, 1, 6. e) Ios. Ant. 3, 15, 3. 20, 2, 6. 5, 2. De eadem re omnibus his locis sermonem esse, recte Krebsius (ad Act. 11, 28. p. 212.), et Hugius (l. l. p. 310.) monuerunt; etenim Iosephus, de iis, quae Claudio imperante in Iudaea acciderunt, loquens, nonnisi unam, nec semel illam quidem, commemorat famem, nae ille insignem terrae calamitatem, si brevi tempore interiecto iterum gravissima annonae caritas ingruisset, silentio non praeteriturus, praesertim quum ipse, famem et pestem mala omnium maxima esse, identidem (Ant. 10, 7, 4. 15, 9, 1.) fassus sit. Displicent igitur Basnagius et Nonnenius, qui famem Ant. 3, 15, 3. memoratam ab ea, cuius mentio fit 20, 2, 6. 5, 2. diversam esse ducunt; quorum alter (ann. ll. modo ll.) eam in annos 41. et 42. confert, alter, Nonnenium dico, (l. l. p. 10.) intra annum 52. (quo Ismaëlem pontificatum adeptum esse falso arbitratur) et a. 54. collocat. f) Ios. Ant. 20, 8, 8. g) Ios. Ant. 19, 8, 1. 20, 1, 3. Elionaeum *Cantheram* dicimus; multo enim probabilius est, Cantherae cognomen Elionaeo, Simonis Cantherae filio (Ant. 19, 8, 1. cll. 19, 6, 2. 4.), fuisse, quam Cantheram 20, 1, 3. memoratum Simonem illum esse, quem Elionaeo successisse, ne verbo quidem Iosephus innuit. Cf. etiam, quae de hac re infra monebimus. h) Ios. Ant. 20, 1, 3. 5, 2. Altero loco ὁ τοῦ *Καμεὶ*, altero ὁ τοῦ *Καμύδου* vocatur; sed utrumque nomen unum idemque esse (respondens, ut videtur, hebr. קמחית; cf. Iostii Gesch. d. Isr. tom. I. lib. V. not. 9. p. 46.), omnes concesserunt; excepto Schradero (d. Apostel Paulus, tom. I. p. 9.), qui, ratio-

fortasse et Ananias Nebedaei F.[i]) pontificatum tenuerunt[k]). Sed ad hos ipsos procuratores quod attinet, *Cuspius Fadus*, Iudaea post Agrippae I. mortem iterum in provinciae formam redacta, a Claudio huic terrae impositus est[l]). Is quamdiu hoc munus gesserit, non satis constat; hoc enim solum novimus, eum media anni 45. aestate etiamnum provinciae praefuisse. Nam in epistola quadam, quam Claudius Iudaeis misit una cum literis ad Cuspium datis[m]), haec legitur inscriptio: *Κλαύδιος Καῖσαρ Γερμανικὸς, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον, ὕπατος ἀποδεδειγμένος τὸ τέταρτον, αὐτοκράτωρ τὸ δέκατον* --- *Ἰουδαίων παντὶ ἔθνει χαίρειν*, subscriptio vero ita se habet: *ἐγράφη πρὸ τεσσάρων καλανδῶν Ἰουλίου, ἐπὶ ὑπάτων Ῥούφου καὶ Πομπηΐου Σιλουανοῦ*. Quintus Claudii tribunatus a die Ianuarii 24. anni 45. ad eundem usque diem anni sequentis pertinebat; subscriptionis verba priora, et haec inscriptionis vocabula: *αὐτοκράτωρ τὸ δέκατον*, de anno 45. sermonem esse, docent[n]). Neque est, quod nos turbent verba: *ὕπατος ἀποδεδειγμένος τὸ τέταρτον*· nam etsi Claudius consulatum quartum anno demum 47. gessit, tamen iam a. 45. designari sese iussit[o]). Consulum vero nomina noli, quia in fastis non inveniuntur, cum Baronio[p]) mutare; neque enim ordinarios, sed, qui tum suffecti erant, Claudius vocavit[q]). — *Tiberius Alexander*, nisi paulo ante Claudii annum octavum, at hoc ipso certe anno Cumanum habuit successorem[r]), h. e., inter diem Ian. 24. anni 48. eundemque anni sequentis diem. Ac quia procuratorem media hieme, mari clauso, iter in provinciam fecisse non est consentaneum, Cumanum serius anno 48. Tiberio Alexandro successisse, recte, puto, negamus.

Quae quum ita sint, famem, quae Fado et Alexandro procuratoribus Iudaeam pressit, ei temporis spatio, quod ab a. 44. ad annum usque 48. effluxit, includendam esse apparet. Sunt autem, quae nos moveant, ut eam ne 48. quidem annum attigisse credamus. Etenim ab auctumno anni 47. ad auctumnum sequentem annus agebatur sabbaticus; quo quum non sereretur, inde a vere a. 48., quae messis faciendae tempestas est, ad eandem anni 49. aetatem, qua novae metebantur fruges, terra fame vexata est. Iam nisi inter eam frugum inopiam, quae Cuspio praeside initium cepit, et hanc, quae ab anno otioso orta est, maius quoddam spatium intercessisset, caritas ea, de qua Iosephus loquitur, quia a fame anni sabbatici statim ex-

---

ne non addita, parum recte, Iosephum Cami filium a Camydi filio diversum esse, statuit. i) Ios. Ant. 20, 1, 3. k) Num forte Flavii error inde fuerit derivandus, quod, quum plures essent, talmude quidem teste, Camydi (קמחית) filii, ex quibus Ismaëles, Simon, Iosephus, Iudas commemorantur, Ismaëlem cum Iosepho permutavit? A rabbinis certe quatuor illi viri interdum confunduntur (v. Iostii Gesch. d. Isr. tom. II. not. 4a ad lib. VI, p. 75 sq.) l) Ios. Ant. 20, 1, 1. m) Quam Iosephus servavit Ant. 20, 1, 2. n) E numis enim et lapidibus veteribus constat, Claudium anno 44. imp. VIII., anno 45. imp. XI. dictum esse, ita ut hanc, quae in epistola invenitur, appellationem intra a. 44. et 45. ortam esse necesse sit. Cf. Eckhelius (doctr. num. tom. VI, p. 248 sq.). o) Cf. idem (l. l. p. 249.). p) Annal. ad a. Claud. 6. Christi 48. §. XXIX. q) V. Pagius (crit. in ann. Bar. ad a. 46. §. IV.), Basnagius (ann. ad a. 45. §. II.). r) Ios. Ant. 20, 5, 2: *Τιβερίῳ δὲ Ἀλεξάνδρῳ Κούμανος ἀφίκετο διάδοχος, καὶ τελευτᾷ τὸν βίον Ἡρώδης ὁ τοῦ μεγάλου βασιλέως*

cepta esset, non ad *Alexandri* solum, sed etiam ad *Cumani* tempora pertinuisse, quid quod hoc procuratore maxime saeviisse dicenda fuisset. Qua de causa *annonae difficultatem* a Flavio memoratam *non minimo ante ver a. 48. tempore finitam esse, nec ultra annum certe 47. durasse* arbitramur.

Porro si quaeritur, *quamdiu* fames tenuerit: *unum* certe *annum* ei tribuendum esse, hinc conficitur. Iosephus, ubi tradit, malum azymorum festo tantum fuisse, ut frumenti assaron quatuor drachmis veniret, sine dubio de eo loquitur tempore, quo miseria ad summum fere adscenderat fastigium; quem quidem illa gradum antequam attingeret, necesse est, ut iam per idoneum duraverit spatium. At nequit nisi inde orta putari, quod messis terrae sterilitate aliave calamitate perierat; nam quominus direptos fortasse post messem feliciter peractam cibos credas, impedit, quod nihil, unde, eiusmodi quid factum esse, recte concludere possis, tum temporis in Palaestina accidit [s]). Circa festum igitur paschale, qua aetate metere in Iudaea incipiunt, fames primum ingruit, neque brevius ei intervallum, quam quod inter duo interfuit paschata, i. e., quam unus certe annus, assignari facile potest. An vero caritas diutius terram vexaverit, definire non audemus. Nam quod nonnulli opinantur, de pluribus cogitandum esse annis, quia fames duobus sub procuratoribus grassata narretur [t]), id, quamquam veri specie non caret, tamen, quia, modo calamitas ultimos alterius praefecti, primos alterius menses complexa fuerit, licet unius anni spatium non excedens, duobus sub praesidibus saeviisse recte dici potest, non aptum est persuasioni excitandae. In eo igitur acquiescendum esse ducimus, ut *famem intra a.* 44. *et* 47. Iudaeam pressisse atque, si de eius *initio* quaesiveris, id *a. aut* 44., *aut* 45., *aut* 46. *circa azymorum ferias factum esse*, contendamus.

Fuerunt quidem, qui, miseriam ipso a. 44. ortam esse, ex Act. 12, 20. concluderent [v]), ubi Tyrii et Sidonii brevi ante Herodis Agrippae mortem a rege irato pacem petiisse perhibentur *διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς* (sc. *χώρας*), quibus verbis hoc indicari putant, annonae gravitatem, quae Phoeniciam infestare coeperit, Tyrios Sidoniosque permovisse, ut, quoniam huic malo facillime frumentis e Palaestina advectis mederi se posse intelligerent, ab Agrippa huius terrae rege, nescio cur iis succensente, pacem orarent [x]); ac quoniam Phoenice Palaestinae finitima est, in hac quoque terra famem iam initium cepisse consentaneum ducunt.

Ἀγρίππα ἀδελφὸς, ὀγδόῳ τῆς Κλαυδίου Καίσαρος ἀρχῆς ἔτει. s) Ad contentionem inter Philadelphenos et Pereae incolas ortam (Ios. Ant. 20, 1, 1.) provocare ridiculum esset. t) Lardnerus (l. l. I, p. 444 sq.), Krebsius (obss. ad Act. 11, 28. p. 210 sq.), Eichhornius (Einl. in's N. T. t. II, p. 56. 59.), Süskindius (l. l. I, p. 171.), qui tamen serius (cf. eius dissertt. var. argum., quas sub titulo: Vermischte Aufsätze, meist theol. Inhalts, edidit C. F. Süskindius fil. Stuttgart. 1831, 8., p. 241.) ab hac sententia recessit. v) Lud. Cappellus (hist. apost. append. p. 51.), Tillemontius (hist. des empereurs, tom. I. part. 2. p. 841.), Heinrichsius (prol. in Acta, p. 54. et in comment. ad Act. 12, 20.). — Nonnenius (l. l. p. 22.) annonae caritatem, a. 44. ortam, eo, quod Tyriis agrorum sterilitate laborantibus, pace composita, frumenta allata sint, *auctam* esse existimat. x) Ita iam Chrysostomus, hom. XXVI. in Acta, ad Act. 12, 20: *ἠτοῦντο εἰρήνην· τοῦτο ποιοῦσιν, ἐπειδὴ λιμὸς ἦν.*

Sed quia Palaestinam Tyriis et Sidoniis propter sterile Phoeniciae solum *quotannis* frumenta largiri opus erat [y]): parum idoneo illam argumentationem fundamento niti, quis est quin videat?

Neque certius tempus famis exortae e locis Iosephi, Ant. 20, 1, 2. — 2, 6. definire licet, ubi, commemorata Claudii epistola illa, quae a. d. IV. Kal. Iul. anni 45. scripta est, paucis interiectis, narratio additur de Helena regina cum Izate filio ad Iudaeorum ritus transgressa et famis tempore in urbem sanctam profecta; unde fuerunt, qui, famem vel a. 45, vel a. 46. aut initium cepisse [z]), aut durasse certe [a]), colligerent. Ubi quamquam non illud urgemus, quod verba: *κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν*, quibus Helenae et Izatis historia cum antecedentibus nectitur (Ant. 20, 2, 1.), non respiciunt ad tempus literarum a Claudio scriptarum, sed ad aetatem eam, qua Herodes Chalcidis rex, potestatem pontifices maximos creandi ab imperatore adeptus, Iosephum Cami filium sacerdotio ornaverat (ibid. c. 1, §. 3.); — nam haec quoque certe non serius anno 45. gesta esse, quam maxime est probabile —: hoc tamen urgemus, quod neque haec ipsa dicendi forma: *κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν*, ad tempus accurate describendum valet, neque ad narrationem de adventu Helenae in urbe Hierosolymitana, sed ad historiam de eius transitu ad Iudaeorum sacra pertinet. Accedit, quod, si vel ex his locis sequeretur, Helenam serius, quam illa Claudii epistola data est, Iudaeis opem tulisse: tamen, quia nec constat, quanto post subvenerit, nec, quamdiu, quum subveniret, malum iam duraverit, ne tempus quidem, quo fames *saevierit*, multo minus, quo *initium ceperit*, definiri posset.

Agabi de hac calamitate vaticinium brevi, antequam Paulus et Barnabas ad eam levandam cum stipe Antiochenorum Hierosolyma se conferrent, prolatum esse, Acta luculenter docent; nam quum verba cap. 11, v. 27: *ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις*, quibus tempus, quo propheta Antiochiam venerit, designatur, non possint nisi de anno illo intelligi, cuius mentio fit v. 26: Agabum intra eum annum Antiochiam adiisse apparet, quo finito Paulus et Barnabas Hierosolyma profecti sunt [b]). Ad idem intervallum nominis Christianorum origo pertinet [c]).

Constitutis igitur limitibus iis, intra quos annonae caritas coepisse existimanda sit, num ex ista temporis definitione harum rerum aetatem eruere liceat, dispiciendum est. Quod quidem fieri omnino posse,

---

y) Cf. 1 Reg. 5, 9. 11. Ez. 27, 17. Ios. Ant. 14, 10, 6. z) Ita Petavius (doctr. temp. XI, 12.), qui de a. 45., Basnagius (ann. ad a. 42. §. VI. sub fin., ad a. 46. §. IV.), Süskindius (vermischte Aufsätze, meist theol. Inhalts, p. 241 — 243.), qui de a. 46. cogitant. a) Sic Lud. Cappellus (hist. ap. append. p. 49.), qui famem a. 44. ortam, a. 45. ab Helena sublevatam putat; Pagius (crit. ad a. 46. §. VII.), qui, quamquam initium mali a. 44. ponit, Helenam tamen a. demum 46. advenisse censet. Cum Pagio se consentire fatetur Krebsius (obss. ad Act. 11, 28. p. 211.). b) Bertholdtius quidem (Einl. t. V. p. 2735—2737.) annum, qui Act. 11, 26. commemoratur, tum demum, quum Paulus, Hierosolymis Antiochiam redux, hinc Seleuciam proficisceretur (Act. 13, 3. 4.), finitum esse ratus, iter Hierosolymitanum *intra* hunc annum susceptum esse putavit, cuius opinionis argumentum ex his cap. 11, v. 27. verbis petiit: *ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις*; verum ea ad tempus, quo Agabus advenit, non, quo P. in Iudaeam se contulit, spectare, in aprico est. Cf. anonym. in Bengelii archiv. t. IV. part. 1. p. 41. c) Cf.

non defuit, qui negaret *d*), hoc usus argumento, quod, quum fames *praedicta* fuisset, neque P. et Barn. *propter famem iam exortam, sed propterea, quod propheta quidam, eam futuram esse, cecinisset*, Hierosolyma missi esse dicantur, inveniri non possit, quanto ante penuriae initia et Agabi vaticinium et duumvirorum illorum iter Hieros. ponendum sit. Sed *primum* omnium mirum sane fuisset, si Antiocheni stipem Hierosolyma misissent, antequam certo cognovissent, utrum vera Agabus praedixerit, necne; de quo quidem tum demum constare potuit, ubi vaticinio res ipsa respondere coepit *e*); *deinde*, quid, quaeso, si Antiochenos Paulum cum Barn. ante famem in Iudaeam ablegasse concesserimus, quid, inquam, causae fuisse dicemus, quod, antequam opus esset, stipem mitterent, neque in colligendis potius pecuniis pergerent, ut maiore etiam auxilio fratres miseros adiuvarent *f*)? Quae si quis reputaverit, is ita statuendum esse intelliget, Paulum et Barnabam circa initium famis Hierosolyma missos, nec multo prius Agabum vaticinatum et eadem fere tempestate Christianorum nomen ortum esse *g*). Quatenus igitur rei frumentariae caritatem a. vel 44., vel 45., vel 46. terram Iudaicam premere coepisse posueris, eatenus iter quoque Hierosolymitanum uno ex his annis susceptum, Agabi autem vaticinium et nominis Christianorum originem certe nec ante a. 43., nec post a. 46. collocari posse censebis.

Neque accuratius harum rerum aetas e loco Act. 12, 1 sqq. constitui potest, ubi Lucas Herodem Agrippam circa eadem tempora Christianos vexasse, ac deinde Caesareae obiisse (quas quidem res a. 44., fortasse et a. 43. tribuendas esse vidimus) memoriae tradidit. Nam quum verbis: κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, quibus cap. 12, v. 1. utraque narratio coniungitur, hoc innuatur, ea, quae cap. 12. refe-

---

c) Act. 11, 28. *d*) Anonymus in lib.: Neue theol. Annalen, ed. a Lud. Wachlero, tom. I. p. 356 sq. *e*) Cf. Küchlerus (de anno, quo P. apost. ad sacra Christiana conversus est, p. 24.). *f*) Praeterea Küchlerus, fame iam orta stipem collectam Paulo et Barn. Hierosolyma perferendam traditam esse, inde concludit, quod Lucas (Act. 11, 28. 29.) de his rebus post famem commemoratam verba faciat. Sed voces v. 28: (λιμὸν), ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου, obiter adiectae sunt, ut, postquam de vaticinio sermo fuerat, lector statim disceret, huic praedictioni eventum respondisse. — Neque Eichhornii placet argumentatio, qui (in diss.: Ueber die Weissagungen des christl. Propheten Agabus, in: Bibl. d. bibl. Litt. tom. VI. part. I. p. 22 sqq., inprimis p. 28. et 30., et in isagoge in N. T. tom. II. p. 59.), ut explicaret, qua tandem ratione Agabus praedicere potuerit, magnam in Pal. famem futuram esse, prophetam post prima demum calamitatis initia Antiochiam venisse, et facta ex ea miseriae facie, quae tum iam conspicua fuerit, conclusione, famem magnopere auctum iri, pronuntiasse censet. Facile enim patet, Lucae verba, nisi torqueantur, hoc sibi velle, ab Agabo *exorturam* demum frugum inopiam, eamque gravem, non *maiorem* famis *iam ortae vehementiam* praedictam esse. *g*) Ex his, neque cum Heinrichsio faciendum esse, apparet, qui (prol. in Acta, p. 54.) famem quidem a. 46., sed vaticinium et iter Hieros. iam a. 44. ponit; nec cum Bengelio, qui (ord. temp. p. 274.) illam a. 44., haec vero iam a. 41. collocat; nec cum Calvisio, qui quum (op. chronol. p. 441. 444.) annonae caritatem ad a. 47. referat, vaticinium et quae cohaerent, ad a. 38. pertinere arbitratur. Neque melius Io. Sueurius (hist. de l'église et de l'empire, Genev. 1674, 4. t. I. p. 149. 155.) iter quidem et famem a. 44., sed vaticinium iam a. 42. tribuit.

runtur, gesta esse aut intra illud temporis spatium, de quo proxime sermo fuerat, aut huius intervalli limites non nimium excessisse: eiusmodi esse apparet hanc dicendi formam, qua *laxius*, quando quid factum sit, definiatur. Ac quoniam nostro loco, quae proxime antecedunt, narrationem continent earum rerum, quae intra annum illum, quo Barn. et P. Antiochiae docuerant, hac in urbe acciderant: verbis κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον indicatur, persecutionem Herodianam regisque mortem aut ad ipsum illum annum, aut ad tempus certe ab eodem non ita multum remotum pertinere. Qua de causa per vim horum verborum, quae tum Antiochiae gesta sunt, non solum eodem, quo Agrippae persecutio, tempore accidisse, sed et eam vel antecessisse, vel secuta esse existimari possunt[h]). At negari tamen nequit, id quod recte alii iam observarunt[i]), ipsam orationis seriem haud obscure indicare, Agrippae in Christianos facinora et ultima fata aliqua certe rerum Antiochenarum parte priora fuisse. Nam Lucas, quum relatis iis, quae Antiochiae evenerant, arcto illis quidem nexu inter se iunctis, ea adderet, quae circa eandem aetatem in Palaestina acta sunt, hanc historicorum consuetudinem secutus esse videtur, qua non ubique singula eo, quo gesta sunt, ordine exponunt, sed, iis, quae cohaerent, sermone continuo narratis, alia, quae interea temporis contigerunt, post demum adiicere solent. Quae quidem de loci nostri ratione sententia rei naturae magis accommodata videtur, quam quod Schraderus[k]), Hugius[l]), et, qui Hugium sequuntur, Koehlerus[m]) et Hemsenius[n]), statuunt, res illas Antiochenas et Palaestinenses eodem sese ordine excepisse, quo in Actis proponuntur[o]). —

---

h) Itaque minus firmo nituntur argumento, qui verbis: κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν fulti Pauli Barnabaeque iter ipso illo tempore, quo Agrippa Christianos persecutus periit, institutum esse censent; in quibus Bertholdtius (Einl. V, p. 2707 sq.) et Kuinoelius (prol. in Acta, p. XXV.) tempus accuratius etiam definiunt collato secundo epistolae ad Gal. capite, in quo Paulum de eadem profectione verba facere existimant. Qui quia huius cap. v. 9. de Iacobo domini fratre ex illorum sententia ita loqui videtur, ac si solus eorum, qui Iacobi nomine vocabantur, apostolorum, tum superstes, Iacobus igitur Zebedaei filius supplicio iam affectus fuisset, cum Petro vero Hierosolymis se collocutum esse narrat: iter Hieros. post Iacobi maioris caedem, sed ante Petri vincula, factum esse putarunt. At, quod Iacobum attinet, inde, quod is l. l. nullo insignitur, quo a Iac. Zebedaeide discernatur, cognomine, nequaquam, ut viri illi docti opinantur, hoc sequitur, nonnisi unum tum in vivis fuisse Iacobum; nam postquam P. cap. 1. v. 19. eum additis: τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, iam satis a reliquis omnibus distinxerat, eius nomine sine hoc additamento repetito, per se patebat, de nullo alio sermonem esse. Cf. anon. in Bengelii archiv. t. IV. part. I. p. 38 sq. Num vero recte iter Gal. cap. 2. relatum pro eodem habeatur, ac quod Act. 11, 30. commemoratur, infra disquiremus. i) Ita Küchlerus (l. l. p. 25 sq.); cf. et Bertholdtius (l. l. V, p. 2707.), Kuinoelius (comment. in Acta, prol. p. XXV.). k) L. l. p. 60 sq. l) L. l. p. 308 sq. m) In lib.: Versuch über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften im N. T. und der Apokalypse, Lipsiae, 1830, 8., p. 55 sq. n) In lib.: Der Apostel Paulus, Gottingae, 1830, 8. p. 50. not. 27. o) Aliis alii rationibus aut vaticinii Agabei, aut itineris Hierosolymitani tempora definire student. Basnagius (ann. ad a. 40. §. XV.), Nonnenius (diss. I. p. 16.), Bengelius (ord. temp. p. 274.), Semlerus (proleg. in paraphr. ep. ad Gal. p. 77.) prophetam, antequam Claudius imperio potiretur, vaticinatum

Quamdiu Paulus cum socio Hierosolymis fuerit, nescimus; at suspicari certe licet, eos, stipe tradita, quoniam alia iis negotia non videntur iniuncta fuisse, mox Antiochiam rediisse.

His ita expositis, eorum, quae Act. XI, 25 — XII, 23. continentur, hunc fuisse ordinem arbitramur, ut

Pauli in urbem Antiochenam adventus ad annum pertineret 43. 44. aut 45.;
nominis Christianorum origo et Agabi vaticinium inter a. 43. et 46.;
stipis collectio et iter a P. et B. Hieros. factum ad a. 44. 45. aut 46.;
famis initium ad primam anni 44. 45. aut 46. aestatem, eiusdem finis ad eandem fere anni 45. 46. aut 47. tempestatem;
Christianorum persecutio et Iacobi caedes ad a. 43. exeuntem aut ad a. 44. ineuntem;
Petri vincula ad tempus paschale anni 44.;
Agrippae obitus ad a. 44. paulo post azymorum festum.

---

esse, censent, ita statuentes illi quidem, Lucam, quum verbis Act. 11, 28: (*λιμὸν*,) *ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου*, non *vaticinium*, sed *famem* aetati Claudianae tribuat, tacita oppositione innuere, praedictionem hac aetate non esse factam. Quod quidem argumentum levissimum esse, non est, quod moneamus. Süskindius (in Bengelii archiv. I, I, p. 169—172. II, p. 316.), quum iter Hieros., de quo nunc locuti sumus, idem esse putet, ac quod Gal. 2, 1. commemoratur, temporis nota illic obvia ad inveniendum huius profectionis annum utitur; quae argumentatio quam sit incerta, infra docere conabimur. De Ammonii quoque (in diario, quod ipse edidit, critico, I, 3, p. 235.) et de Wettii (Einl. II, p. 205. 215.) sententiis, qui, iter illud a Paulo ne susceptum quidem esse, coniiciunt, serius dicetur.

Cap. III.

DE TEMPORIBUS EARUM RERUM, QUAE ACT. CAPP. XV—XXVIII. CONTINENTUR.

Dicturis nobis de aetate, qua gesta sint, quae inde a XV. Actorum cap. traduntur, tum demum ratione et ordine progressura disquisitio videbatur, si, quum de iis disseruissemus intervallis, quibus altera res ab altera fuerit remota, postea, quibus singulae annis tribuendae essent, quaereremus.

A.

Quibus temporis intervallis res singulae a se invicem remotae fuerint.

Postquam Paulus et Barnabas a primo, quod ad gentes edocendas susceperant, itinere (Act. 13, 4—14, 26.) Antiochiam reduces per idoneum temporis spatium in ea urbe versati erant (14, 27. 28.), lis orta est de hac quaestione, utrum ethnicis ad Christi castra transgressis ab observandis ritibus Mosaicis, inprimis a circumcisione, immunibus esse liceret, necne. Quamobrem uterque Hierosolyma profectus, habito ista de quaestione apostolorum concilio interfuit (15, 1—29.). Inde ubi cum apostolorum decreto reversi sunt (15, 30—35.), Barnabas cum Marco Cyprum, Paulus cum Sila in Asiam minorem transiit (15, 36—40.). Ac Paulus quidem, peragrata Cilicia et Lycaonia, ubi prius iam docuerat, et Timotheo in itineris societatem accepto, per Phrygiam migravit Galatiamque, et, quum non liceret disciplinam salutarem ad Asianos, Mysios et Bithynos perferre, Troadem petiit, unde in Macedoniam vectus, constitutis ecclesiis Philippensi, Thessalonicensi, Beroeensi, Athenas et Corinthum se contulit (15, 41—18, 1.). Qua quidem in urbe per annum et sex menses moratus, dum in Syriam navigat, Ephesi paulisper mansit; deinde, postquam Hierosolymis festum aliquod celebraverat, et Antiochiae aliquamdiu degerat, Ephesum rediit, ubi per tres menses in synagoga, per biennium in schola Tyranni cuiusdam docuit (18, 1—19, 40.). Epheso relicta, per Macedoniam profectus, in Graeciam venit, unde post tres menses Hierosolyma reversus est (20, 1—21, 26.). Ibi in vincula coniectus, et Caesaream ad Felicem procuratorem deportatus, biennio praeterlapso

a Festo, Felicis successore, Romam missus est; quo quum navigaret, per tres menses in Melita insula hiemis causa detentus, proximo vere in urbem pervenit, ibique biennium in libera custodia exegit (21, 27—28, 31.).

Haec quamquam a Luca ita sunt descripta, ut, quantum spatii inter singulas res intercesserit, haud raro facile perspicere liceat, nonnulla tamen intervalla e sola Actorum narratione accuratius definiri non possunt. Ad quae quidem certius constituenda quum multum nobis utilitatis praebeant epistolae Paulinae intra profectiones illas scriptae: novae tamen inde oriuntur difficultates, quod harum epistolarum quo quaeque in itinere scripta sit, inter viros doctos ambigitur. Itaque fuit, quum operae pretium facturum me esse existimarem, si, antequam de intervallis rerum singularum exponerem, meum de historicis illarum epistolarum rationibus iudicium literis mandarem. Sed postquam intellexi, hac via inita, fore, ut multa bis terque repetenda essent, ita potius rem instituendam esse duxi, ut, si de quo temporis spatio agerem, ad quod haec illave epistola pertinere vel aliis, vel mihi videretur, allatis sententiae meae argumentis, in usum meum eas converterem notas, quae ex illis litteris ad tempora recte definienda peti possent.

Ac primum quidem sine ulla difficultate illud temporis intervallum invenitur, quod ab initio ultimae, quam Paulus suscepit, profectionis Hierosolymitanae ad eam usque aetatem intercessit, in qua describenda Lucas Actis finem imposuit. Nam Philippis apostolum post festos azymorum dies solvisse (Act. 20, 6.), circa pentecosten Hierosolymis advenisse (20, 16.) [a], paucis diebus interpositis in vincula coniectum (21, 27 sqq.), ac mox Caesaream ad Felicem procuratorem deductum esse (23, 33.); Caesareae per biennium integrum a Felice servatum (24, 27.) [b], a Festo auctumni tempestate (cf. inpr. 27, 9.) *)

---

a) Bertholdtius (l. l. V, p. 2726. VI, p. 3375 sqq.), quoniam, quae Act. 20, 6. 16. continentur, temporis notae ei, quem ipse statuit, temporum Paulinorum ordini repugnant, loco priore pro verbis: μετὰ τὰς ἡμέρας τῶν ἀζύμων: μετὰ τὰς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς (at potius exspectaveris: μετὰ τὴν ἡμέραν τ. π., cll. Act. 2, 1.) scribendum, alterum vero locum prorsus omittendum esse opinatur, refragantibus codd. omnibus, ne cod. quidem Cant. excepto, in quo quia Act. 20, 16. verbis: ὅπως μὴ γένηται αὐτῷ χρονοτριβῆσαι, alia, sed quae sensum eundem fundunt, et in graecis et in vers. lat. substituta sunt, Bertholdtius spuriae huius commatis originis vestigium quaerit; tametsi lectionis vulgaris (quae putat) vitia ab errante etiam auctoris ipsius memoria derivari posse censet. Ac iure ita se his de locis sentire, eo probare studet, quod Paulus, quum Mileti esset (20, 15 sqq.) sperare non potuerit, fore, ut post dies 19 (tot enim e Bertholdtii computatione illo tempore ad pentecosten usque supererant) Hierosolyma veniret. Quod quidem argumentum quam sit infirmum, posthac videbimus. b) Baronius (ann. ad a. Neronis 2. Christi 58. §. CLIX.) hoc biennium non ab initio vinculorum Pauli, sed ab eo tempore, quo Felici a Nerone Caesare praefectura, quam Claudio imperante acceperat, confirmata fuerit, ducendum putat. Similis est Harenbergii sententia (in bibl. Bremensi, class. VII. p. 893.), qui biennium ab eo numerat anno, quo Felix a Claudio toti Iudaeae impositus est. Sed Lucas, quo loco biennium illud commemoravit (Act. 24, 27.), proxime de Paulo capto et de iis, quae sub initium huius captivitatis gesta essent, locutus fuerat, non iniecta mentione praefecturae Felici aut a Claudio tributae, aut a Nerone confirmatae. *) Vocabulo τῆς νηστείας Lucam h. l. so-

in Italiam missum, Melitae per tres menses detentum (28, 1. 11.), ac sub initium anni insequentis Romam vectum esse, ibique per biennium degisse (28, 30.), ex Actis intelligitur; unde, *totum hoc intervallum, quod Act.* **20, 6—28, 31.** *describitur, integrum fere complecti quinquennium*, apparet.

Philippos autem, unde post pascha in Iudaeam profectus est, Paulus e Graecia, et quidem, ut plerique recte statuunt, Corintho [c]) venerat, ubi per tres menses versatus fuerat (20, 3.). Itineri Corintho Philippos facto quam minimum temporis impendisse existimandus est; nam quum Corintho iamiam in Palaestinam navigaturus, Iudaeorum insidiis coactus fuerit, ut in Macedoniam profectus hinc demum in Iudaeam veheretur (Act. l. l.): sine dubio, ne iter Palaestinense nimis differret, celerrime Macedoniam petiit. Corintho Athenas perveniri posse bidui spatio, Hugius recte adnotat; qui quidem ex Antonini itinerario hoc quoque demonstrat, Athenas inter et Thessalonicam interposita esse milliaria Romana 264, i. e. 53 fere milliaria geographica; inter Thessalonicam et Philippos milliaria Romana 94, geographica fere 19. [d]) Itaque si quina milliaria geogr. singulis tribueris dierum itineribus: Corintho Philippos usque 16 fere dierum itinera esse intelliges. Additis igitur aliquot diebus, quibus Paulo ad vires recreandas hic illic subsistendum erat, ne integro quidem mense ad iter illud perficiendum opus fuisse perspicies. Quae quum ita sint, apostolum *quatuor fere mensibus, antequam pascha ageretur*, ergo hieme aut ineunte, aut aliquantulum iam profecta *Corinthum adiisse*, concludimus.

Hanc vero in urbem Paulus venerat, postquam Epheso profectus Macedoniam lustraverat; quod quidem iter quantum complexum sit intervallum, ex utraque ad Corinthios epistola discimus. Quarum quae prima vocatur, in Asia proconsulari, atque, ut maxime probabile est, Ephesi [e]), aliquamdiu ante pentecosten [f]), circa festum, ut videtur, paschale [g]) exarata est, tempore eo, quod Act. 19, 21 sq.

---

lenne festi expiationis, quod X. Tisrii die agebatur, ieiunium denotare, contra varias aliorum opiniones recte defenderunt Iac. Hasaeus (in bibl. Brem. cl. I. p. 21—24.) Petr. Ad. Boysenius (in eclogis archaeologicis ad difficile Paulli iter Act. XXVII. c. IX. Halae Magdeb. 1713, 4. p. XVI—XXVIII.), Wolfius (in curis ad Act. l. l.). c) V. prae ceteris Act. 19, 21. 20, 1-3. cll. 1 Cor. 16, 3—7. d) L. l. II, p. 367. Loci ex itinerario Antonini allati in ed. Wesseling. p. 326—328. 320—321. leguntur. e) Cf. 1 Cor. 16, 8. 19. f) V. 1 Cor. 16, 8. g) Cf. 1 Cor. 5, 6—8. Sunt quidem, qui hinc quidquam ad tempestatem, qua epistola scripta sit, definiendam concludi posse negent, Henkius (in notis ad Paleyii hor. Paulin. p. 413 sqq.), Eichhornius (Einl. in's N. T. III, p. 138. not.), de Wettius (l. l. II, p. 238.), Ad. Curtius (de tempore, quo prior Pauli ad Timotheum epistola exarata sit, Berol. 1828, 8. p. 48.), Schraderus (l. l. p. 132.). Sed rectius Bensonius (Gesch. der ersten Pflanzung der christl. Rel., aus d. Engl. übersetzt von Joh. Peter Bamberger, tomis II, Hal. 1768, 4. tom. II. p. 173.), Ch. Fr. Schmidius (hist. antiq. et vind. canonis sacri V. N. que T. Lips. 1775, 8. p. 614.), Paleyius (hor. Paul. p. 79.), Michaëlis (Einl. in d. N. B. II, p. 1211.), Bertholdtius (l. l. VI, p. 3348 sq.), Hugius (l. l. p. 364 sq.), Süskindius (l. l. II, p. 322 sq. not.), Schottus (isag. in ll. N. F. p. 235., quamquam rem nonnisi *satis probabilem* dicens), Koehlerus (l. l. p. 81—84.), Hemsenius (l. l. p. 273.) ex illo loco,

describitur; altera in itinere Macedonico, quod Paulus secundum Act. 20, 1. 2. Epheso relicta iniit, composita esse iure dicitur h). In-

---

epistolam aut, quum azyma agerentur, aut paulo ante hoc festum scriptam esse collegerunt. Nam etsi homines probi omni tempore cum panibus fermento carentibus comparari possunt, tamen, quid causae fuerit, quod Paulus hanc allegoriam latius persequeretur, quod Christum *pascha* nostrum esse moneret, quod sanctam agendi rationem ἑορτάζειν vocaret: id, nisi circa ea tempora, quibus haec scribebat, revera festum aliquod, et quidem festum paschale celebraretur, vix intelligatur. h) Utriusque epistolae tempora recte ita definiri, non dubium est. Locus enim 1 Cor. 16, 1 sqq. docet, Paulum, quum priores literas consignaret, Ephesi vel in Asia certe proconsulari versantem, Timotheum Corinthum ablegasse, et hoc cepisse consilii, ut per Macedoniam Corinthum, et, si consentaneum videretur, in Iudaeam proficisceretur, ad stipem, quae ipso auctore tum colligebatur, Hierosolyma perferendam. Quibuscum ex omni fere parte concinunt, quae Act. 19, 21. 22. (cll. 24, 17.) sub finem longioris Pauli in urbe Ephesiorum commorationis gesta esse traduntur. In secunda vero epistola Paulum ex Asia profectum (cf. 2 Cor. 1, 8.) per Macedoniam migrantem (2 Cor. 2, 13. 8, 1. 9, 2. 4.) et Corinthum aditurum (2, 1. 12, 14. 13, 1. 2. al.), atque in eo occupatum deprehendimus, ut Corinthios ad stipem colligendam admoneat (capp. 8. 9). Quae quidem egregie conveniunt partim cum consilio, quod P. in 1. ad Cor. ep. pronuntiaverat, partim cum Act. 20, 1. 2. Nihilominus K o e h l e r u s (l. l. p. 74 sqq.) literas utrasque eo tempore seriores ducit, quod Lucas in Actis complexus est; ad quam sententiam fulciendam quae attulit argumenta, breviter in disceptationem vocare liceat. Ac *primum* quidem concedimus (cf. Koehler. l. c. p. 74–78.), e locis certe 2 Cor. 12, 14. 13, 1. patere, Paulum, antequam haec scriberet, *bis* Corinthi fuisse, qua de re infra plura dicentur; hoc quoque largimur, apostolum secundum Acta ante illud tempus, cui epp. ad Corr. tribui solent, nonnisi *semel* in hanc urbem venisse; at hinc illud potius sequi, epp. nostras post tempora in Actis descripta exaratas esse, quam, Lucam iter aliquod Pauli Corinthiacum omisisse, id nemini aegrius damus, quam Koehlero, qui Lucam non solum iter Pauli Arabicum (Gal. 1, 17.) silentio praeteriisse non neget, verum adeo Gal. 1, 18. profectionem quandam Hierosolymitanam, a Luca non relatam, commemorari putet. — Idem (p. 79.), admissa vulgari de tempore epp. sententia periculum, cuius 2 Cor. 1, 8—10. mentio fiat, pro eodem habendum esse existimat, quod Act. 19, 23—40. narretur; quod quia nequaquam apostolum in vitae discrimen adduxerit, Paulum illo respicientem dicere potuisse negat: ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν (2 Cor. 1, 8.). Negamus et ipsi; sed et hoc negamus, Paulum, si alteram ad Cor. ep. in itinere Macedonico Act. 20, 1. 2. tradito exaravit, alius periculi, quam de quo Act. 19, 23 sqq. sermo est, rationem habere non *potuisse*. Cf H a s e l a a r i u s (de nonnullis Actuum Apostolicorum et epistolarum Paulianarum ad historiam Pauli pertinentibus locis, Lugd. Batav. 1806, 8. p. 110.), C u r t i u s (l. l. p. 35—38.). — *Porro* (ibid.), quoniam, ubicunque apostolus in 2. ad Cor. ep. ad priorem, quam Timotheo absente scripserit, et ad suum, qualis tum fuerit, animi statum respiciat, prima utatur *numeri singularis* persona (1, 15—17. 23. 2, 1-10. 7, 8-10.): *pluralia* illa, quae 2 Cor. 1, 8-10. inveniuntur, simul ad Timotheum referenda esse ducit. Itaque hac etiam de causa ista de tumultu Act. 19, 23—40. tradito intelligi non posse contendit, quia illo tempore Timotheus apud Paulum non fuerit. Locos Act. 19, 23 sqq. et 2 Cor. 1, 8—10. de rebus diversis agere, modo concessimus; hoc etiam demus, non sine probabilitate pluralia illa de Paulo et Tim. simul intelligi *posse*; at, quod K. Timotheum inter tumultum Demetrianum Ephesi non fuisse censet, id non largimur. Nam unde tandem constat, Timotheum e Macedonia non rediisse Ephesum? quod etsi Lucas diserte non *dicit*, idem tamen non *negat*. Cf. prae ceteris C u r t i u s, l. l. p. 40 sqq. — Sed K o e h l e r u s, „paucissimae," ait (p. 79 sq.), „calamitatum earum, quae 2 Cor. 11, 24. 25. recensentur, in Actis narrantur." At quid,

telligitur autem e 1 Cor. 16, 8., Paulum ad pentecostes usque festum Ephesi manere voluisse. Sed ex hoc loco recte concludi, apo-

---

quaeso, hinc sequitur, nisi, Lucam non omnia, quae ad Pauli res pertinent, memoriae tradidisse? — „Locus," pergit (p. 80.), „1 Cor. 11, 5. (potius 9, 5.) Iacobum domini fratrem, Hierosolymorum episcopum, quem veteres omnes nunquam ex illa urbe discessisse testantur, tam iam supplicio affectum fuisse supponit." Iacobi mortem K. anno 62. collocat (p. 53.); tempore eodem Paulum Romae captivum fuisse censet (ibid.); iam quum 1 ad Cor. ep. non sit Romae exarata: eam post captivitatem Romanam conscriptam esse iudicat. At e l. l. non aliter id, quod K. deduxit, concludi potest, nisi articulum ante v. *ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου omnes* domini fratres indicare putaveris. At is non *omnes*, sed *certos illos* domini fratres, quos et itinera facere et uxores circumducere constabat, designat. — *Deinde* (p. 80.) ei sententiae, quae sola cum vulgari de tempore scriptae 1. ad Cor. ep. statuendi ratione convenit, ex qua hae literae Ephesi vel prope Ephesum exaratae esse creduntur, repugnare dicit locum 1 Cor. 16, 20., quia, qui ibi commemorentur *ἀδελφοὶ*, neque *Asiani* esse possint, utpote quorum mentio facta iam sit v. 19., neque *Corinthii* cum Paulo versantes, quia soli ex istorum numero tum apud apostolum fuerint Stephanas, Fortunatus et Achaicus (quippe quos ipse Corinthiorum locum apud se explevisse dicat v. 17.), neque post eorum discessum quisquam ex ecclesia Corinth. in Pauli societate degerit. Sed ut omittamus, nequaquam certum esse, quod K. supponit (p. 136.), Stephanam, Fort. et Ach. hanc ep. Corinthum tulisse, ideoque brevi post eam exaratam Paulum reliquisse: nonne, quos P. l. l. dixit, *πάντες οἱ ἀδελφοὶ*, esse possunt omnes omnino Christiani, quorum nomine apostolum alibi quoque (Rom. 16, 15.) salutasse novimus? Philippis autem epistolam compositam esse, Euthalium secutus, verisimile ducit; quam sententiam confirmari putat loco 1 Cor. 16, 5. (*Μακεδονίαν διέρχομαι*); praeterea loco 15, 32. verba *ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ* argumento esse censet, literas Ephesi non esse conscriptas; cap. vero 16. v. 8. vocem *ἐπιμενῶ* de commoratione futura, quam ap. sibi proposuerit, intelligi posse dicit (p. 80.). Quae quidem omni probandi vi carere, quis est, quin intelligat? — Circa festum azymorum primam ad Cor. ep. exaratam esse, cum plerisque, et recte quidem, ut videtur, K. e loco huius ep. 5, 8. concludit (cf. supra p. 52. not. g.). Id vero convenire negat cum sententia vulgari, ex qua hae literae circa tempus Act. 19, 21 sq. descriptum sint compositae, quum Pauli ex urbe Ephesina discessus (quem K. *brevi* post hanc ipsam aetatem collocandum esse ducit, p. 54.) auctumno factus sit (p. 81—83.). At, perperam statui, Paulum auctumno Ephesum reliquisse, infra demonstrare studebimus. — *Porro* (p. 83 sq.) minime probabile esse ait, Paulum, quum circa auctumnum (?) consilium Hierosolyma proficiscendi pronuntiasset, duosque adeo socios praemisisset (Act. 19, 21 sq.), mox abitum ex Ephesiorum moeniis in pentecosten proximam distulisse (1 Cor. 16, 8.), atque hoc sibi insuper proposuisse, ut annum integrum itineri in Syriam faciendo impenderet (cll. Act. 20, 6. 16.). At Paulus, si vel illud consilii auctumno elocutus esset, quidni suam ex Ephesiorum urbe profectionem, variis permotus causis, in pentecosten sequentem detrudere potuerit, non video; deinde quonam tandem argumento probari potest, e vulgari sententia ita iudicandum esse, *proposuisse* sibi ap., ut anni demum intervallo praeterlapso Hierosolyma peteret? Tametsi nequaquam mirum fuisset, si Paulus, quum videret, in collectione stipis haud parum temporis consumtum iri, iter Hieros. in proximum demum annum conferre decrevisset. — Locis Act. 19, 21 sq. 24, 17. Rom. 15, 32. 33. 1 Cor. 16, 1 sqq. 2 Cor. capp. 8. 9. negat de eodem erano sermonem esse (p. 84 sq.). Dicit enim, 1) Paulum, quum ad Corinthios scriberet, dubium haesisse, utrum Hierosolyma veheretur, necne (1 Cor. 16, 4. 2 Cor. 10, 15.), at ea aetate, de qua Lucas Act. 19, 21. loquatur, firmissime eumdem apud animum constituisse, primum Hierosolyma, deinde Romam adire (19, 21. cll. 20, 22.) nullis cessurum impedimentis (Act. 20, 23. 24. cll. Rom. 15, 5. (potius 25.) 28. At, *quam firmum* fuerit hoc Pauli consilium, quum *Ephesi* de-

stolum revera ad illud usque tempus Ephesi versatum esse, multi negant. Ac **Michaëlis** [i]) quidem, **Eichhornius** [k]), **Bertholdtius** [l]), **Hugius** [m]), **Vaterus** [n]) Paulum prius discessisse statuunt, permotum tumultu a Demetrio aurifice contra ipsum eiusque socios excitato. Sed ut taceam, temere poni, seditionem istam non circa idem tempus, quo P. proficisci iam dudum constituerat, ortam esse: neque turba ipsa talis erat, quae P. ad fugam capessendam cogere posset, utpote qui ab amicis *retinendus* esset, ne inter multitudinem se conferret (Act. 19, 30 sq.); neque post tumultum sedatum erat,

---

geret, Lucas non indicavit; loci enim Act. 20, 23. 24. (aeque ac Rom. 15, 25. 28.) de seriore agunt tempestate, 2) *Deinde* monet (p. 84.), Paulum in neutra earum, quas ad Cor. misit, epistolarum Romae videndae desiderium commemorare, quod, quum ep. ad Rom. scriberet (quam brevi post eam aetatem, cui 2. ad Cor. ep. vulgo tribuitur, compositam esse, Koehlerus cum plerisque recte censet), totum eius animum penetraverit. Sed, ut concedamus (quod non largimur), verbis: *τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν* 2 Cor. 10, 15. non Romam, sed solas regiones proxime ab occidente Corinthi sitas denotari: num, quaeso, *Corinthiorum* aeque ac *Romanorum* referebat, nosse, quantopere Paulus *Romam* adire cuperet? — 3) „Locus Act. 19, 22.," ita K. pergit (p, 85.), „Timotheum cum Erasto in Macedoniam missum esse, docet, locis vero 1 Cor. 4, 17. 16, 10. de solo Timotheo Corinthum ablegato sermo est." Nec mirum, si Erasto (id quod suspicari certe licet) mandatum erat, ut in Macedonia maneret. Ea certe, quae Rom. 16, 23. leguntur, non impediunt, quominus Erastum serius Timotheo Corinthum venisse arbitremur. — 4) „At *Titus*, cuius tam crebra et honorifica in altera ad Cor. ep. mentio fit, in ep. ad Rom. data ne commemoratur quidem (p. 85.)!" Quid vero? si aut Romanis ille cognitus non erat, aut tum temporis apud Paulum non versabatur? — 5) „Sed neque *Lucae* nomen," ait (ibid.), „qui ab ecclesiis electus erat, ut apostolo in itineribus socius esset (2 Cor. 8, 19.), in literis ad Romanos scriptis invenitur." At quonam tandem argumento *ἀδελφὸς* ille 2 Cor. l. l. memoratus *Lucas* potius cum Origene, Hieronymo, Chrysostomo, aliis, quam cum aliis *Barnabas*, vel *Silvanus*, vel *Apollos*, vel *Timotheus* habendus est? — 6) *Porro*, „beneficia," dicit (ibid.), „de quibus Rom. 15, 26 sq. verba fiunt, a *solis Macedoniae et Achaiae ecclesiis, nulla accedente Pauli admonitione* (*εὐδόκησαν*) collecta sunt; sed ad collectionem eam, de qua in 1. ad Cor. ep. sermo est, *Galatae* quoque contulerunt (1 Cor. 16, 1.), *neque* eam Macedones, *nisi Paulo hortante*, fecerunt (2 Cor. 9, 2.), quid quod Corinthii tam tardos sese praebuerunt, ut Paulus eos (2 Cor. c. 9.) hanc ab causam *increparet*. At neque verbum *εὐδοκεῖν* admonitionem omnem necessario excludit, neque ad Romanos pertinebat, scire, utrum sponte sua, an increpati demum Corinthii eranum coëgissent. Quod vero ad Galatas spectat, eorum pecuniae aut nondum advenerant, quum ep. ad Rom. scriberet, aut non a Paulo, sed ab aliquo ex ipsorum numero electo Hierosolyma perlatae sunt; ap. enim l. l. de stipe a se ipso in Palaestinam ferenda loquitur (cf. v. 25.). - - His igitur postquam K. probare studuit, de rebus diversis capienda esse, quae Act. 19, 21 sq. 24, 17. Rom. 15, 32 sq. et quae 1 Cor. 16, 1 sqq. 2 Cor. capp. 8. et 9. continentur, ea *denique*, quae 1 Cor. 7, 26. 2 Cor. 8, 2. 1 Cor. 15, 29. 32. leguntur, ad *persecutionem Christianorum a Nerone motam* respicere, certum esse putat (p. 85 sqq.). Verum istud quidem tum demum credemus, ubi non solum demonstratum fuerit, hanc persecutionem Romae moenia excessisse, sed et locos illos de nulla alia, quam de Neroniana vexatione intelligi *posse*; id quod a Koehlero praestitum esse, non possumus quin negemus. — Ceterum H. **Planckius** (Bemerkk. üb. d. erst. Paulin. Br an d. Tim. Gott. 1808, 8. p. 90.) cur 2. ad Cor. ep. in itinere Act. 20, 3. 4. tradito scriptam esse putet, ipse non docuit. *i*) Einl. in d. N. B. II, §. 185. p. 1244. *k*) Einl. in's N. T. III, p. 47-49. 169. *l*) L. l. V, p. 2725. VI, p. 3353. 3360. *m*) L. l. p. 319. 377. *n*) In sua N. T. edit. p. 537. *o*) L. l.

quod citius proficisceretur; nam quum inter asiarchas ipsos essent, qui apostoli rebus favebant (ibid. v. 31.), magistratus praesidium, si vel repetita esset seditio, ei praesto erat. Accedit, quod Paulus, uti recte Curtius monet[o]), quem de tota hac quaestione conferri velim[p]), convocata Christianorum concione Ephesiis valedixit, id quod, si quid ei a plebe etiam tum metuendum fuisset, audere vix potuisset. Itaque quum Lucas apostolum paulo post tumultum compositum Epheso abiisse innuat[q]), ita iudicamus, forte accidisse, ut eodem fere tempore, quo P. proficisci decreverat, turbae ab aurificibus moverentur. — Bertholdtius[r]) quidem et Vaterus[s]) sententiam suam loco 2 Cor. 1, 8—11. tueri student; nam quoniam, quod apostolus ibi commemorat, summum periculum, id cum aliis multis seditioni Demetrianae acceptum referunt, Paulum, ut *vitae consuleret* (cll. 2 Cor. 1, 8: *ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν*), Epheso fugisse colligunt. At ap. l. l. nequaquam ad hunc respicere tumultum, supra monuimus[t]). — Sed et aliud est quiddam, quod Bertholdtio[v]) certe de sententiae suae veritate persuasit. Etenim quod Paulus Epheso relicta Titum, quem ea conditione Corinthum miserat, ut revertens in itinere se conveniret, contra quam exspectaverat, Troade non reperit (2 Cor. 2, 12.), inde explicandum esse ducit, quod apostolus, quum Epheso iusto prius excessisset, Troadem prius, quam antea constituisset, pervenerit. At Paulus non simpliciter, se Titum non convenisse, sed, quia non convenerit, *anxium* sese redditum esse, narrat. Iam vero nonne permirum esset, si Paulus, prius, quam sibi proposuerat, profectus, sollicitus fuisset, quod socium ibi non reperisset, quo ille, citioris Pauli discessus ignarus, tum iam pervenisse vix ac ne vix quidem poterat? Quid quod ex hoc ipso loco illud potius apparet, apostolum non ante, quam constitutum esset, Ephesum reliquisse; nisi forte eum in itinere Troadem facto diutius moratum esse putaveris; quod quomodo conciliari possit cum eius desiderio Titum quam primum conveniendi, non intelligitur[x]).

Süskindius[y]) et Schraderus[z]) Paulum serius pentecostes festo Epheso abiisse putant. Ac Schraderi quidem argumenta quaenam sint et quam parum valeant, infra demonstrare studebimus; Süskindium vero quod attinet, is, festum a Paulo, antequam Ephesum migraret, Hierosolymis celebratum (Act. 18, 21. 22.) aut pascha aut pentecosten fuisse ratus, quum itineri Ephesum facto duos menses cum mensis dimidio, commorationi in hac urbe biennium ac tres

---

p. 35. *p*) Ibid. p. 35-39. *q*) Act. 20, 1. Quo loco verbis: *μετὰ τὸ παύσασθαι τὸν θόρυβον, προσκαλεσάμενος ὁ Π. τοὺς μαθ.-ἐξῆλθεν*, multo aptius hoc indicari statuitur, Paulum *brevi* post tumultum abiisse, quam (quae Hemsenii est sententia, l. l. p. 307. not. 39.), inter seditionem et apostoli discessum nihil memorabile accidisse. *r*) L. l. VI, p. 3352. 3571. *s*) In sua N. T. edit. l. l. *t*) P. 53, not. h. — Ceterum cf. Curtius (l. l. p. 35-38.). *v*) L. l. VI, p. 3360 sq. 3499. *x*) Cf. Curtius (l. l. p. 38 sq.). Ceterum Paulum propter tumultum Demetrianum Epheso fugisse, Schleiermacherus quoque (üb. d. sogen. erst. Br. des Paul. an d. Tim., Berol. 1807, 8. p. 119.), G. Boehlius (über die Zeit der Abfassung und den Paulin. Charakter der Brr. an Tim. u. Tit. Berol. 1829, 8. p. 181. not.), et Hemsenius (l. l. p. 345.) recte negant. *y*) L. l. II, p. 323-326. *z*) L. l. p. 130. *a*) Koehlerus, cui per suam de tem-

menses (cll. Act. 19, 8. 10.) assignaret, non potuit, quin apostolum Septembri fere Epheso discessisse arbitraretur. Sed etiamsi concedimus, Act. 18, 21. 22. aut de azymis aut de pentecoste sermonem esse, licet parum idoneis hanc sententiam V. D. probare studuerit argumentis, qua de re postea dicetur: illud, quod statuit de intervallo itineris Ephesini et de tempore eo, quod ap. hac in civitate transegerit, largiri nullo modo possumus. At de his quoque infra demum disputandi locus erit. Revera autem Paulum certe non multo serius, quam in priore ad Cor. ep. promiserat, Ephesum reliquisse, hinc, credo, apparet, quod Corinthii, qui apostolum inconstantiae insimulabant, quia non, uti primum decrevisset, ad se prius, quam ad Macedones, se contulisset (2 Cor. 1, 15 sqq.), sine dubio hoc quoque vitio ei vertissent, quod *serius,* quam pollicitus esset, *iter Corinthiacum suscepisset.* Sed quominus eos hoc apostolo obiecisse censeamus, eo impedimur, quod Paulus hanc rem non, uti alteram illam, in 2. ad Cor. ep. excusat. Quae quum ita sint, apostolum, quemadmodum sibi proposuerat, *circa pentecosten Epheso profectum esse,* et, quia circa hiemem ineuntem Corinthi advenit, *anni fere dimidium itineri impendisse,* nostro nos iure defendere arbitramur [a].

Paulus Ephesi per tres menses in synagoga, per biennium in Tyranni schola docuisse traditur (Act. 19, 8. 10.). Verum cum hac temporis descriptione parum convenire videtur, quod idem in oratione coram presbyteris Ephesinis habita, γρηγορεῖτε, ait, μνημονεύοντες, ὅτι τριετίαν νύκτα καὶ ἡμέραν οὐκ ἐπαυσάμην μετὰ δακρύων νουθετῶν ἕνα ἕκαστον. Quos quidem locos ut secum invicem conciliarent, alii alias ingressi sunt vias. Sunt enim, qui trium mensium bienniique intervallum numero, quem dicimus, rotundo triennium vocari putent [b]; alii Paulum omne temporis spatium, quod in universum Ephesi exegerit, et quum primum, et quum altera vice ibi esset (Act. 18, 19—21. c. 19.), respicere credunt [c]; alii apostolum illud quoque tempus, quod, ex quo primum Ephesum adierat, usque ad secundum in hanc urbem adventum, in itineribus consumserat, in rationes referre censent [d]; alii denique Paulum, ex quo altera vice Ephesum venerit, revera per triennium vel plenum vel fere plenum ibidem mansisse existimant [e]. Ante omnia igitur ut de ea dicamus

---

pore scriptae prioris ad Cor. ep. sententiam in hac quaestione loco 1 Cor. 16, 8. uti non licuit, Paulum auctumno Ephesiis valedixisse putat (p. 54.). Scilicet postquam demonstraverat, Paulum Decembri fere Epheso Corinthum venisse (Act. 20, 1—3.), hoc ipsum iter diutius, quam duos fere menses, durasse negat, quia Lucas eius intervallum non accuratius definiverit. At hanc argumentationem nullius esse momenti, vix est, quod moneamus. *b*) Baronius (ad a. C. 55. §. II.), Eichhornius (Einl. in's N. T. III, p. 41 sq.), Boehlius (l. l. p. 175.). *c*) Baronius, minus sibi constans (ad a. C. 58. §. XLIV.), Basnagius (ann. ada. 55. §. XIII.), Wolfius (in curis ad Act. 20, 31.), Witsius (melet. Leid. p. 112.), Hofmannus (ad Pritii introd. in lect. N. T. p. 257.), Kuinoelius (ad Act. l. l.), Emmerlingius (in proleg. in 2 ad Cor. ep. p. XXII sq.), Schottus (is. in ll. N. F. p. 234 sq.). *d*) Heinrichsius (ad Act. l. l.), Koehlerus (l. l. p. 54 sq.). Similiter Moshemius (Erklärung der Briefe an den Timoth. p. 48 sqq.) Paulum post tres menses in synagoga Ephesina exactos novem menses itineri alicui Macedonico, quod propter suam de tempore exaratae 1 ad Tim. ep. sententiam interponendum esse censet, impendisse, eosque a Paulo biennio tribusque mensibus adnumeratos putat.

sententia, qua biennium et tres menses e populari numerum integrum pro parte nominandi consuetudine τριετίας vocabulo insigniti esse putantur, monendum est, biennium additis sex pluribusve mensibus, neque vero, si trimestre modo spatium adiunctum sit, numero rotundo triennium apte nuncupari. Neque ii, qui tempus alterius commorationis Ephesinae addi voluerunt, hac ratione multum sunt lucrati. Etenim Paulus, quum primum Ephesum venisset, hanc urbem nonnisi per paucos dies vidit; quid quod eam tum temporis ne aditurus quidem fuisse videtur, *Corintho* quippe in *Syriam* navigans, nisi Aquilae et Priscillae, Ephesi mansuris, comes esse voluisset. Itaque postquam, oblata sibi opportunitate usus, cum Iudaeis semel in synagoga collocutus erat, persuaderi sibi non passus est, ut diutius moraretur (Act. 18, 18—21.). Hinc intelligitur, Paulum tum vix ultra unam hebdomadem Ephesi substitisse. Quod vero praeterea utrique earum, de quibus modo locuti sumus, sententiarum obstat, videlicet, quod apostolus, si per triennium se fecisse dixisset, quae per intervallum non multo longius biennio executus esset, absolvi non posset grandiloquentiae cuiusdam *f*), idem, quominus ad eorum transeamus partes, qui eum itinera inter primam alteramque commorationem Ephesinam confecta biennio tribusque mensibus adnumerasse existimant, quam maxime impedit. Quibus de causis rectius sentire ii videantur, qui Paulum revera per triennium Ephesi fuisse censent. Inter quos Curtius, Boehlius et Schraderus ita hos locos cum Act. 20, 31. conciliare studuerunt, ut, quae usque ad Act. 19, 20. relata sunt, biennium cum tribus mensibus, quae vero ad cap. usque 20. vers. 1. sequuntur, tantum temporis complexa esse arbitrarentur, quo annus tertius aut penitus, aut fere penitus expleretur *). Qua quidem ratione etsi prima specie omnis difficultas optime expediri videtur, sunt tamen, quae obstent. Nam si P. biennio illo praeterlapso, quod reliquum erat temporis, in Tyranni auditorio traduxit, explicari nequit, cur nonnisi ad eam usque aetatem hac in schola docuisse tradatur, de qua ad v. usque 20. cap. 19. verba fiunt; sin vero alibi exegit, vix quisquam dixerit, quidni Lucas aeque ac vv. 8. et 10. et hunc locum et tempus ibidem absumtum accuratius

---

e) Curtius (l. l. p. 24 sqq.), Schraderus (l. l. p. 130 sq.), Hemsenius (l. l. p. 344.). Suspicatur et Boehlius (l. l. p. 175.). — Ceterum Schottus (in progr., cui inest isagoge hist. crit. in ep. Pauli ad Gal. Jenae 1829, 4. p. 23 sq. not. 9. et in isag. in ll. N. F. p. 234 sq.) biennium Act. 19, 10. commemoratum illos quoque tres menses, quos P. in synagoga traduxit (ibid. v. 8.), complexum esse, ideoque Paulum vere nonnisi per *biennium*, additis fortasse aliquot hebdomadibus, Ephesi fuisse censet. De *biennio* Petavius quoque cogitat (doctr. temp. XI, 12.), allato ad eam sententiam confirmandam ipso, qui ei contrarius est, loco Act. 20, 31., ubi de *biennio* sermonem esse, per errorem credidisse videtur. *f*) Obiicere possis, inde, quod Lucas haec verba Paulo tribuat, non sequi, hunc iis revera usum esse; sed minus tamen recte haec obiicias; etenim Lucam huic ipsi orationi interfuisse, ex eo recte concluditur, quod in itinere eo, in quo haec dicta sunt, apostoli comes fuit; et satis accurate eum Pauli verba repetiisse, ex omni sermonis ratione apparet, ut quae egregie Pauli ingenium ac vel loquendi consuetudinem referat. *) Singularis est Schraderi sententia, qui ultimam illam temporis inter Ephesios peracti particulam interiecto longiore quodam Pauli itinere a fine mensium 27

descripserit. Nam quominus, Curtium secuti, eum verbis: *ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν* (v. 22.) innuisse putemus, Paulum abhinc *loca Epheso vicina* obambulasse, eo impedimur, quod v. 23., ad res transgressus haud dubie Ephesi gestas, ne verbo quidem indicavit, has non in regione circumiacente, sed in ipsa urbe primaria accidisse.

Omnibus autem rite perpensis, ita facillime utramque temporis notationem conciliari credimus, ut Lucam *διετίας* vocabulo non accuratissime annos duos, sed, populari usum loquendi consuetudine, spatium paucis mensibus longius significasse, apostolum igitur per biennium et sex vel septem menses Ephesi mansisse, atque hoc intervallum numero rotundo *τριετίαν* appellasse existimemus *g*).

Ac Paulum revera diutius, quam per menses XXVII, Ephesi fuisse, alio quoque argumento comprobatur. Scilicet si per hoc tantummodo spatium ea in urbe degisset, quoniam circa pentecosten discessit, Februario vel Martio advenisset. Ephesum Antiochia, *χρόνον τινὰ* ibi versatus, sese contulerat (Act. 18, 22. 23.), quae quidem urbes XXX dierum itinere a se invicem distabant *h*). Qua de causa apostolus, si vel maxime festinasset, mensem certe huic profectioni impendisset. At longius ei sine dubio tempus assignandum est. Erat enim haec Pauli consuetudo, ut, ubicunque Christianorum coetus esset, ibi, modo fieri posset, aliquamdiu commoraretur. Quam rem clarissime testatur ultimum, quod P. Hierosolyma fecit, iter; in quo, licet ei festinandum esset (Act. 20, 16.), tamen per festos azymorum dies Philippis (20, 6.), per dies VII Troade (20, 6.) et Tyri (21, 4.), *ἡμέρας πλείους* Caesareae (21, 10.) versatus est, ac diutius inter Ephesios mansisset, nisi properasset ad pentecosten Hierosolymis celebrandam, tametsi Ephesiorum causa aliquantum certe Mileti haesit (20, 16 sqq.). Ita quum Paulus ageret, *ubi festinandum erat*, profecto non minus temporis spatium in itinere illo Ephesino iis in locis degisse iudicandus est, in quibus Christiani versabantur, quum *non esset, quod maturaret* *i*). Huc accedit, quod apostolus in eadem profectione Christianorum fidem et virtutem confirmasse traditur (Act. 18, 23.). Itaque in turbis hic illic sedandis, in falsis doctoribus redarguendis, in hoc illove ad veram viam reducendo, aliisque, quae cohaererent, non minimum temporis consumendum erat. Quibus de causis ita demum recte de hoc itinere statuemus, si duos

---

seiunctam fuisse existimat; qua de re infra pluribus dicetur. *g*) Idem Hemsenius sibi velle videtur (l. l. p. 344.). *h*) Cf. Philostorgius (H. E. 1, 8.), laudatus ab Hugio (l. c. p. 439.). *i*) Sunt quidem, qui eum hoc iter festinantius perfecisse existiment, Süskindius (l. l. II, p. 324.), Bertholdtius (l. l. V, p. 2725.), Curtius (l. l. p. 28.), partim, quia concisa Lucae narratio de celeritate itineris cogitare iubeat, praesertim quum apostolus nonnisi uno in loco, ibique per breve tantum tempus (*χρόνον*) mansisse tradatur, partim, quia P., postquam in priore apud Ephesios commoratione (Act. 18, 19—21.) praeviderit, in eorum urbe magno cum fructu doctrinam salutarem propagatum iri, ea re, ut festinaret, permotus fuerit. Sed ex his argumentis quod primum commemoravimus, quantum valeat, facile ab eo perspicietur, qui recordatus fuerit, iter Epheso Corinthum inter pentecosten et hiemem ineuntem factum duobus a Luca innui versibus (Act. 20, 1. 2.), *χρόνου* autem vocabulum vulgo certe (cf. p. 60 sq.) longius designare intervallum; alte-

tresve, ne plures dicam, menses ei tribuerimus. Iam vero, si P. Februario vel Martio Ephesum advenisset, aut mediam per hiemem migrasset, aut, quia ea tempestate nec ab aliis, nec a Paulo peregrinationes suscipi solebant [k]), in aliqua Asiae minoris urbe hiemasset. Atqui Lucas in omni itinere Hierosolymis Ephesum facto apostolum nonnisi Antiochiae diutius substitisse memorat: nihil igitur superest, nisi ut eum *ante hiemem* Ephesum venisse, ideoque *diutius ibi, quam per XXVII menses, haesisse* arbitremur.

Antequam Hierosolymis Ephesum peteret, P. festum aliquod in urbe sancta celebraverat *). Quod quale fuerit, ut cognoscamus, quaerendum est de intervallo itineris Hierosolymis Antiochiam suscepti, et de tempore eo, quod ap. hac in civitate traduxerit (Act. 18, 22 sq.). Antiochia Hierosolymis quatuor distabat gradibus geogr., h. e., duarum fere hebdomadum itinere; additis diebus iis, quos Paulum festo praeterlapso inter amicos Hierosolymitanos, et hic illic iis in locis, quae peragrabat, degisse consentaneum est, mensem atque amplius mense spatium inde a festo, donec ad Antiochenos veniret, facile effluxisse perspicies. Antiochiae χρόνον τινὰ permansit. Quibus verbis etsi incertum, at longius tamen vulgo denotatur tempus. Paulum v. g. ita iis aliquando usum esse deprehendimus, ut, quum promisisset Corinthiis, se *hiemem* fortasse apud eos transacturum esse, paucis interiectis sic pergeret: οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἄρτι ἐν παρόδῳ ἰδεῖν· ἐλπίζω γὰρ χρόνον τινὰ ἐπιμεῖναι πρὸς ὑμᾶς (1 Cor. 16, 6. 7.). Lucas autem, postquam retulit, Paulum Erastum cum Timotheo in Macedoniam amandasse, αὐτὸς, addit, ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν (Act. 19, 22.). Timotheum apostolus circa eam misit aetatem, qua priores, quae dicuntur, ad Corinthios literas dedit [l]). Quas si recte diximus

---

rum vero argumentum mera nititur coniectura. k) Cf. Vegetius de re militari 4, 39. Act. 20, 3 Tit. 3, 12. 1 Cor. 16, 6. *) Act. 18, 21 sq. Versu 21. verba: δεῖ με — Ἱεροσόλυμα, quae in codd. pluribus, inter quos et ABE, et in versionibus nonnullis desunt, Millius, Bengelius, Heumannus, Beckius, Heinrichsius, laudati a Kuinoelio, qui cum iis facit, Lachmannus aliique spuria iudicarunt; a qua quidem sententia alii certe non longe absunt, in quibus, ut recentissimos commemoremus, Schottus est (Erörterung einiger wichtigen chronol. Punkte in der Lebensgesch. des Ap. Paulus mit besonderer Hinsicht auf die Epistel an die Gal. u. auf die neuesten Forschungen, Jenae 1832, 8., quo libro abhinc demum uti mihi licuit, p. 36 sq.) et Neander (Geschichte der Pflanzung und Leitung der christl. Kirche durch die Apostel, tom. I. Hamb. 1832, 8. p. 270. not. 1.). At voces illae quomodo addi potuerint ab iis, qui, ratione habita locorum Act. 19, 21. 20, 16., explicare vellent, quidni P. Ephesi remanserit (id quod Kuinoelius aliique suspicantur), haud facile intellexeris; quomodo omitti potuerint, in propatulo est. Offendebat enim, quod in descriptione itineris Epheso in Palaestinam suscepti (Act. 18, 21. 22.) nulla profectionis in urbem sanctam mentio fieri videretur. Verum hoc iter sine dubio commate 22. verbo ἀναβὰς innuitur, quippe quod de itineribus Hierosolymitanis usurpari soleat, aut addito urbis nomine, aut, si per nexum licet, omisso, ut Io. 7, 8. 10. 12, 20. Qua de re prae ceteris cf. Koehlerus (l. l. p. 12—14.). Plurimi quidem illorum, quos modo citavimus, interpretum vocem ἀναβὰς de itinere Caesariensi explicant, verbis antecedentibus: κατελθὼν εἰς Καισάρειαν adventum in regionem proxime ab hac urbe remotam indicari existimantes. At quamquam e consuetudine populari nautae etiam tum *in* urbem aliquam vecti esse dicuntur, quum nonnisi ad litus adiacens appulerunt:

circa festum paschale exaratas esse: quoniam P. ad pentecosten usque Ephesi mansit, quod est inter azyma et pentecosten, ac longius fortasse, intervallum *χρόνον* vocabulo designatum esse, sequitur. Ac quemadmodum in universum illa loquendi forma hoc potius suadet, ut de duobus tribusve certe mensibus, quam ut de spatio minore cogitemus, ita *nostro loco* ipsa narrationis conditio, vix aliter recte statui, docet. Nam Lucas, quamquam totius itineris descriptionem paucissimis absolvit verbis, nec, quamdiu hic vel illic Paulus substiterit, refert: tamen, ubi de Antiochia loquitur, propter commorationis diuturnitatem aliquam certe adiungere temporis notationem, opus esse ducit. Hinc vero apparet, a festo inde usque ad discessum ex urbe Antiochena vix minus tribus quatuorve mensibus effluxisse; quibus si illud addideris spatium, quod P. in itinere Antiochia Ephesum facto consumsit, totam profectionem vix brevius, quam mensium quinque vel sex intervallum complexam esse, recte colliges. Iam quoniam praeter *χρόνον* illum, quem Antiochiae exegit, apostolus nusquam diutius moratus est, nec multo longius iter fuisse, patet. Brevi autem ante hiemem Paulus Ephesum pervenerat: itaque, *quod Hierosolymis ante iter susceptum celebraverat festum*, *aut pentecoste fuerat*, *aut pascha* m). Quamquam de *pentecoste* potius, quam de azymis cogitan-

---

tamen, nisi nexus, ut eiusmodi locutio tam late accipiatur, suadet, vectores urbem ipsam intrasse, iure supponere solemus; sin vero praeterea aliquid adiungitur, unde eos revera eam ingressos esse sequitur (ut Act. 20, 15. cll. 17.; 21, 3. cll. 4.; ibid. v. 7.): nulla amplius de vero verborum sensu dubitatio oriri potest. Iam quum h. l. ex illorum, quos impugnamus, sententia voces: *ἀσπασάμενος τὴν ἐκκλησίαν* ad ecclesiam Caesariensem spectent, quid tandem diserte addendum erat, apostolum non solum ad litus appulisse, sed et *ἀναβῆναι* in civitatem? Id quod hic eo magis offendit, quod Lucam commatibus 22. et 23. tantae orationis brevitati studuisse videmus, ut duobus his versiculis totum iter, quod P. Epheso in terram sanctam et hinc Ephesum fecit, complecteretur. Neque, ut a sententia nostra discedamus, eo movemur, quod Lucas, ubicunque in commemorandis itineribus Hierosolymitanis verbo *ἀναβαίνειν* utitur, huius urbis, vel templi certe nomen adiicere solet (ev. 2, 42. 18, 10. 31. 19, 28. Act. 11, 2. 15, 2. 21, 4. 12. 15. 24, 11. 25, 1. 9.); nam praeterquam quod horum locorum plurimi ita se habent, ut ne possit quidem abesse additamentum illud, quum idem nostro loco omittere licuerit propter ea, quae v. 21. continentur: Lucas, uti modo indicavimus, in describenda tota peregrinatione Epheso in Palaestinam et e Palaestina Ephesum suscepta summam adhibuit narrandi celeritatem. *l*) Cf. 1 Cor. 4, 17. 16, 10. *m*) De alterutro festo cogitandum esse, plurimi censuerunt, quamquam vulgo argumentis usi, quae vix sufficere videantur. Hugius (l. l. p. 318.), quocum Hemsenius (l. l. p. 192 sq. not. 5.) consentit, quia maxime probabile ducit, Paulum primum, quod in Europam fecit, iter (Act. 15, 40—18, 1.) vere ineunte suscepisse, et auctumno Corinthum advenisse, festum, quod post exactum Corinthi annum et sex menses (Act. 18, 11.) celebravit, in tempus vernum incidisse, concludit. At itineris Corinthum facti tempora ista ratione definienda esse, V. D. coniecit potius, quam demonstravit. — Süskindius (l. l. II, p. 324.) nonnisi inter ea festa, quibus Iudaei Hierosolyma proficisci iussi erant, ambigi posse ratus, pascha dico, pentecosten, scenopegiam (nec videtur sane festi minoris causa P. tantum iter ingressurus fuisse), tabernaculorum solennia hominis Christiani interfuisse negat. At Christiani ii, qui Iudaei fuerant, ab his quoque Iudaeorum festis agendis non desistebant, quibuscum memoria rei alicuius Christianis sacrae coniungi aut non solebat, aut ne poterat quidem; pentecosten certe (cf. Act. 20, 16.) iam aevo apostolico tamquam *Christianorum* festum celebratam esse, nulla probari potest ratione. — Koehlerus (l. l. p. 14.) ita ar-

dum esse videtur, quod et navigatio hac tempestate magis secunda est (navi enim Paulus Hierosolyma contenderat), et apostolus, vix ante Martium medium, ad quod usque tempus mare claudi solebat, profectus, *per ambages* (Act. 18, 19.) Hierosolyma se contulerat*n*).

Corinthi, unde primo vere Hierosolyma navigaverat, P. unum certe annum et sex menses degerat, teste Act. c. 18, v. 11. Quo loco si Lucas totum, quod P. Corinthi fuit, tempus descripsit, apostolus auctumno hanc urbem intraverat; sin, quod Millio*o*), Koeh-

---

gumentatur: sequi e verbis Act. 18, 12: *Γαλλίωνος δὲ ἀνθυπατεύοντος τῆς Ἀχαΐας*, cll. v. 18., ubi *ἡμέρας ἱκανὰς* nonnisi de paucis intelligendas putat hebdomadibus, Gallionem post annum illum cum sex mensibus, qui v. 11. commemoratur, neque diu ante Pauli ex Achaia discessum, in hanc provinciam pro consule venisse. Edixisse vero Claudium, prius quidem, ut proconsules ante initium Aprilis, serius, ut ante medium hunc mensem, longo igitur ante scenopegiam tempore, in suas abirent provincias (teste Dione, 60, 13. 17.); itaque verna tempestate et Gallionem advenisse et Paulum Corinthios reliquisse, concludit. At e loco Act. 18, 12. unum illud non sine veri specie colligi posse largimur, Gallionem intra tempus a P. Corinthi exactum in Achaiam missum esse (cf. Kuinoelius ad h. l.); quam rem cur post annum illum cum dimidio accidisse negemus, p. 63. docebitur. Deinde, minus recte Koehlerum ponere, verbis: *ἡμέραι ἱκαναὶ* nonnisi exiguum denotari spatium, itidem infra demonstrare studebimus. Ac denique, si Gallionis antecessor *medio* anno aut mortuus esset, aut ob causam qualemcunque revocatus: nonne Gallionem aestate exeunte, parvo ante scenopegiam intervallo, legari opus fuisset? — Schraderus (l. l. p. 71.) probabile esse negat, Paulum, nulla re coactum, circa tabernaculorum festum, qua tempestate mare navigantibus difficile esse incipit, iter Hieros. iniisse. Negamus et ipsi; at fuisse tamen videtur, quod eum ad profectionem suscipiendam cogeret, quia, teste v. 21., *δεῖ με πάντως*, dixit, *τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα*. Idem porro (p. 84.) sic disputat: si Paulus brevi ante scenopegiam Corinthum reliquisset, fieri non potuisse, quin Aquila et Priscilla, quos ap., quum Corinthi ante annum et sex menses advenisset, recens ex Italia advectos repererat (Act. 18, 2.) Februario iter maritimum fecissent. Sane raro veteres, mari clauso, navigasse concedimus; nec tamen eius rei exempla prorsus desunt (cf. Philo de legat. ad Caium p. 1019. Tac. Ann. 12, 43. al.), et quidni Aquilam et Priscillam, utpote exsules, necessitate urgente, vel hieme mari se credidisse putemus? *n*) Curtius (l. l. p. 27.) maiore cum probabilitate de *paschate* cogitari credit, quia apostolus ea demum conditione, ut hoc festo celebrato Hierosolyma petierit, circa *pentecosten* Ephesum advenire ibique per *integrum triennium* permanere potuerit; quod argumentum quam parum valeat, ex iis, quae supra (p. 57-59.) disseruimus, patere existimamus. Koehlerus (l. l. p. 14.) idem his de causis statuit, primum, quod pascha prae ceteris *ἡ ἑορτὴ* dicatur; — at neque ullum huius consuetudinis exemplum attulit, neque h. l. simpliciter *ἡ ἑορτή*, sed *ἡ ἑορτὴ ἡ ἐρχομένη* legitur; — deinde, quod verbum *ποιῆσαι* plurium dierum festum indicare videatur (cll. Matth. 26, 18.), de pentecoste vero, per unum diem agi solita, Act. 20, 16. haec inveniatur locutio: *τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα*. Ac si aut *γίνεσθαι* aeque ac *ποιεῖσθαι* de festi *celebratione* dicatur, aut ex illo Matthaei loco hoc sequatur, verbum *ποιεῖν* de solennitate dies plures complectente usurpari solere! Quid quod idem locus (cll. עָשׂוֹת פֶּסַח Num. 9, 4 sqq. Ios. 5, 10. al.) de coena potius paschali, quam de toto azymorum festo intelligendus est. — — Ceterum ex iis, quae supra disputata sunt de intervallo itineris Ephesini et de tempore, quo P. Ephesum venisse putandus sit, apparet, si vel Act. 18, 21. verba: *δεῖ με — Ἱεροσόλυμα* spuria essent (cf. p. 60, not. *), negari tamen non posse, apostolum ineunte certe aestate, ergo circa pentecostes festum, Hierosolyma adiisse. *o*) In prolegg. ad suam N. T. edit. §. 22. *p*) L.

lero p) et Schneckenburgero q) placuit, nonnisi de illo locutus esset spatio, quod, donec P. coram Gallione accusaretur (Act. 18, 12 sqq.), effluxerat, quo praeterlapso eum ἔτι ἡμέρας ἱκανὰς Corinthi moratum esse narrat (18, 18): incerta redderetur tempestatis, qua P. in Achaiam venerit, definitio. Verumtamen orationis nexus, ut, quae 18, 11. leguntur, de toto, quod P. Corinthi exegit, intervallo accipiamus, suadet. Nam Lucas, postquam memoravit, Christum Paulo per somnium indicasse, neminem Corinthi iniuriam ei illaturum esse, eundemque ad evangelium bono animo illa in urbe propagandum excitasse, ita pergit, ut appareat, ostendere eum velle, qualem habuerint eventum, quae dominus locutus esset. Itaque *partim*, apostolum per annum cum dimidio Corinthios docuisse, *partim*, fuisse quidem, qui eum laedere conarentur, sed suis illos ausis excidisse, testatur. Quae quum ita sint, per unum illud anni et sex mensium intervallum non modo Paulum Corinthios instituisse, sed et insidias, de quibus Act. 18, 12 sqq. verba fiunt, frustra ei structas esse, iure, credo, concludimus. — —

Ex iis, quae hucusque disputavimus, spatium omne, quod Paulus, ex quo Corinthum venerat, donec Philippis Hierosolyma proficisceretur, et itineribus et hic illic commorando exegit, *quinquennium cum sex mensibus* complexum esse, apparet.

Incertissima autem est eius intervalli, de quo cc. Act. XV—XVII. exponitur, descriptio; nam praeterquam, quod Lucas singulis rebus narratis aut nullas prorsus, aut minus definitas addidit temporis notas (ut 15, 33. 36. 16, 12. 18. 17, 17.), loci illi rarissimi, in quibus tempus accuratius constituitur, parum afferunt utilitatis; etenim iter Troade Neapolin institutum, quod biduo perfectum esse, Act. 16, 11. legimus, paucis diebus absolvi potuisse, aliunde constat; locus vero Act. 17, 2., ubi P. Thessalonicae per sabbata tria evangelium tradidisse dicitur, variis, ut infra videbimus, dubiis obnoxius est. Atqui illud tamen certo affirmari posse credimus, iter eiusmodi, in quo Paulus primum ex urbe Antiochena Hierosolyma migravit, deinde, Antiochiam reversus, ibi non minimum temporis contrivit (χρόνον, Act. 15, 33.); in quo ecclesiarum Syriae, Ciliciae, Lycaoniae fidem et virtutem confirmavit, Galatas et Phryges doctrina salutari imbuit r), Troadem obiit, ac Macedoniam Graeciamque ita peragravit, ut Philippis dies multos, Thessalonicae, Beroeae, Athenis aliquamdiu commoraretur: huiusmodi, inquam, iter certum est, anni demum spatio confectum esse; cui tamen aeque longius etiam intervallum tribui posse, non est quod neges s).

Ex his autem omnibus colligitur, *ea, quae Act. cc. XV—XXVIII. narrantur, decennium comprehendere additis mensibus fere VI, et spatio quodam incerto, quod tamen non minus sit anni unius intervallo.*

---

l. p. 14. q) In libro: Beiträge zur Einleitung in's N. T. und zur Erklaerung seiner schwierigen Stellen, Stuttg. 1832, 8. p. 168. r) Cf. Act. 16, 6. Quo loco etsi non diserte Paulus Galatas et Phryges instituisse dicitur, recte tamen, uti infra demonstrabitur, eos tum temporis docuisse existimatur. s) Annum vel biennium plurimi huic itineri assignant; Schraderus (l. l. p. 72.) biennium cum sex mensibus; Pearsonius (l. l. p. 17-22.) integrum fere triennium, Vogelius (l. l. p. 235.) quadriennium, additis, si cui placeat, sex mensibus.

At ab hac temporum computatione maxime Schraderus recedit, quippe qui non solum post Act. 19, 20. magnum aliquod Pauli iter a Luca omissum, sed et profectionem Epheso in Graeciam susceptam (Act. 20, 1—3.) multo longius, quam quod nobis statuendum esse videbatur, tempus complexam esse, propter nonnullos epistolarum Paulinarum locos arbitretur. Ac primum quidem iter illud, quod rebus a Luca relatis interponendum esse putat, ita ex eius sententia sese habet. Paulus a. 54., Timotheo Ephesi relicto in Macedoniam profectus, Thessalonicae aliquamdiu manet, presbyterosque in ecclesia huius urbis constituit; hinc Corinthum adit, ante hiemem Cretam navigat, ibique cum Tito doctrinae Christianae notitiam propagat; quem quum in insula reliquisset, aestate a. 55. in Ciliciam vehitur; ibi dum Nicopoli hiemem transigit, Tito et Timotheo epistolas per Apollonium et Zenam mittit; deinde, accito in Ciliciam Tito, quum forte et Barnabas adesset, cum utroque initio a. 56. celerrime Hierosolyma se confert, unde reversus, et Antiochiae paulisper moratus, per Galatiam tam propere Ephesum tendit, ut circa pascha ibi adveniat; a quo inde tempore Schr. ea, quae Act. 19, 21 sqq. memorantur, gesta esse existimat.

Atque, ut demonstret, *posse* iter aliquod inter Act. 19, 20. et 21. interponi, sectionem novam v. 21. inchoari monet, ubi verba: ὡς δὲ ἐπληρώθη ταῦτα non ad ea solum referenda sint, quae modo tradita fuerint, sed ad *omnia, quae P., quamdiu fuerit apostolus, egerit.* Hoc enim Lucam dicere, Paulum, *doctrina salutari per tot terras propagata*, id cepisse consilii, ut, postquam Macedoniam, Achaiam et Hierosolyma repetiisset, Romam proficisceretur ad evangelium alibi quoque disseminandum. Nihil igitur verborum istorum sensum eo mutari, quod ante hunc versum iter aliquod longius interseratur (l. l. p. 86.). At enimvero auctor *posuit*, nec *probavit*, ταῦτα ad *omnia, quae P. tamquam apostolus antea fecerit,* respicere, quae, si permultum largimur, nonnisi ad omnia ea referri posse concedimus, *quae Lucas hucusque narraverat;* nam si auctor ea ad alia quoque pertinere voluisset, non potuisset, quin diceret: ταῦτα καί τινα ἄλλα, vel similiter. Deinde illud quidem constat, quaedam Pauli itinera a Luca esse omissa, quae aut minoris erant, aut eo facta tempore, quo ille nec Pauli comes erat, et eorum, quae tum gesta sunt, aut nihil, aut perparum acceperat; sed quis tandem crediderit, eum, licet tum temporis cum Paulo non esset, nihil tamen aut comperisse, aut habuisse, quod referret de eiusmodi itinere, cuius tantus fuisset ambitus; quod in eam incidisset aetatem, ex qua Lucas non solum multa eorum, quae gesta sunt, sed vel ipsa Pauli consilia (Act. 19, 21.) cognita haberet; quod non solum terras a Lucae domicilio remotas, sed Macedoniam quoque tetigisset, ubi Lucam tum versatum esse, quam maxime est verisimile (Act. 16, 12. cll. 20, 6.)? — Sed ad ipsas, quibus auctor probare studuit, revera hoc iter susceptum esse, rationes accedamus.

Ante omnia igitur, ut Paulum Epheso neglectum aliquod a Luca iter in *Macedoniam* iniisse putaret, locis quibusdam priorum ad Timotheum literarum perductus est. Esse quasdam hac in epistola difficultates historicas, satis constat; quae quum effecissent, ut non solum variae proferrentur de tempore, quo illa scripta sit, senten-

tiae[t]), sed et (accedentibus quidem alius quoque generis argumentis) Paulina eius origo nunc in dubitationem vocaretur, nunc diserte impugnaretur[v]): eaedem auctorem nostrum permoverunt, ut eam exaratam esse crederet in itinere rebus Act. 19, 20. et 21. traditis interponendo. At quamquam Schradero in eo assentimur, quod literas illas et genuinas habet, et serius aetate ea, quam Acta complectuntur, textas esse negat (quas statuendi rationes cur reliquis praeferendas ducamus, exponere non est huius loci): eidem tamen in tempore, cui earum scriptio tribuenda sit, definiendo suffragari non possumus. Et-

---

t) Hanc ep. inter primam et secundam Pauli commorationem Ephesinam compositam esse Calvinus putat (comment. in 1 Tim. 3, 14.); triennio Ephesino praeter Schraderum interponunt Cocceius (cit. Witsio, mel. Leid. p. 141.), Moshemius (Erklaerung der beiden Brr. des Ap. Paul. an den Timoth. p. 45 sqq.); in itinere Act. 20, 1. 2. descripto aut Troade, aut in Macedonia exäratam esse Theodoretus censet (prooem. in epp. Paull.), Baronius (ann. ad a. Chr. 57. Ner. 1. §. CLXXXVII.), Estius (in expos. argum. ep. ad Tim. primae), L. Cappellus (hist. apost. append. p. 74 sq.), Calovius (in bibl. illustr., prol. in 1 ad Tim. ep.), Lightfootus (opp. ed. Franeq. 1699, fol. tom. II. p. 91 sq.), Hammóndus (in paraphrasi N. T., praemonitione in hanc ep.), Henschenius (in Actis SS. Iunii tom. V. p. 403.), Chr. Frid. Schmidius (hist. antiq. et vindic. can. p. 586. 617.), Bensonius, Zachariae, Michaëlis, Haenleinius, I. E. Chr. Schmidtius, Heinrichsius, H. Planckius, Ad. Curtius, a Schotto commemorati (isag. in ll. N. F. p. 295, not. 4.), Hugius (l. l. p. 377 sqq.), Hemsenius (l. l. 340 sqq.); de aetate ea, de qua verba fiant Act. 20, 3., Grotius cogitat (ad 1 Tim. 1, 3.) et Bertholdtius (l. l. VI, p. 5371 sq.); de tempore, quo P. ultimum Hierosolymis degerit, sed antequam in vincula coniiceretur (Act. 21, 26.), Schneckenburgerus (Beitraege zur Einl. etc. p. 182—185.), qui quidem, pro verbo *προςμεῖναι*, 1 Tim. 1, 3. *προςμείνας*, ac fortasse etiam *πορευόμενον* pro *πορευόμενος* scribendum esse suspicans, Paulum Timotheo in memoriam revocare putat, quae ei tum mandaverit, quum eum, Erasto comite, in Mac. miserit (Act. 19, 22.), ipse Ephesi diutius moraturus; de biennio, quo ap. Caesareae in carcere fuerit, Paulus (progr. de tempore scriptae prioris ad Tim. atque ad Philipp. epistolae Paulinae, Ienae 1799, 4.); inter primam et alteram, quam statuunt, apostoli captivitatem Romanam literas textas esse, praeter Usserium, Pearsonium, Millium, Clericum, Paleyium, Wegscheiderum, Heydenreichium, Guerikium, Boehlium (quos Schottus citavit in isag. in ll. N. F. p. 298, not. 7.): Tillemontius (mém. I, 2, p. 683.), Basnagius (ann. ad a. 62. §. VII.), Rosenmüllerus (in prol. ad scholia in 1. ad Tim. ep.), I. P. Mynsterus (de ultimis annis ministerii apostolici a Paulo gesti, in eius lib.: Kleine theol. Schriften, Havniae 1825, 8. p. 230—234.), Brentano, Schnappingerus, laudati a Feilmosero, qui idem sentit (Einl. in die Bücher des N. B. ed. 2., Tubingae 1830, 8. p. 455—457.), Koehlerus (l. l. p. 96 sq. 141—144.), Schottus — qui, etsi et has literas, et reliquas, quae vocantur, epp. pastorales maximam certe partem ab aliquo apostoli discipulo, at Pauli tamen nomine et auctoritate scriptas esse censet (isag. in ll. N. F. §. 78., Erörterung einiger wicht. chron. Punkte etc. p. 152.) — Schottus, inquam, et ipse, quamquam aliquantulum dubitans, ep. inter priora et posteriora Pauli vincula Romana compositam putat (isag. laud. p. 298—301, not. 7., Eroerterung etc. p. 48—50.); ita et Neander (Gesch. der Pflanzung der christl. Kirche etc. tom. I, p. 400 sq.). *υ*) Epistolam a Paulo non esse profectam, Schleiermacherus docere primus studuit (üb. den sogenannten ersten Br. des P. an den Tim., Berol. 1807, 8.), assentiente Löflero (kleine Schriften, tom. II. p. 216 sqq.), et Eichhornius (Einl. tom. III. p. 317—352.); maximas de genuina eius origine dubitationes de Wettius movit (l. c. p.

enim iis, quae Ad. Curtius x) et Hemsenius *) hac de re disputarunt, licet non in omnibus cum illis faciamus, tamen nobis persuasum est, tantum abesse, ut quid obstet, quominus epistolam in Macedonia compositam credamus, quum Paulus in itinere esset Act. 20, 1. 2. narrato, ut non dubitemus, quin aptissime ad hoc ipsum tempus referatur. Atque hanc quidem sententiam rationibus stabilire et contra reliquos defendere adversarios quoniam et ab huius quaestionis consilio alienum est, et in ea re hi, quos modo laudavimus, maximam partem bene, ut nobis quidem videtur, versati sunt, nos ad sola Schraderi argumenta diiudicanda nos convertemus.

Primum igitur V. D. (p. 86 sq.), ut doceat, Paulum 1 Tim. 1, 3. non solum ad primum ex Ephesiis discessum (Act. 18, 21.), id quod omnes facile concedent, sed ne ad alterum quidem respexisse, qui Act. 20, 1. indicatur: allatis locis nonnullis e 2. ad Cor. ep. (1, 1.), ex epp. ad Thess., quas intra hanc peregrinationem Athenis datas esse putat (1 Th. 1, 1. 3, 2. 6. 2 Th. 1, 1.), et ex ep. ad Rom., quam in itinere eodem, et Corinthi quidem, scriptam esse recte iudicat (16, 21.), demonstrare studet, Timotheum tum temporis Ephesi non remansisse, sed in tota per Macedoniam et Graeciam profectione Paulo comitem se adiunxisse. Tim. in Mac. et Graecia cum P. fuisse, ex epp. ad Cor. et ad Rom. sequi concedimus (reliqua cur reiiciamus testimonia, ex iis, quae de tempore epp. ad Thess. missarum dicentur, apparebit): attamen parum recte ex illis locis concludi putamus, eum Epheso una cum Paulo abiisse; nonne enim iure eodem statuere liceat, eum hac in urbe relictum serius apostolum secutum esse? Quid quod e summo Titi desiderio, quo P. Troadem ingressus tenebatur (2 Cor. 2, 12 sq.), atque e gaudio insigni, quod, quum ille in Macedonia ipsum convenisset, percepit (2 Cor. 7, 6 sq.), maxima cum probabilitate colligitur, eum sine ullo comite et Troadem intrasse et Macedoniam. Nam quominus et desiderium illud et laetitiam nonnisi inde derivemus, quod P. e Tito discere cuperet, quo in statu res Corinthiorum essent, eo impedimur, quod ap. 2 Cor. 7, 7. diserte duo distinguit solatia a Tito sibi allata, quorum alterum positum fuerit ἐν τῇ παρουσίᾳ Τίτου (sine dubio quatenus hic eum adiuvare poterat in restituendis rebus Macedonum turbatis [cf. v. 5.]), alterum in laeto de Christianis Corinthiacis nuncio (cf. v. 7.). — Quae Schraderus *hinc* (p. 87.) contra eos profert, qui epistolam Troade compositam esse censent, ea nos non attingunt. — *Deinde*, si idem (p. 88.) quaerit, quid tandem Timotheum movere potuerit, ut contra Pauli voluntatem (1 Tim. 1, 3. al.) Ephesum tam cito relinqueret: quamquam id nos nescire fatemur, varias tamen eius rei causas, ut persecutiones, ut novum apostoli mandatum, vel si quid aliud probabilius visum fuerit, cogitari posse existimamus. — *Porro* verba 3, 14: ταῦτά σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον, et quae sunt reliqua, indicio esse arbitratur, Paulum iam diutius a Timotheo abfuisse, quum ad scribendum tandem confugeret, et spem se habere diceret, fore ut amicum mox reviseret (p. 88. cll. p. 105 sq.). Ac si nulla alia de causa et animum ad scribendum applicare, et spem illam proloqui potuis-

271—273.). x) In libro saepius laudato, de temp. quo prior P. ad Tim. ep. exarata sit. *) L. l. p. 340 sqq.

set! Quid quod eorum, quae cum Timotheo communicanda erant, tanta erat gravitas, ut Paulo ne liceret quidem diutius haerere, donec ea literis mandaret; neque apostolus simpliciter spem enunciat reditus mox futuri, sed causam affert, cur, quamvis brevi se adventurum esse putet, scripserit tamen, videlicet, ut Timotheus, si forte Paulus moraretur, sciret, quomodo versandum sit in ecclesia bene dirigenda. — Verbis autem 1, 3: καθὼς παρεκάλεσά σε προςμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ, πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, Paulum innuere, iam praeterlapsam fuisse peregrinationem Macedonicam (cf. p. 105.), nemo concesserit. An forte ex his 2. ad Cor. ep. cap. 7, v. 5. dictis: ἐλθόντων ἡμῶν εἰς τὴν Μακεδονίαν, recte colligatur, has literas perfecto demum itinere Macedonico exaratas esse? — Ea *denique* (cf. p. 104 sq.), quae locis 1 Tim. 3, 14 sq. et 4, 13. leguntur, ad iter Act. 20, 1. 2. memoratum referri posse negat, quippe in quo Paulo non fuerit consilium Ephesum redeundi, sed, visa Corintho, Hierosolyma navigandi (1 Cor. 16, 3. Act. 19, 21.). At ista non prohibent, quominus eum sibi proposuisse statuamus, ut, quum Corintho Hierosolyma veheretur, Ephesum appelleret, cuiusmodi itineris rationem eum alio quoque tempore secutum esse constat (Act. 18, 18—21.). Quin, quum Iudaeorum insidiis coactus esset, ut non Corintho, sed e Macedonia solveret, sine dubio Ephesios etiam adiisset, nisi temporis angustiis, ut ab hoc consilio desisteret, permotus esset (Act. 20, 16.). Cui si Corintho proficisci licuisset, nonne eum magnam certe eius temporis partem, quod in itinere Macedonico consumendum erat, Ephesi transacturum fuisse haud perperam conieceris? — Ceterum causam, cur *triennio Ephesino* iter illud Macedonicum interponat, Schr. hanc profert, quod P. ante istam aetatem Ephesi nullum condiderit Christianorum coetum, in quo Timotheum relinquere potuerit, post discessum vero Act. 20, 1. commemoratum eam urbem nunquam repetierit (p. 89.). Nos, etsi utrumque largimur, tamen, quibus argumentis Schraderus demonstrasse sibi videtur, ne de illa quidem, quae Act. 20, 1. traditur, peregrinatione cogitari posse, ea probandi vi carere, ostendere modo studuimus.

In hoc autem ipso itinere Macedonico, quod rebus a Luca narratis addendum esse ducit, Paulum *Thessalonicae* aliquamdiu mansisse, Schr. ex epp. potissimum ad incolas huius urbis datis concludit, quas, quum ap. ultima vice in Graecia degeret (Act. 20, 2. 3.), conscriptas esse putat. *Primum* igitur (p. 90.), qui 1 Thess. 5, 12. appellantur προϊστάμενοι, eos non intra priorem apostoli apud Thessalonicenses commorationem, nonnisi trium hebdomadum spatium complexam (Act. 17, 2.), sed serius demum a Paulo illis impositos esse arbitratur, quia, teste 1. ad Tim. ep. c. 3. v. 6., haec eius consuetudo fuerit, ut antistitum munera non νεοφύτοις, sed illis, qui Christum diutius secuti essent, committeret. At in ecclesia quidem Ephesina (1 Tim. 1, 3.), in qua biennio amplius docuerat, postulare Paulo licebat, ut ne cui praefecti munus concederetur, nisi si ad νεοφύτους non amplius pertineret; sed quum admittere idem non posset, ut coetus ullus omni careret magistro, sine dubio, si qua ex ecclesia nuper demum condita discederet, aut sociorum aliquem reliquisse, aut ex iis, quibus coetus ille constabat, dignissimos, qui ei praeessent, elegisse recte existimatur. Ceterum non perspicitur, cur Schr.,

ut probaret, iter aliquod apostoli Thessalonicense in Actis praetermissum esse, hoc usus sit argumento; etenim quum Paulum epistolas ad Thessalonicenses post illud demum iter Macedonicum scripsisse contendat, quod Act. 20, 1. 2. narratur: nonne aeque ita statuere poterat, apostolum *tum temporis* episcopos ecclesiae Thessalonicensi praefecisse y)? Accedit, quod temere sumitur, Thessalonicensium presbyteros a Paulo *ipso*, neque, ut Cretensium magistros (Tit. 1, 5.), ab aliquo eius discipulo constitutos esse. — Locos *deinde* affert 1 Thess. 4, 11. 12. 2 Thess. 3, 10. (p. 90—92.), ex quibus intelligitur, Paulum, quum Thessalonicae esset, incolas Christianos ab otioso vitae genere revocasse. Negat autem Schr., fieri potuisse, ut, si quis tam probae esset indolis, ut ad Christi castra transiret, idem intra viginti dierum spatium (Act. 17, 2.), licet doctorem maxima cum industria victum quaerentem videret (2 Thess. 3, 7—9.), desidiae tamen sese daret. Itaque quia hoc vitium serius demum inter Christianos Thess. nasci potuerit, idem serius demum, quum P. *iterum* apud eos versaretur, ab eo vituperari potuisse credit. Ac si inter eos, qui Christo nomen dederant, non potuissent aliqui certe esse non malae quidem indolis homines, sed qui a labore abhorrerent, neque statim a pristina consuetudine recederent! Quod vero Schr. addit, falsas de propinquo Christi reditu opiniones post Pauli discessum ortas desidiae Thessalonicensium causas fuisse videri: id coniectura potius, quam certis nititur argumentis. — *Porro* (p. 92 sq.) inde, quod Paulus 2 Thess. 2, 5. se eadem, quae v. 1—4. contra deceptores monuerat, iam praesentem Thessalonicenses docuisse affirmat, videlicet, quid statuendum sit de Christi παρουσίᾳ: hinc, inquam, auctor concludit, causam, cur P. ista iam tum, quum Thessalonicae esset, protulerit, item in deceptoribus quaerendam esse. Atqui fieri potuisse negat, ut intra trium hebdomadum spatium, quo ap. primum inter Thessalonicenses commoratus fuerit, simul cum veritatis doctrina superstitionis quoque venenum eorum animis infunderetur, atque vim adeo iam proderet perniciosam. Itaque Paulum serius demum, quum altera vice inter eos versaretur, illa cum Thess. communicare potuisse censet. Sed ut largiamur, satis improbabile esse, tam cito, qui falsa praeciperent, hoc in coetu exstitisse, nonne P. eadem, quae Thessalonicenses statim ab initio ita docuerat, ut alius rei rationem non haberet, quam quod illa et vera essent et scitu digna, in ep. repetere contra deceptores potuit, qui serius irrepserant? Ac, nisi hoc placuerit, nonne P., prius iam expertus, quam facile haec ipsa doctrina ab hominibus fraudulentis corrumpi soleret, ita apud Thess. de ea disseruisse putari potest, ut simul respiceret doctores falsos, si qui forte *adventuri essent*, non eos, qui *iam advenissent*? — *Deinde* V. D. (p. 93.), si P. in epp. ad Thess. scriptis secundae, eiusque longioris, apud eos mansionis rationem habere existimetur, optime explicari dicit, cur 1 Thess. 3, 7—9. tanti faciat, quod manu inter eos laboraverit, siquidem non solum prima vice, nulladum ecclesia ibi constituta, sed et serius, quum sperare potuisset, fore ut ab omnibus gratis exciperetur, ta-

---

y) Idem de nonnullis quoque eorum, quae sequuntur, argumentorum dicen-

men manibus victum quaesierit. At ut taceamus, apostolum haud dubie petere potuisse a Thessalonicensibus recens ad Christi sacra conversis, ut inter tantas, quas rei Christianae causa subiret, molestias aliquo se adiuvarent beneficio: nonne, allato Philippensium erano (Phil. 4, 15. 16.), remittere certe de labore potuisset? — Sed hoc ipso ep. ad Phil. loco ad suam potius sententiam tuendam Schr. utitur, dum ita ratiocinatur: Paulum, nisi prius, quam quum Macedoniam *relinqueret* (Phil. 4, 15.), a Philippensibus pecunia sublevatus sit, nulla re, quum primum Thessalonicae degeret, ab iis adiutum esse; unde eum serius iterum hac in urbe fuisse concludit. Contra eos vero, si qui forte Paulum de illa loqui aetate suspicentur, qua, postquam Epheso ultimum discessit, Macedoniam peragrans (Act. 20, 1. 2.), Thessalonicam quoque adiisse videtur, illo tempore Macedones in summa egestate versatos esse (2 Cor. 8, 2.) docet; ac praeterea Paulum hoc in itinere curasse ostendit, ut, quam tum in usum pauperum Hierosolymitanorum colligebat stipem, ea quam uberrima fieret, eundemque cavisse, ne qua in re sui commodi studiosus videretur (p. 94.). Nos, de itinere Act. 20, 1. 2. narrato cogitari non posse, concedimus; sed locum ex ep. ad Phil. citatum omissi a Luca itineris Macedonici testem habendum esse negamus; etenim rectissime Paulum verbis: ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας (Phil. 4, 15.) ipsum illud innuere tempus dixeris, quo in Thessalonicensibus erat; nam Thessalonica apostolo, postquam per Neapolin, Philippos, Amphipolin, Apolloniam transiit, ultima fere erat, Beroea sola excepta (cf. Act. 17, 10—15.) urbs Macedoniae. — In iis *denique*, quae 1 Thess. 2, 3—12. leguntur, si ea ad commorationem tres hebdomades complexam referantur, Paulum magis, quam deceat, merita sua extulisse, Schr. contendit (p. 94 sq.) z). At neque toto

dum est. z) Idem locus, inprimis v. 9., Bensonium (l. l. II, p. 100 sq.), Paleyium (l. l. p. 263—265.), Schottum (isagog. in N. F. §. 50, 5.) permovit, ut Paulum, quum primum Thessalonicae esset, diutius XX diebus ibi commoratum esse suspicarentur; Bensonius ad locum quoque Phil. 4, 16., Schottus tum (in progr., cui inest isagoge hist. crit. in utramque Pauli ad Thess. ep. Ienae 1830, 4. p. 5.) ad hunc locum, tum (in isag. in ll. N. F. l. c.) ad 2 Thess. 3, 7. 8. provocavit. Hemsenius (l. l. p. 134, not. 13.) Paulum in epp. ad Thess. datis ita loqui dicit de florente eccl. Thess. conditione, et de iis, quae ipse inter Thess. gesserit, ut amplius tribus hebdomadibus spatium ibi degisse videatur. Eandem sententiam, iisdem similibusve ducti argumentis, Feilmoserus quoque (Einl. p. 331.) et Schneckenburgerus (Beitr. z. Einl. etc. p. 167. 168.) tuentur. Bensonius igitur, Paleyius et Schottus (isag. in epp. ad Th. p. 4 sq.) apostolum edoctis per XX fere dies Iudaeis et proselytis (Act. 17, 2—4.) ad ethnicos instituendos se convertisse putant; quam rem eo probabiliorem iudicant, quod P. 1 Thess. 1, 9. deorum cultores Thessalonicae ad veri Dei cognitionem pervenisse memoret, Bensonio hoc praeterea urgente, quod in utraque ep. nihil inveniatur, quod ad solos Iudaeos Christi sacra amplexos spectet. Quid quod Paleyius et Schottus (inpr: isag. in epp. ad Th. p. 4. cll. isag. in ll. N. F. §. 50, 4.) in Actis ipsis sententiae suae fulcrum reperiri arbitrantur, modo cap. 17, v. 4. cum codd. A. D. (in textu gr. et lat.), 13. 40. et vers. Vulg. lectio: τῶν σεβομένων καὶ Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος praeferatur, quae Burgerhoudtio quoque placuit (specim. acad. de coetus Christianorum Thessalonicensis ortu fatisque, et prioris Pauli iis scriptae epistolae consilio atque argumento, Lugd. Bat. 1825, 8. p. 93 sq. cit.

h. l. quidquam invenimus, quod ap., etsi non diutius Thessalonicae degerit, non vere de se dicere potuisse videatur, et, si vel hic illic verbis usus fuerit paulo grandioribus, facile illud commoto eius animo condonaverimus; neque enim in eo versatur, ut lectoribus simpliciter, quid inter eos fecerit, in memoriam revocet, sed ut iis de amore ardentissimo persuadeat, quo eos, quum doctrinam salutarem iis traderet, fuerit amplexus. His accedit, quod e versibus 1. et 2. de tempore eo sermonem esse patet, quo ap. *primum* venerat Thessalonicam (cf. Act. 16, 12 sqq.) [a]).

Quae quum ita sint, nihil esse apparet, quod nobis suadeat, ut iter aliquod in Macedoniam factum, quod Lucas non commemoraverit, in Acta inseramus.

Maioris autem sunt momenti loci ii, qui Schr. eo perduxerunt, ut de *itinere Corinthiaco, Cretensi* et *Nicopolitano*, cuius nulla in Actis mentio fiat, cogitaret. Ac primum quidem quod ad *iter* attinet *Corinthium*, permulti fuerunt, qui, locis quibusdam epp. ad Cor. scriptarum permoti, Paulum, quo tempore has literas composuerit, non *semel*, ut Acta perhibent (18, 1 sqq.), sed *bis* Corinthi fuisse arbitrarentur [b]). Quod quo iure fecerint, iam accuratius indagemus.

Schotto), et a Lachmanno recepta est. Sed de hac lectionis varietate ut primum verba faciamus, vocem καὶ insertam ab iis crediderim, quos forma insolita: σεβόμενοι Ἕλληνες offenderet; quae quidem causa alios permovit, ut voc. Ἕλληνες omitterent (vid. Griesb.); quod vero ad epistolarum locos attinet, ex quibus collegerunt, Paulum diutius tribus hebdomadibus inter Thessalonicenses commoratum esse: neque ea, quae 1 Thess. 2, 3—12., nec, quae 2 Thess. 3, 7. 8. reperiuntur, ut supra (p. 68. 69 sq.) iam indicavimus, ad hanc sententiam probandam satis valent; neque est, quod Philippenses (cf. ep. ad Phil. 4, 16.) Paulo Thessalonicae versanti intra tres hebdomades *bis* eranum mittere potuisse neges, inprimis, si alteram pecuniarum collectionem ab aliis, quam alteram, factam esse conieceris. — De Hemsenii argumento iudicium idoneum ferri nequit, quia ille, quosnam respexerit locos, non commemoravit. a) Ceterum cf., quae his, de quibus modo disputavimus, Schraderi argumentis opposita sunt a Schotto (in pr: isag. in epp. ad Th. p. 12—14.), a Schneckenburgero (Beitr. etc. p. 167—172.), et a Neandro (Geschichte der Pflanzung und Leitung der chstl. Kirche durch die Apostel, tom. I. p. 226. 229. 261. nott.). b) Sunt fere hi: Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus (ad 2 Cor. 12, 14. 13, 1 sq.), Erasmus (in paraphr. et in vers. loci 2 Cor. 13, 1. 2. et in adnotatt. ad locum eundem), qui quidem duplex ante scriptam 2. ad Cor. ep. iter Corinthiacum ponunt, nihil de hac sententia cum Actis concilianda cogitantes; Baronius (ann. ad a. Christi 58. §. XLIV.), Millius (prol. in N. T. §. 22. 23.), quamquam idem secus statuit in nota ad 2 Cor. 13, 1.; Tillemontius (mém. I, 2, p. 605. 829 sq.), I. Ch. F. Schulzius (commentar. in 2. ad Cor. ep. p. 155 sq. 160.), Michaëlis (Einl. in d. N. B. II, p. 1315.), Schmidtius (Einl. in's N. T. tom. I, p. 241.), Leunius (in adnot. ad 2 Cor. 12, 14.), Schraderus (l. l. p. 95.—99.), Koehlerus (l. l. p. 74—78.), Bleekius (in diss: Eroerterungen in Beziehung auf d. Brr. P. an d. Kor. I: Beweis, dass P. bei d. Abfassung unserer beiden Brr. an d. Kor. schon *zwei Mal* in Korinth gewesen war, in lib: Theol. Stud. u. Krit. 1830, III, p. 614 sqq.), cui nonnullorum, quos modo laudavimus, notitiam debemus; I. G. Müllerus (in diss. critico-exegetica de tribus Pauli itineribus Corinthum susceptis de epistolisque ad eosdem non deperditis, Basil. 1831, 8.), teste Lückio, eiusdem sententiae defensore (th. Stud. u. Krit. 1831, IV, p. 920.); Schottus (Eroerterung einiger wichtigen chronolog. Punkte in der Lebensgeschichte des Ap.

Est autem horum locorum facile princeps is, qui in 2. ad Cor. ep. legitur, c. 13. v. 1. 2. Ibi haud pauci quidem interpretes verba: *τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς*, ratione habita loci 2 Cor. 12, 14. (in quo tamen explicando, ut statim videbimus, non satis recte versantur), de *consilio tertium capto* intelligunt [c]; sed licet concedamus, *ἔρχομαι* h. l. de futuro, quem apostolus sibi proposuerat, adventu accipiendum esse (saepissime enim temporis praesentis formam ad designandam rem certo futuram usurpari, quis est, qui nesciat?) tamen, quemadmodum, si quis dicit: *τρίτον τοῦτο ἐλεύσομαι*, is non potest, quin vocab. *τρίτον* ad solam verbi *ἔρχεσθαι* notionem referat, neque ad notionem consilii capti, quae inest in forma temporis futuri: ita et Paulum h. l., quum *ἔρχομαι* scriberet pro *ἐλεύσομαι*, aliud quid sibi velle potuisse negamus, quam, constituisse se, ut tertia vice Corinthum adiret. Bezae [d]) autem aliorumque sententia, qui *ἔρχομαι* de adventu per literas futuro intelligendum esse putant, tam contorta est, ut hanc unam ob causam vera esse nequeat.

Ad versum secundum quod attinet, verba: *προείρηκα καὶ προλέγω, ὡς παρὼν τὸ δεύτερον καὶ ἀπὼν νῦν* [e]), etsi ita torqueri possunt, ut Paulus nonnisi de uno, quod hucusque fecerit, itinere Corinthio loqui videatur: simplicissime tamen sic explicari patet: „quemadmodum, quum altera vice apud vos essem, praedixi, ita nunc, ubi absum, repeto."

Eadem e loco 2 Cor. 12, 14. sequuntur, ubi, licet hoc versu per se spectato *τρίτον* aeque ad *ἑτοίμως ἔχω* pertinere possit, atque ad *ἐλθεῖν*, nexus tamen, ut ad *ἐλθεῖν* referas, iubet. Nam postquam apostolus v. 13. dixit: *οὐ κατενάρκησα ὑμῶν, ἰδοὺ,* pergit (v. 14.), *τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ οὐ καταναρκήσω ὑμῶν·* ex quibus apparet, Paulum tertia vice aliquid facturum fuisse, in quo quum potuisset, noluerit tamen gravis esse ecclesiae Corinthiacae. At profecto non eo, quod Corinthum adire *decreverat*, sed *peracto demum hoc proposito* molestus esse Corinthiis potuisset.

Minoris sunt momenti, ad quos nonnulli provocarunt [f]), loci 2 Cor. 2, 1. 12, 21. In quibus si Paulus hoc innuisse creditur, *se iam aliquando ἐν λύπῃ* vel *ταπεινωθέντα Corinthum venisse*, neque tamen cupere, ut iterum illud sibi accidat: de alio, quam qui Act. 18, 1. narratur, adventu cogitandum esse, facile largimur; neque enim tum temporis *ἐν λύπῃ*, quam aut Christiani Corinthiaci apostolo parassent, aut ipse Corinthiis attulisset, neque per Corinthiorum

---

Paulus, etc. p. 51—61.), Schneckenburgerus (Beitraege etc. p. 166.). Dubius haeret, utrum haec, an, quae opposita est, sententia sequenda sit, Neander (Gesch. der Pflanz. d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 316—319. inpr. not.). c) Praeeuntibus verss. Syr., Ar. Erp., et Copt.; quid quod in cod. Alex. ita scriptum est: *ἰδοὺ, τρίτον τοῦτο ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.* d) In comment. ad 2 Cor. 13, 1. e) Quod post *ἀπὼν νῦν* vulgo additur: *γράφω*, id, quia idoneis destituitur testimoniis, melius cum Griesb., Lachm., all. omittitur. f) V. g. Schraderus (l. l. p. 96.), Bleekius (l. l. p. 620 sq.), Koehlerus (l. l. p. 75. 78.). Locum certe 2 Cor. 2, 1. Schottus urget (Erörterung etc. p. 53 sq.); cf. et Neander (Gesch. d. Pflanzung der chstl. Kirche etc. tom. I. p.

agendi rationem τεταπεινωθεὶς eorum urbem adiisse dici potest, utpote in qua docturus demum fuerit rem Christianam. At modo Paulum hoc indicasse existimemus, nolle se, ut, si Corinthum adveniat, eadem afficiatur tristitia, qua affectus fuerit *tempore aliquo commorationis pristinae*: opus non erit statuere, apostolum alium itineris Corinthiaci, quam eius, quod Act. l. c. refertur, rationem habuisse; etsi alteram interpretationem simpliciorem se habere nemo negaverit.

Sunt, qui locum addant 1 Cor. 16, 7. *g*), ubi quum P., diutius se Corinthi permansurum esse, pollicitus, οὐ θέλω γὰρ, scribat, ὑμᾶς ἄρτι ἐν παρόδῳ ἰδεῖν, cum futurae huic commorationi tacite aliam, eamque iam praeterlapsam, quae brevissimum complexa fuerit temporis spatium, opponere censent; ac quoniam, quum primum Corinthi esset, annum unum et sex menses ibi degerit: h. l. ad diversam ab illa mansionem respici concludunt. At si, quae 2 Cor. 1, 15. 16. leguntur, contuleris, aliter quoque verba illa intelligi posse concedes. Hinc enim Paulum (quum Ephesi esset) prius id habuisse consilii discimus, ut initio Corinthios, inde Macedonas, denique iterum Corinthios adiret; quod quidem serius eum ita mutasse novimus (cf. prae ceteris 1 Cor. 16, 5.), ut primum in Macedoniam, post in Isthmum proficisci decerneret. Quae quum ita sint, nihil obstat, quominus apostolum loco supra allato illud intervallum, quod tum apud Corinthios versaturus erat, ei opposuisse dicamus tempori, quod, si consilium prius captum executus esset, inter eos transacturus fuisset. Quamquam, utra explicandi ratio praeferenda sit, diiudicare non audemus.

Verum utcunque ista se habeant, e locis tamen 2 Cor. 12, 14. 13, 1. certum est, *Paulum, priusquam haec scriberet, bis Corinthi fuisse*. Neque alterum hunc adventum inter tempora scriptae prioris et posterioris ad Cor. epistolae, sed, *antequam prima exararetur*, collocandum esse, iis potissimum docemur, quae 2 Cor. 1, 15. 23. 1 Cor. 16, 5. leguntur. At sunt, qui nobis opponant haec secundae ad Cor. ep. cap. 1, v. 5. verba: ἐβουλόμην πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν πρότερον, ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε *h*). Quo quidem loco de itinere Corinthio sermo est, quod apostolus suscepturus quidem fuerat, nec tamen vere susceperat. Iam quum P. hanc profectionem ideo se initurum fuisse dicat, ut Corinthiis *altera vice* χάριν afferret, ita concludunt: beneficio primo apostolum Corinthios ornasse, quum primum inter eos degerit; itaque iter illud, in quo χάριν secundam allaturus fuerit, secundum, in Isthmum iter habendum esse. Quod quoniam ap. non vere fecerit, eum ante scriptas ad Cor. epp. nonnisi semel in eorum urbe fuisse colligunt. Atque haec quidem Bleekius *i*) ita refutare studuit, ut, χάριτος vocabulo sensu vocis χαρὰ accepto, Paulum de *gaudio duplici* verba facere contenderet, altero, quo Corinthios in hoc, quod modo commemoravimus, itinere, altero, quo eos in alia affecturus fuerit peregrinatione, quam teste l. c. versu 16. serius

---

319.). *g*) Tillemontius (l. l. p. 605.), Schraderus (l. l. p. 96.), Koehlerus (l. l. p. 75.). *h*) Estius (comment. in 2 Cor. 1, 15.), Paleyius (hor. Paul. p. 124 sq.), Haselaarius (l. l. p. 138 sq.), Bertholdtius (l. l. VI, p 3357.), Emmerlingius (in comment. ad 2 Cor. 12, 14.). *i*) L. l. p. 621 sq.

fuerit suscepturus. Verum, ut recte Schottus k) monuit, neque δεύτερος pro διπλοῦς unquam dicitur, neque demonstrari potest, χάριτος nomen interdum idem ac χαρᾶς vocabulum valere; accedit, quod P. non, postquam de *utroque*, sed, postquam de *priore*, quod sibi proposuisset, itinere Corinthio locutus est, ideo se Corinthios aditurum fuisse dixit, ut secundo eos ornaret beneficio. Ac profecto hic ipse verborum ordo suadet, ut Paulum χάριν secundam in priore isto itinere cum Corinthiis communicaturum fuisse censeamus. Iam vero, quum voc. χάρις h. l. de beneficio eiusmodi intelligendum esse appareat, quod P. nonnisi praesens iis tribuere posset (sine dubio de praeceptis, admonitionibus, solatiis, et quae sunt generis eiusdem, ore propositis): facile perspicitur, eum *primam*, de qua hic cogitavit χάριν, quum *primum* eos doceret, attulisse, *altera* eos *secundo in itinere* aucturum fuisse. Quae quum ita sint, Paulus, antequam epp. ad Cor. componeret, illos nonnisi *semel* praesens instituisse putandus est. Quod quidem etsi prima specie iis repugnare videtur, quae e cap. 12. v. 14. et e cap. 13. vv. 1. et 2. concludenda duximus: haec tamen difficultas non ea est, quae tolli nequeat. Omnis enim nodus optime expeditur, si apostolum intra annum illum cum dimidio, quem, quum primum Corinthi esset, ibi transegit, per breve aliquod temporis spatium in regiones vicinas discessisse statuimus l); sic enim si res se habuit, P., etsi *bis* ad Corinthios venerat, ita ut in secunda, quam iis misit, ep. adventum *tertium* polliceri posset: tamen, quoniam per totum illud intervallum Corinthi potissimum docuerat, simile beneficium, quod in itinere seriore in eos collaturus erat, iure *secundum* appellavit m).

Quae si recte disputata sunt, neque cum Schradero faciendum esse apparet, et quicunque Paulum intra triennium demum Ephesinum altera vice Corinthum migrasse censent n), neque cum iis, qui Paulum hanc peregrinationem proxime antequam iterum Ephesum veniret suscepisse coniiciunt o); minus etiam cum Koehlero p), qui de itinere cogitat Act. 20, 2. 3. narrato.

Sed maioribus impeditur difficultatibus quaestio ea, quae est de temporibus itinerum Cretensis et Nicopolitani, quae a Paulo confecta esse ex ep. ad Titum scripta (1, 5. 3, 12.) colligere solent. Quibus de rebus quoniam Lucas nihil nobiscum communicavit q),

---

k) Eroerterung etc. p. 57. l) Eandem de tempore secundi illius apud Corinthios adventus sententiam Baronius quoque tuetur, Michaëlis, Schulzius, Leunius, Schmidtius, Schottus, cuius argumentationem (in l: Eroerterung etc. p. 58—61.) in iis, quae supra de hac re exposuimus, secuti sumus. m) Quod Act. c. 18. nulla huius itineris mentio facta est, ex eius brevitate explicandum videtur, quippe quae tanta fuerit, ut P. ipse, quodcunque boni Corinthiis post adventum et primum et secundum largitus fuerat, tamquam primum, quo eos amplexus fuerit, beneficium adspiceret. Hinc illud quoque intelligitur, ideo, quod P. priorem apud Corinthios commorationem hoc itinere interrupit, nostram de intervallo huius mansionis sententiam (p. 63. prolatam) nequaquam esse mutandam. n) Sic Tillemontius (ll. ll.); Bleekius ita statui *posse* concedit (l. l. p. 624.). o) Bleekius hanc sententiam ferri posse largitur; Neander (l. l. p. 316.) eam admodum probabilem ducit. p) L. l. p. 75. q) Etenim Nicopolin ne commemorat quidem, et, licet Paulum, quum Romam na-

quidam, quum haec itinera ne suscepta quidem esse putent, inter alia argumenta hoc ipsum afferunt, quo spuriam literarum illarum originem demonstrent r); alii et itinera et epistolae scriptionem ad aliud tempus, quam quod insecutum sit Romanam Pauli captivitatem, referri posse negant s); alii, etsi has res tempori, quod Acta complectuntur, interponendas esse arbitrantur, tamen in definienda, cui tribuendae sint, spatii huius parte magnopere inter se discrepant t).

---

vigaret, Cretam venisse narret (Act. 27, 7 sqq.), hoc tamen iter diversum esse ab eo, de quo in ep. ad Tit. sermo est, nisi alia multa docerent, vel inde pateret, quod Lucas, etsi tum temporis Pauli comes fuit, et sedulo, quae illo in itinere acciderunt, narravit, nullam prorsus evangelii a P. in insula propagati et Titi ibidem relicti mentionem fecit. r) Epistolam a Paulo profectam esse negavit Eichhornius (Einl. III, p. 317 — 328. 373 — 380.); magnopere de genuina eius origine dubitavit de Wettius (l. l. p. 276 — 279.). s) Ita praeter Usserium, Pearsonium, Millium, Bensonium, Bertholdtium, Heydenreichium, Boehlium, citatos a Schotto (isag. in ll. N. F. p. 312, not. 8.): Tillemontius (mém. I, 2, p. 682. 684 sq.), Basnagius (ann. ad a. 63. §§. IV. V.), Mynsterus (kl. theol. Schriften, p. 215 — 219.), Brentano, Schnappingerus, laudante, qui iis assentitur, Feilmosero (Einl. p. 443 sq.), Koehlerus (l. l. p. 97. 139 — 141.), Neander (Gesch. der Pflanzung d. chstl. Kirche etc. tom. I, p. 404 — 409.); dubius haeret, utrum cum his, an cum iis faciat, qui res, de quibus quaeritur, ante vincula Pauli Caesariensia collocant, Schottus (isag. in ll. N. F. p. 309. 312, not. 8 — 10., Eroerterung etc. p. 51.), alii. t) L. Cappellus (hist. ap. p. 16. 21.) et Witsius (melet. Leid. p. 68. 135.) Paulum, quum post conventum apostolorum in Ciliciam venisset (Act. 15, 41.), hinc, comitantibus Tito et Sila, Cretam navigasse, et, Tito ibi relicto, in Asiam minorem reversum, Lystram et Derben adiisse (Act. 16, 1.), epistolam ad Titum intra triennium Ephesi exactum, post priorem ad Corinthios ep., composuisse existimant; Nicopolin autem Cappellus eam, quae in Thracia ad Nessum fluvium, non longe a finibus Macedoniae, sita erat, intelligendam, aut, vocabulo Νικόπολιν in Νεάπολιν mutato, de Neapoli Macedoniae cogitandum esse putat; nec tamen Titum ab apostolo illuc, sed, abiecto consilio priore, Ephesum arcessitum et ad Corinthios missum esse statuit. — Michaëlis (Einl. in d. N. B. II, p. 1315.) et anonymus quidam (Süskindius) in Bengelii archiv. I, II, p. 377—381. iter Cretense et epistolae scriptionem commorationi Corinthiacae Act. 18, 1 sqq. narratae interponunt; sed in eo inter se dissentiunt, quod Mich. apostolum Nic. in Epiro venisse credit, Süsk. eum consilium Nicopolin proficiscendi exsecutum esse negat. — Hugius (l. l. II, p. 345 — 349. 438 sq.), Hemsenius (l. l. p. 193 sqq.), atque, ut videtur, Schraderi censor in ephem. Ien. a. 1831. (num. 81. p. 167.) Paulum exactis Corinthi mensibus 18, quum Hierosolyma veheretur, Cretam venisse, Epheso, quam illum eodem in itinere adiisse certum est (Act. 18, 19 — 21.), ad Titum Cretae relictum scripsisse, et, Hierosolymis atque Antiochia lustratis (Act. 18, 22.), Nicopoli in Cilicia hiemasse coniiciunt. Quam statuendi rationem Schottus (is. in ll. N. F. p. 309. 312. not. 6., Eroerterung etc. p. 50 sq.), si tempus itineris Cretensis spectaveris, non improbabilem esse largitur, sed ep. intra triennium Ephesinum compositam esse verisimilius ducit; qua sententia probata concedendum esse fatetur, „apostolum, quod prius cepisset, consilium, Titum suo tempore Nicopolin (in Epiro) arcessendi, postea mutavisse, Titumque, citius revocatum, ad Corinthios legare maluisse.“ — Schmidtius (Einl. in's N. T., tom. I. p. 265.) res, de quibus loquimur, optime intra secundam apud Ephesios commorationem poni, et de Nicopoli Ciliciae cogitari censet. Epistolam certe hac aetate exaratam esse, et Paulum Epheso digressum Nicopolin (in Thracia) se contulisse Calvisius (op. chronol. p. 447.) et Henschenius (in Actis SS. Iunii tom. V. p. 403.) putant. — Quo tempore P., Epheso

Sed has sententias singulas singulatim diiudicare quum alienum sit ab huius disputationis consilio: de sola Schraderi argumentatione verba faciemus.

Atque is quidem, quum neque subdititiam habeat epistolam, neque Paulum vinculis Romanis liberatum esse concedat, ad eorum, quos ultimo loco commemoravimus, partes transgressus, literas et itinera in triennium Ephesinum inserit. *Iter* autem *Cretense* alterum apostoli apud Ephesios adventum antecessisse ideo negat, quod, etsi fieri potuerit, ut ille in itinere Corintho Hierosolyma facto (Act. 18, 18—22.) Cretam appelleret, tamen non tamdiu ibi mansisse existimandus sit, ut variis in urbibus (*κατὰ πόλιν*, 1, 5.) doctrinam salutarem disseminare posset (p. 102.). Sed neque post ultimum ex Ephesiis discessum eum in insulam navigasse largitur, quoniam Epheso in Macedoniam profectus, Hierosolyma ita petierit, ut Cretam non tangeret (p. 101 sq.), in itinere vero Hierosolymis Romam facto quamquam Cretae paulisper fuerit, tamen ei, quum captivus esset, neque *κατὰ πόλιν* docere, neque de Nicopoli mox adeunda cogitare licuerit (p. 100 sq.). Itaque Paulum post perfectam, quam Actis interponendam esse ducit, peregrinationem Macedonicam, Corintho visa, Cretam tetendisse, ibique per sex fere menses (ab auctumno a. 54. ad initium aestatis a. 55.) homines instituisse coniicit (p. 102 sq.). *Epistolam* autem post secundum in urbem Ephesinam adventum exaratam esse, *partim* inde, quod post iter Cretense composita sit, *partim* ex eo concludit, quod et Tychicus et Apollos inter Pauli sodales commemorentur (3, 12. 13.), qui prius in eius societatem recipi non potuerint, alter, quia tempore eodem Ephesi ad sacra Christiana se converterit et Corinthum migraverit, quo P. Galatiam et Phrygiam peragraverit secunda vice Ephesum aditurus (Act. 18, 24. — 19, 1.), alter, quia, quum esset *Ἀσιανὸς* (ex Asia proconsulari, cuius urbs primaria Ephesus erat, oriundus), Paulo tum demum se adiunxisse dicendus sit, quum *πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν Ἀσίαν* (Act. 19, 10.) doctrinam salutarem audivissent. Ceterum ut epistolam *brevi* post hanc profectionem textam esse demonstret, hoc potissi-

---

profectus, in Macedonia et Graecia versatus fuerit (Act. 20, 1 — 3.), epistolam textam esse Theodoretus (ad Tit. 3, 12., et in prooem. in epp. Pauli) credit. Et literas et itinera eidem aetati assignant Baronius (ann. ad a. Ch. 57. Ner. 1. §. CCIX., ad a. Ch. 58. Ner. 2. §. I.), Calovius, ut videtur (in bibl. illustr., prol. in ep. ad Tit.), Lightfootus (opp. ed. Franeq. 1699. fol. tom. II. p. 91 sq.), Hammondus (in paraphr. N. T., praemonit. in eand. ep.), Lardnerus (in supplemm. tom. II. p. 101 — 118. 187 — 191. laud. Mynstero, opuscc. p. 184.), Zachariae (paraphr. Erklärung der Brr. an Tim. Tit. u. Philem. Gott. 1775, in prol.), Schmidius (hist. ant. et vind. can. etc. p. 635 sq.), Heinrichsius (prol. in ep. ad Tit. p. 196 sqq.); quorum alii (ut Baron., Calov., Lightf., Hamm.) eum, antequam Achaiam intraret, alii (ut Zach., Schmidius, Heinr.) post adventum in hanc terram ad Cretenses navigasse arbitrantur; Nicopolin aut Epiri (ut Baron., Hamm.), aut Thraciae (ut Lightf., Heinr.) dictam esse putant, aut, quaenam huius nominis urbs intelligenda sit, non definiunt. — Grotius (praef. in ep.) Titum a Paulo, quum captivus Romam duceretur (Act. 27, 7 sqq.) Cretae, ubi iam prius ab hominibus ignotis evangelii semina sparsa fuerint, relictum, apostolum vero, vinculis Romanis liberatum, quum Nicopoli in Epiro hiemare constituisset, literas ad eum dedisse opinatur.

novo utitur argumento, quod ep. Tito (1, 5) in memoriam revocet, se eum Cretae reliquisse, ut presbyteros ibi constitueret: cuius quidem admonitionis causa alia cogitari nequeat, quam quod P., quia brevi antea discessisset a Tito, non potuerit, quin eum negotium illud nondum omni ex parte perfecisse suspicaretur (p. 104). Quibus addit, magnam, quae epistolam ad Titum inter et priores ad Timotheum literas intercedat, similitudinem indicio esse, utrasque tempore eodem esse conceptas (p. 106 sqq.). Ad *Nicopolin* denique quod attinet, Paulum ea ipsa aetate ibi versatum putat, qua epistolam ad Titum componeret, ut qui alioquin scribere non potuerit (3, 12): *σπούδασον ἐλθεῖν πρός με εἰς Νικόπολιν* (p. 115). Intelligendam autem arbitratur non aliquam earum huius nominis urbium, de quibus vulgo cogitetur, quae in Epiro et in Thracia sitae fuerint, sed Nic. Ciliciae; quam quidem sententiam partim propter argumenta quaedam tuetur ex tota itinerum, quae tum temporis a Paulo facta credit, ratione petita, partim ideo, quod apostolus vix hiberuaturus fuisset in civitate, quam antea nunquam adiisset; qui quum prius nec in Thracia fuisset, nec in Epiro, in Cilicia vero iam pridem nonnullas constituisset ecclesias, quas tum per quadriennium non vidisset: maxime consentaneum fuisse existimat, ut in aliqua ex earum numero hiemem transigere cuperet.

In his etsi haud pauca recte disputata videntur, sunt tamen, de quorum veritate nobis persuadere non potuerimus. Atque in eo quidem Schradero suffragamur, quod et literas, de quibus quaeritur, Paulo tribuit auctori, et tempori vinculis Caesariensibus priori interponere studuit; deinde ex iis, quae cap. 1, v. 5. leguntur, nos quoque patere censemus, epistolam non multo postquam P. insulam reliquit datam esse, et Apollonii Tychicique res ita se habere concedimus, ut ante eius secundum apud Ephesios adventum scripta dici nequeat v); ea denique, quae Paulum post ultimum ex Ephesiis discessum egisse novimus, cogere largimur, ut eam ante hunc discessum exaratam esse statuamus. Praeterea illud quoque maxime omnium probabile nobis videtur, epist. tum demum conscriptam esse, quum P. per idoneum temporis spatium Ephesi commoratus esset, quia nec facile Tychico prius curam ecclesiae alicuius demandasset x), et sine dubio peracto demum intervallo haud exiguo de Epheso ad longius tempus relinquenda (cf. 3, 12) cogitare coepit. At licet, his permoti rationibus, eatenus a Schraderi partibus stemus, quatenus et iter Cretense et epistolae scriptionem intra triennium Ephesinum, et quidem sub fine potius, quam initio huius intervalli collocamus: in reliquis non possumus, quin ab eius sententia recedamus. Primum enim, quominus apostolum Cretae *diutius* versatum censeamus, eo impedimur, quod Lucas, quum satis accurate, quae Ephesi tum acciderunt, nosset, silentio non transiisset peregrinationem interea factam, nisi si ea tam parvum complexa esset spatium, ut memoratu non digna videretur y). Quamobrem

---

v) Etsi Tychicum iam antequam omnes Asiae incolae ad evangelii notitiam pervenissent Paulo tamquam socium se adiunxisse, non est, quod negemus. x) Vix enim aliam ob causam, quam ut Titi vices susciperet, Paulus Tychicum in Cretam missurus fuisse videtur. y) Simili ratione Lucam secundum Pauli iter Corinthium propter summam eius brevitatem

Cretenses tum temporis a Paulo non *ad Christi sacra adductos*, sed, quum iam prius (aut a P. ipso, siquidem eum in itinere Act. 18, 18 sq. relato per aliquot dies Cretae fuisse suspicari licet, aut ab aliquo apostoli discipulo) prima novae doctrinae semina sparsa fuissent, *visitatos* esse coniicimus; causam vero, cur nonnisi brevi in insula moraretur, in eo positam fuisse credimus, quod negotia graviora eum mox ad Ephesios revocarent; vix certe simplicius explicetur, quid fuerit, quod Titum relinqueret, *ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃ κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους*, neque ipse potius has res perficeret. Ac propter idem illud Lucae silentium Paulum Nicopoli hiemasse negamus; nam quum apostolus solam, quam Epheso digressus liber traduxit, hiemem non Nicopoli, sed Corinthi et acturus fuerit, et (ut maxime certe probabile est, cf. p. 52.) vere egerit: si quando Nicop. hiemasset, id, antequam Epheso ultimum abiret, fecisset. Itaque eum *decrevisse* quidem *iter Nic.*, nec tamen *exsecutum esse* arbitramur. Cui sententiae quomodo obstet, quod P., *σπούδασον*, ait, *ἐλθεῖν πρός με εἰς Νικ.*, equidem non video; hoc enim solum dicit, velle se, ut Titus Nicopolin adeat, ibique se conveniat; utrum ipse Nicopoli iam versetur, an versaturus demum sit, non indicat. Nicopolin autem non eam credimus commemorari, quae in Cilicia sita erat, quoniam P. non in oppidis, sed in urbibus diutius haerere solebat, utpote ex quibus doctrina salutaris sponte in regionem vicinam propagaretur; quae vero eiusdem nominis civitates in Palaestina erant, in Aegypto, in Armenia, Ponto, Bithynia et Thracia *), aut nimis exiguae erant, aut a Creta Ephesoque, atque ab iis omnino regionibus, quas P. hucusque lustraverat, nimis remotae, quam de quibus cogitare liceat. Restat una *Epiri* Nicop., quae, uti pro ambitu digna erat, in qua P. diutius moraretur, ita tam nobilis, ut, etsi sine cognomine appellaretur, facile de hac sermonem esse intelligeretur. Quae quum ita sint, optime sic statui censemus: Paulum aestate ea, quae ultimam, quam Ephesi degit, hiemem antecessit, ex hac urbe cum Tito ad Cretenses, iam prius auctore nescio quo ad Christi castra transgressos, vectum, insula mox relicta ad Ephesios reversum, epistolam scripsisse, eodemque tempore sibi proposuisse, ut iter Nicopolin, quae in Epiro erat, faceret, nec tamen hanc rem executum esse. Quam coniecturam haud parum eo commendari credimus, quod aliunde (cf. 2 Cor. 1, 15 sq.) constat, Paulum circa ultimum, quod Ephesi exegit, tempus, et quidem, uti (p. 78. nota b.) probare studebimus, ante hiemem consilium cepisse iter aliquod per Isthmum (non longe ab Epiro dissitum) in Macedoniam ineundi, sed postea sententiam mutasse. Quid quod apostolus, quum itineris consilium ita invertisset, ut non Corintho in Macedoniam, sed e Maced.

---

tacitum praeteriisse vidimus (p. 73. not. m.). Ceterum si iter Cretense brevissimo (fortasse ne mensis quidem integri) spatio absolutum est, non illud eiusmodi fuisse apparet, quo cogamur, ut a sententia recedamus ea, quam p. 59 sq. de intervallo a P. Ephesi exacto proposuimus. *) Nicopolin Thraciae a Traiano demum conditam, ideoque in quaestione nostra ne respiciendam quidem esse, haud pauci contenderunt; at non Thraciae, sed Moesiae Nicopolin ab hoc imperatore esse exstructam, Schraderus (l. l. p. 117.) demonstravit.

Corinthum migraret, Illyricum quoque adiit *a*), quod inter et Achaiam *Epirus* interiacet, ut summa veri specie *hanc quoque terram* tum peragrasse dicatur. Iam si P., inverso itineris consilio, e Maced. per Illyricum et Epirum Corinthum pervenisse recte existimatur: quid magis in promtu est, quam ut eum prius, Corintho visa, per *Epirum* et Illyricum Macedoniam petiturum fuisse coniiciamus *b*)? — Unum superest, quod huic temporis definitioni obstare videatur: similitudinem dico, quae epistolae ad Titum est cum prioribus ad Tim. literis, conspicuam illam et in verbis haud paucis, iisque in aliis Pauli operibus non obviis, et in omni argumento; quam quidem similitudinem Schr. post alios tanti fecit, ut epistolam utramque eadem fere aetate scriptam esse putaret. At illam epistolarum *convenientiam* satis commode inde licet derivare, quod Paulo et de rebus dicendum erat iisdem, et hominibus scribendum eodem amicitiae vinculo secum iunctis; *diversitatem* a ceteris Pauli literis inde profectam esse non sine iure statueris, quod P. de rebus egit, quas alibi non attigit, et cum sociis egit, quibus epistolas alias, quae quidem aetatem tulerint, non misit *c*), exceptis posterioribus ad Tim. literis, quae tamen et ipsae in omni oratione et magnopere congruunt cum his, de quibus nunc loquimur, epistolis, et a reliquis Pauli scriptis non una in re differunt. Si vero singularem illam epistolae ad Timotheum prioris et ep. ad Titum rationem praeterea ita velis explicare, ut alteram post intervallum brevissimum alteram excepisse dicas: vereor ut hanc sententiam aptis probare possis argumentis. Nam in epp., quas P. Colossensibus atque Ephesiis tempore (ut rectissime plurimi iudicant) eodem et de iisdem fere rebus scripsit,

---

a) Profectionem Illyricam (Rom. 15,19.) ad hanc pertinere aetatem, infra probare studebimus. *b*) Ad dubia quaedam tollenda, quae impedimento esse videri possint, quominus 2 Cor. 1, 15 sq. et Tit. 3, 12. de uno eodemque itinere verba fieri credamus, haec monere liceat. Paulum diu ante scriptam 1. ad Cor. ep., quae, uti vidimus (p. 52 sq.), summa cum probabilitate circa ultimum, quod ap. Ephesi celebravit, pascha composita dicitur, Corinthios certiores fecisse de consilio per Isthmum in Macedoniam proficiscendi, non sine iure inde collegeris, quod huius ep. c. 4, v. 18. Corinthiorum nonnulli dubitasse traduntur, annon P. vere Corinthum aditurus esset; haec enim dubitatio haud facile oriri potuisset, nisi si illi apostolum iam diutius exspectassent. Nuncium autem de hoc, quem sibi proposuisset, adventu P. vix ac ne vix quidem hieme mittere potuerat; veri igitur simillimum est, eum consilium illud *ante hiemem* cum Achaeis communicasse. At si tum Corinthiis (perinde ac Tito, cf. 3, 12.) significasset, illud sese iter *ante hiemem* initurum esse: mirum esset, quod eos non solum in prioribus demum, quas vocamus, ad Cor. literis (16, 5.) de consilii mutatione docuerit, sed ne excusaverit quidem, quod non prius docuerit. Quae difficultates ita facillime expediri posse videntur, ut tum quidem, quum Tito scriberet, hoc apostolo propositum fuisse dicamus, ut ante hiemem in Epirum se conferret; sed, quum vidisset, se impeditum iri, quominus tam cito consilium illud exsequeretur, rem procrastinasse, ac posthac demum Corinthiis nunciasse, se per eorum urbem (Epirum et) Macedoniam petiturum esse, tempore tamen, quo eos aditurus esset (non secus atque in 1. ad Cor. ep. 4, 18. 16, 6.) non accuratius definito. Quae si concessum fuerit non sine probabilitate statui: hoc quoque largiendum erit, quum P. serius consilium ita mutasset, ut non per Corinthum in Mac., sed e Mac. Corinthum tendere decrevisset, non opus fuisse Corinthios citius hac de re certiores facere, quam Paulum vere fecisse novimus. *c*) Cf. Curtius (l. l. p. 108 sqq.).

tanta reperitur et in verbis singulis et in toto dicendi genere et in ordine sententiarum convenientia, quacum similitudo illarum, quas modo commemoravimus, epistolarum comparari vix ac ne vix quidem possit [d]). Hinc etsi nequaquam certo sequitur, has literas longiore demum spatio interposito textas esse, summa tamen cum probabilitate conieceris, magis eas consonas futuras fuisse, si ad rerum similitudinem et parem Pauli cum iis, quibus scripsit, consuetudinem hoc quoque accessisset, quod eodem fere tempore eas composuisset. — Ceterum in eo non satis sibi constitisse Schr. videtur, quod 2. ad Tim. ep., quae magis cum his epistolis, quam cum reliquis Pauli operibus cognata est, septem fere annis serius exaratam esse censuit.

Nicopoli Schr. Paulum a. 56. ineunte in urbem sanctam profectum esse dicit una cum Barnaba et Tito, qui brevi antea apostolum, eius voluntati obsecutus (Tit. 3, 12.) in illo Ciliciae oppido convenerit. Cuius opinionis argumentum inprimis ex ep. ad Gal. 2, 1 sqq. petit (p. 120 sqq. cll. p. 72 sqq.). Quo quidem loco cur Paulum de itinere loqui credat diverso ab unaquaque earum peregrinationum, quas Lucas retulit, ex instituti ratione cap. demum IV. exponi ac diiudicari poterit; cur profectionem illam huic potissimum tempori assignandam ducat, brevi videbimus. Nunc illud monuisse sufficiat, ex nostra certe sententia auctorem nequaquam, quod voluit, comprobasse.

Hierosolymis apostolum in Ciliciam rediisse, et, maxima usum

---

d) Hoc quo facilius perspiciatur, conferamus, quae P. in epp. ad Tit. et ad Tim., et quae in literis ad Eph. et ad Col. datis de officiis servorum docet:

1 Tim. 6, 1.

Ὅσοι εἰσὶν ὑπὸ ζυγὸν δοῦλοι, τοὺς ἰδίους δεσπότας πάσης τιμῆς ἀξίους ἡγείσθωσαν, ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται.

Tit. 2, 9 sq.

Δούλους, ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι, ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, μὴ ἀντιλέγοντας, μὴ νοσφιζομένους, ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους ἀγαθήν, ἵνα τὴν διδασκαλίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ κοσμῶσιν ἐν πᾶσιν.

Ephes. 6, 5—8.

Οἱ δοῦλοι, ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα, μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν, ὡς τῷ Χριστῷ· μὴ κατ᾽ ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ᾽ ὡς δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ, ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ· ἐκ ψυχῆς, μετ᾽ εὐνοίας δουλεύοντες, ὡς τῷ κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις· εἰδότες, ὅτι ὃ ἐάν τι ἕκαστος ποιήσῃ ἀγαθόν, τοῦτο κομιεῖται παρὰ κυρίου, εἴτε δοῦλος, εἴτε ἐλεύθερος.

Col. 3, 22—25.

Οἱ δοῦλοι, ὑπακούετε κατὰ πάντα τοῖς κατὰ σάρκα κυρίοις, μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλείαις ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ᾽ ἐν ἁπλότητι καρδίας, φοβούμενοι τὸν κύριον· καὶ πᾶν, ὅ, τι ἐὰν ποιῆτε, ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε, ὡς τῷ κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις· εἰδότες, ὅτι ἀπὸ κυρίου ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας· τῷ γὰρ κυρίῳ Χριστῷ δουλεύετε. Ὁ δὲ ἀδικῶν κομιεῖται, ὃ ἠδίκησε· καὶ οὐκ ἔστι προσωποληψία.

Altera in expositione plurima differre, pauca similia esse, in altera fere omnia congruere, non est quod commemoretur. Atque in omni ep. ad Titum vix ullus est locus, qui tantopere consonus sit cum loco aliquo primae ad Tim. ep., quantum magna pars eorum, quae in epp. ad Col. leguntur, cum iis convenit, quae in literis ad Eph. datis scripta sunt. Ceterum omnis sententiarum series diversissima est in epp. ad Tit. et ad Tim., simillima in epp. ad Eph. et ad Colossenses exaratis.

celeritate, Galatia permeata, Ephesum venisse, idem (p. 125 sq.) arbitratur. Nos, si Paulum ex urbe sancta tum temporis Ephesum migrasse concederemus, facile eum per Galatiam transiisse largiremur, quippe quam viam apostolus, in Asiam tendens proconsularem, ingredi soleret (Act. 16, 6. 18, 23.); sed huius itineris vestigium in prima ad Cor. ep. (quam Schr. cum plurimis Ephesi circa tempus Act. 19, 21 sq. descriptum, et recte quidem, textam esse indicat, h. e., circa tempus illud, quod ex eius sententia peregrinationem a Luca omissam proxime est insecutum), in hac, inquam, epistola, cap. 16, v. 1. 2., ubi P. se cum ecclesiis Galatiae communicasse dicit, qua ratione eranum pro pauperibus Hieros. colligi velit, itineris illius per Galatas facti vestigium certum inveniri negamus. Sane l. l. ad mandatum aliquod in *ep. ad Gal.* datum non respici, nos quoque contendimus; non ac si cum Schr. Gal. 2, 10. de *collectione iam perfecta* sermonem esse putemus; — nam neque P. aliud quidquam dicit, quam, *pauperum sese curam habuisse*, neque, si de *collectione* in usum egenorum *iam facta* loqueretur, de *ea collectione* cogitari necesse esset, *de qua in ep. ad Cor. verba fiunt*; — sed quia, ut idem rectius monet, nullum omnino eiusmodi mandatum in tota ep. reperitur; nam quis tandem illud cum L. Cappello *e*) et Blochio *f*), locis Gal. 6, 6. 10. quaesiverit? Verum etsi Paulus citato ep. ad Cor. loco nullam mandati in *literis ad Gal. scriptis* dati rationem habuit: num inde sequitur, eum *in itinere per Galatiam non multo ante exaratam* 1. *ad Cor. ep. facto* huius terrae incolas ad pecunias colligendas incitasse? Nonne idem *aut in itinere Act.* 18, 23. *tradito, aut,* quum iam Ephesi degeret, *nunciorum ope* efficere potuit? Nihil enim, ut Schr. credit, ea, quae 1 Cor. 16, 1. leguntur, impediunt, quominus de iussu per nuncios ad Gal. perlato cogitemus. —— Paulum *celeriter* Ephesum profectum esse, e loco 1 Tim. 3, 14. recte concludi posse, ne tum quidem Schradero (cf. p. 128.) concederemus, si vel has literas eidem atque ipse tempori tribueremus; neque enim ap., se revera celeriter adventurum esse, sed, fieri posse, ut, quamquam festinaret, tamen *tardius* adveniret, diserte elocutus est. Alterum eiusdem sententiae argumentum V. D. e prima ad Cor. ep. petit (p. 128.), cuius ex cap. 16, v. 8. apparere monet, apostolum haud exiguo ante pentecosten tempore Ephesum rediisse. Iam quum Paulum *eodem anno*, antequam Ephesum redux has literas scriberet, iter Hierosolymitanum Gal. 2, 1 sqq. memoratum confecisse credat, non potest, quin eum celerrime Ephesum tetendisse censeat. At si vel concederemus, loco ex ep. ad Gal. laudato de itinere Hieros. sermonem esse, cuius mentionem Lucas nusquam iniecerit: tamen, hanc peregrinationem in annum incidisse eum, quo 1. ad Cor. ep. composita sit, Schr. nequaquam nobis persuasisset. Argumentis autem usus est his. Posteriores ad Cor. literas aliquanto serius, quam priores, sed anno eodem exaratas esse, idque iure suo, contendit. Iam vero Paulum

---

e) In hist. apost. append. char. VI. p. 69. *f*) In chronotaxi scriptt. D. Pauli, Flensb. et Lips. 1782, 8. (p. 137.), ubi auctor Gal. 2, 10. eodem respici opinatur.

hanc ipsam ep. (secundam dico) eo conscripsisse anno, quo iter illud Hierosolymitanum fecerit, e loco 2 Cor. 11, 31 — 12, 2. probare studuit, ita ratiocinatus (p. 55—57. cll. p. 120. 150.): persecutionem, qua P. Damasci se exagitatum esse tradat (11, 32.), collatam cum iis, quae antea (11, 23—29.) recenseantur, eiusdem calamitatibus, minoris esse momenti, quam cuius veritatem apostolus iureiurando (v. 31.) confirmasse dici possit; iusiurandum igitur illud ad eximiam potius revelationem spectare, qua P. (c. 12. ineunte) ante annos XIV se ornatum esse referat; itaque totum locum non secus esse intelligendum, ac si apost. scripsisset: „sanctissime affirmo, me, quum Damasco fugissem (primum rei Christianae causa vexatus), ante hos quatuordecim annos in ecstasin raptum esse," et quae sunt reliqua. Quem quum putaret esse loci nexum, fugam et ecstasin eodem fere tempore accidisse, quin hanc visionem ab ea non diversam fuisse conclusit, quae Paulo primum ex urbe Damascena ad Hierosolymitanos reduci in templo sit oblata (Act. 22, 17 sqq.). Iam quia, qui Gal. 2, 1. commemorantur, anni XIV ab eodem ei numerandi videbantur anno, quo P., Damasco profugus, primum Hierosolyma venerat (Gal. 1, 18.): apostolum uno eodemque anno et 2. ad Cor. ep. scripsisse, et iter Hierosolymitanum, cuius mentio fit Gal. 2, 1 sqq., suscepisse collegit, hoc solo discrimine, quod altera res post annos $13\frac{4}{8}$, altera post annos $14\frac{1}{8}$ evenerit, quae quidem intervalla Paulus, quia nihil attinuerit, menses et dies accuratius definire, annorum XIV nomine denotaverit. At enimvero, ut alia praetereamus, quae vel minoris sunt, vel de quibus serius demum agere licet: quem Schr. loco 2 Cor. 11, 31 — 12, 2. sensum tribuit, is in verbis inesse nullo modo potest. Neque enim, quae ap. de visione tradit, ita sunt cum narratione de fuga coniuncta, ut vel obscure indicetur, cohaerentiam quandam inter utramque rem fuisse; sed, postquam P. de *miseriis* locutus est propter rem Christianam a se toleratis (11, 23—33.), his cap. 12. *laeta* quaedam opponit, et quidem *ὀπτασίας* et *ἀποκαλύψεις κυρίου*, quae itidem sibi contigerint; quas res quum prius in universum commemorasset (v. 1.), deinde (v. 2 sqq.) exempli causa visionem aliquam maxime insignem accuratius exponit. Neque illa iurisiurandi formula cur ad narrationem eam, quacum connexa est, pertinere non possit, equidem video; nonne enim P. eo, quod, reliquis, quae sibi accidissent, malis *breviter* enumeratis (11, 23—29.), unum illud, de quo v. 32 sq. loquitur, *pluribus* describit, hanc se omnium fere gravissimam habere calamitatem indicat? His accedit, quod, si Paulus uno eodemque anno et Hierosolymis fuisse, et hinc Ephesum redux primam ad Cor. epistolam texuisse existimatur, eiusmodi oriuntur difficultates, quae expediri vix ac ne vix quidem possint. Quis enim sibi persuadeat, Paulum Hierosolymis Ianuario circiter profectum Ephesi primum literas illas, quas periisse constat, ad Corinthios exarasse (cf. 1 Cor. 5, 9.), deinde epistolam accepisse ab his sibi missam (1 Cor. 7, 1. al.), hinc literas ad eosdem dedisse eas, quas priores vocamus, ac nihilominus tantum etiam tum superfuisse ad pentecosten spatii, ut sperare posset, fore, ut interea multum proficeret in doctrina Christiana Ephesi disseminanda (1 Cor. 16, 9.)?

Atque haec quidem sunt, quae Schraderum permoverunt, ut Paulum inter tempora ea, de quibus Act. 19. 20. et 21. verba fiunt, varia suscepisse crederet itinera, quorum nullum in Actis vestigium reperiatur. Iam vero postquam ostendimus, quidni huic sententiae nostram adscribamus, ad diiudicanda ea argumenta progrediamur, quibus idem perductus aliter, quam vulgo fit, de ratione itineris Act. 20, 1—3. relati statuit. Etenim auctumno a. 56. Paulum Epheso in Macedoniam profectum amplius biennio ibi versatum, a. 58. aestate Corinthum venisse, inde reversum Athenis per tres menses commoratum esse, ac paschate demum a. 59. Philippis Hierosolyma navigasse censet.

Primum igitur, *auctumno*, neque circa pentecosten, *Ephesum ab apostolo relictam esse*, ideo potissimum credit, quod ille, quum magnum, de quo modo disseruimus, iter ingrederetur, praeter paucos dies (Act. 18, 19—21.) biennium cum tribus mensibus (Act. 19, 8. 10.) hac in urbe degisset, eaque de causa, nisi redux per sex certe menses ibidem haesisset, Ephesios per triennium (Act. 20, 31.) instituisse dici non potuisset. Iam vero quoniam Paulum aliquanto ante pentecosten (inter pascha et pentecosten) Ephesum rediisse arbitratur, eum circa auctumnum discessisse concludit (p. 129—131.). At varia in hac argumentatione ponuntur, quae concedi nequeunt: *primum*, Lucam Act. 19, 1—20. ea referre, quae intra menses XXVII vv. 8. et 10. commemoratos gesta sint, a v. inde 21. de iis loqui, quae ap. his praeterlapsis egerit; quod quam parum probabile sit, p. 58 sq. vidimus; *deinde*, sex illos menses, quos Schr. biennio tribusque mensibus addendos ducit, numerandos esse a tempore pentecosten aliquantum antegresso; quae sententia quum eo nitatur, quod V. D. Paulum circa tempus Act. 19, 21. indicatum ex magno illo itinere, quod Lucam neglexisse opinatur, ad Ephesios reversum putat, sublato hoc fundamento id, quod est superstructum, corruere necesse est. Ceterum quibus rationibus ducti ap. pentecoste potius, quam alia aetate Epheso abiisse existimemus, p. 57. declaravimus.

Sequitur, ut de iis dicamus, quae Schradero persuaserunt, ut itineri in Graeciam facto *maiorem*, quam qui vulgo tribuitur, *ambitum* assignaret. *Primum* autem argumentum (p. 152 sq.) in multitudine sociorum quaerit, qui Paulum, quum Philippis proficisceretur, comitati dicantur (Act. 20, 4.), unde colligere liceat, plures etiam ei adfuisse, quum per Maced. et Graec. migraret. Fieri igitur vix potuisse monet, quin P., cui tam felici esse contigerit, ut tanta comitum turba stiparetur, hac opportunitate usus, doctrinam salutarem longe ultra terminos eos, intra quos hucusque se continuerit, dispergeret (eoque ipso diutius in itinere illo versaretur). At praeterquam quod certo concludi nequit, plures apostolo in Macedonia et Graecia sodales fuisse, quam qui eum in Asiam comitati fuerint, et quod ex ista sociorum multitudine non sequitur, Paulum tum temporis evangelium ulterius, quam antea, tulisse: non sine probabilitate suspicari licet, illos (etsi non omnes, at plurimos certe) ne docendi quidem causa apostolum comitatos esse, sed ut tamquam singularum, quibus adscripti erant, ecclesiarum legati eranum ab his in usum pauperum Iudaicorum collectum

Hierosolyma perferrent g). — *Hinc* eiusdem sententiae testimonia ex ep. petit ad Rom. scripta, quam cum plurimis Corinthi, quum P. iter perfecisset Epheso in Graeciam susceptum (et recte quidem h)) exaratam censet i). Allatis igitur (p. 153 sq.) cap. 16, vv. 3—5., postquam nonnulla, quae levissima sunt, proposuit, ita argumentatur: Aquilam et Priscillam, qui, quum prima ad Cor. ep. scriberetur (ante pentecosten a. 56., e Schraderi quidem sententia), Ephesi fuissent (1 Cor. 16, 19.), teste loco ep. ad Rom. modo citato tum, quum hae literae texerentur, Romae degisse, quin Paulum iam compertum habuisse, in eorum domicilio Christianos convenire; neque vero, si vel hi ipsa aestate anni 56. in viam se dedissent, fieri facile potuisse, ut nuncius ille ante auctumnum a. 57. ad apostolum perferretur; eaque de causa epistolam prius aestate anni 58. componi non potuisse contendit. At Epheso Romam mensis unius spatio, Roma Corinthum celerius etiam perveniri poterat; et, donec ecclesia in domo Aquilae et Priscillae congregaretur, vix paucarum hebdomadum intervallo opus fuisse recte conieceris. *Deinde* (p. 154 sq.), quid fuerit, quod P. cap. 16., licet Romam nondum vidisset, magnum tamen Christianorum ibi degentium numerum nominatim salutari iuberet, ita Schr. explicat, ut multos Iudaeorum a Claudio imperatore ex urbe pulsorum (Act. 18, 2.) variis in regionibus in Pauli notitiam pervenisse, ab eoque ad sacra Christiana ductos esse statuat, qui

g) Ecclesiae certe Corinthiae legatos Paulum secum ducere voluisse, e 1 Cor. 16, 4., cll. 3., apparet; unde haud perperam concluseris, apostolum constituisse, ut aliarum quoque ecclesiarum legati in itinere illo se prosequerentur. Veri igitur simile est, plurimos eorum, qui Act. 20, 4. commemorantur, ab ecclesiis Macedoniae et a coetu Ephesino electos esse, qui stipem suam ita ferrent Hierosolyma, ut Paulo comites sese adiungerent. Corinthiorum quidem neminem in numero horum sociorum invenimus; sed quid obstat, quominus istos ignota quadam de causa aut Timotheo (quem tum Corinthi versatum fuisse ex ep. ad Rom. 16, 21. discimus), aut Paulo ipsi suas tradidisse pecunias credamus? Cf. quae de his Pauli comitibus Curtius disputavit (l. l. p. 143—154.) et Hemsenius (l. l. p. 471 sqq. 486 sq.). h) Etenim, quae Rom. 15, 24—32. leguntur, ep. proxime ante ultimum P. iter Hieros. textam esse docent; loci 16, 1. 23., cll. 1 Cor. 1, 14. et 2 Tim. 4, 20., eam Corinthi conceptam esse demonstrant. Quibus quidem testimoniis ad nostram de tempore et loco, quo hae literae exaratae fuerint, sententiam comprobandam uti non dubitamus; neque enim idoneis nituntur argumentis, qui aut capp. XV. et XVI. (ut Semlerus, Paulus, Eichhornius), aut XVI. (ut Dav. Schulzius, et, qui eum secutus est, Schottus) ad epistolam ipsam pertinere negant. Cf., quae contra Seml., Paul. Eichh. praeter alios Bertholdtius (l. l. VI, p. 3291 sqq.), et, quae contra Schulzium Neander (Gesch. d. Pflanzg. d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 343 sq. not.) monuit. — Ceterum perpauci fuerunt, qui a vulgari de loco atque aetate huius epistolae sententia recederent, Io. Toblerus (theol. Aufsaetze und Andachtsblaetter, p. 41 sqq.), E. Kühzius (diss. de tempore, quo scripta fuerit ep. ad Rom., sub moderamine Semleri defensa, Halis 1767, 4., cit. Schotto, isag. in ll. N. F. p. 248.), Paulus (progr.: de originibus ep. Paulinae ad Rom. Paralipomena, Ienae 1801, 4.). i) Nonnisi eatenus a reliquis dissentit, quod hi ep. hieme vel vere ineunte scriptam esse existimant, ipse ante hiemem compositam arbitratur. Paulum enim Corintho relicta menses hibernos (Act. 20, 3.) Athenis exegisse coniicit. At quam infirmis haec ipsa statuendi ratio argumentis fulciatur, mox videbimus.

quidem Claudio mortuo cum reliquis, qui exulassent, Iudaeis Romam redierint. Negat autem, ecclesiam iam denuo conditam citius, quam pluribus annis praeterlapsis tanta capere incrementa potuisse, quanta eam, quum ep. illa scriberetur, cepisse deprehendamus. Itaque quum Claudius a. d. III. Idus Octobres anni 54. obierit, has literas vix ante aestatem a. 58. scribi potuisse credit. Sed ut alia taceamus, unde tandem constat, Iudaeos Nerone demum imperante Romam repetiisse? Quos ut concedamus non prius rediisse: num longiore, quam biennii, ut multum demus, spatio opus erat, donec et reverteretur tantus Iudaeorum Christum colentium numerus, et ecclesia Romana eam indueret formam, quae in ep. nostra describitur? *Porro* (p. 155 sq.) ex cap. 1, v. 13. cognosci monet, Paulum, ex quo Romam proficisci decreverit, usque dum has literas exararet, variis rebus iterum iterumque, quominus propositum perageret, impeditum esse. Iam vero apostolum huius itineris consilium nec prius capere potuisse censet, quam Nerone ad imperium evecto, quum Iudaeis Romam redire liceret, nec, teste quidem loco Act. 19, 21., ante cepisse videri, quam quum Ephesi ultimum versaretur (i. e. anno, ut ipse existimat, 56.). Itaque spatium haud exiguum inter hanc aetatem et tempus scriptae ad Rom. ep. interiectum fuisse colligit. At quamvis largiamur, P. non facile prius sibi proponere potuisse, ut Romam migraret, quam quo tempore Iudaeis aditus in eam urbem iterum pateret: tamen, ut modo indicavimus, hanc iis veniam non datam esse nisi post Claudii decessum, nemo sane certis probaverit argumentis; nec, quod Schr. praeterea suspicatur, apostolum non ante eam aetatem, de qua Act. 19, 21. verba fiant, profectionis consilium cepisse, ulla demonstrari potest ratione. Loco *denique* cap. 15, v. 19—24. Paulum significare dicit, se ideo, quod ad Illyricum usque doctrinam Christianam iis afferre studuerit, quibus illa nondum innotuisset, multo diutius, quam prius voluisset, in Maced. et Achaia moratum, eoque ipso hucusque prohibitum esse, quominus Romam se conferret (p. 156 sq.). Nos peregrinationem, in qua P. μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ venit *k*), eandem esse, quae Act. 20, 1—3. traditur, non possumus quin concedamus *l*); at quemadmodum in universum non ne-

---

k) Schraderus aliique ex his verbis nonnisi illud sequi putant, ap. *ad limites usque Illyrici* pervenisse, neque vero hanc regionem ipsam intrasse. At si P., ut terminum designaret eum, ad quem evangelium pertulisset, quamquam nonnisi *fines Macedoniae Illyricos* tetigisset, tamen non *Macedoniam*, sed *Illyricum* appellasset, nae ille vanae gloriationis absolvi vix ac ne vix quidem posset. *l*) Neque enim Paulus alio tempore, quam de quo Act. 20, 1-3. verba fiunt, tam prope ab hac terra abfuit, ut eam intrasse dici possit; nam ne in peregrinatione quidem Macedonica Act. cc. 16. et 17. narrata vel ad terminos Illyrici accesserat. Ceterum non sine probabilitate Neander (Gesch. d. Pflanzung d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 342 sq. not. 3.) ex alterius ad Cor. ep. cap. 10, vv. 14-16. concludi posse existimat, Paulum, quo tempore haec scripserit, doctrinam salutarem nondum ultra Achaiam propagasse, eaque de causa iter Illyricum ei tribuendum esse aetati, quae inter exaratam hanc ep. et literas ad Rom. datas interiecta fuerit. — Baronius (ann. ad a. Ch. 58. Ner. 2. §. XLV.) apostolum intra tres illos, quos in Graecia exegerit, menses (Act. 20, 3.) in Illyricum quoque venisse arbitratur; qua

cessario statuendum est, profectione ad hanc usque terram producta *magnam* apostolo *moram* allatam esse, ita ipse nequaquam eo, quod *iter per Maced. et Ach. factum* usque ad Illyricum extenderit, sed quod sacra Christiana ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ disseminaverit, se per longius tempus, quominus Romam adiret, impeditum esse testatur.

Corintho autem apostolum, priusquam Iudaeorum insidiis coactus per Macedoniam reverti decrevisset, *Athenas* petiisse, ibique per tres menses haesisse, ex Actis docere conatur et ex epp. ad Thessalonicenses scriptis. Et ad Acta quidem quod attinet, eodem loco, in quo vulgo itineris Corinthii mentionem fieri credunt, Schr. (p. 152.) profectionis potius in *Atticam* susceptae vestigium invenit. Etenim cap. 20, v. 2. quum plurimi Ἑλλάδος vocem de terris Graece loquentibus ultra Mac. meridiem versus sitis interpretantes Lucam hoc verbo ita usum censeant, ut prae ceteris de Corintho cogitaret: ille eandem sensu strictiore de regionibus iis accipit, quae Peloponnesum inter et Thessaliam atque Epirum interiacent. Itaque peregrinationem Corinthiam h. l. ne commemoratam quidem, sed vere eam susceptam esse, ex Act. 19, 21. concludendum putat. Cuius quidem sententiae hoc affert argumentum, quod et Lucas et Paulus, ubi Graeciam dicant sensu latiore vocatam, non Ἑλλάδος, sed Ἀχαΐας nomine utantur (Act. 19, 21. Rom. 15, 26. 1 Thess. 1, 7. 8. al.). At nescio, quid impedire Lucam potuerit, quominus alio loco (fortasse orationis variandae causa) regionem eandem vocabulo alio, sed eo non minus usitato *), insigniret. Et quis tandem non summae incuriae eum accusandum esse perspiciat, si, quamquam bene guarus, P. tum temporis non solam, quae sensu angustiore dicitur, Graeciam obiisse m), tamen nonnisi huius terrae mentionem iniecisset? *Athenis* autem potissimum apostolum nostrum illa aetate versatum esse, V. D. ex epp. concludit ad Thess. datis. Quas quum plerique, et verissime quidem n), eo tempore conceptas esse credant,

---

tamen aetate rectius Corinthi commoratus esse creditur. — Usserius (ann. mundi ad a. m. 4050. Chr. 46.), cui non contradicit Tillemontius (mém. I, 2, p. 551. 804 sq.) peregrinationem Illyricam inter itinera Pauli Hierosolymitana Act. cc. XI. et XV. tradita ponit, qua quidem coniectura quod minus sit verisimile, vix inveniatur. *) Cf. Kuinoelius ad Act. 20, 2. m) Scivisse enim Lucam, apostolum ulterius esse progressum, Schraderus p. 152. concedit. n) Nam in epistola priore Paulus capitibus 1. et 2. de ea ratione locutus, qua Thessalonicenses, quum *primum* se ad eos contulisset (cf. prae ceteris 1, 9.) et se ipsum et doctrinam Christianam excepissent, et quomodo ipse *tempore eodem* (v. inpr. 2, 1. 2. et quae supra p. 70. indicavimus) inter eos sese gesserit, capite 2, v. 17 sq. et capitis tertii initio commemorat, se, etsi aliquamdiu ab iis seiunctus fuerit, tamen eorum non esse oblitum, quin summo eorum desiderio affectum bis iam consilium cepisse Thessalonicam adeundi, et, quoniam ipsi proficisci non licuerit, Timotheum Athenis eo misisse; quem quidem cap. 3, v. 6. modo a Thessalonicensibus ad se rediisse testatur. Inde non hoc solum intelligitur, apostolum tum nonnisi *semel* inter Thessalonicenses fuisse versatum, sed et literas, de quibus disserimus, compositas esse circa aetatem Act. 18, 5. descriptam, qua Timotheus e Macedonia digressus Paulum, quum is Athenis relictis Corinthi esset (Act. 18, 1 sqq.), convenerat. Negari quidem non potest, non ex omni parte congruere videri, quae Act. 17, 14-18, 5., et quae 1 Th. 3, 1 sqq. de Pauli ac Timothei rebus leguntur. Nam apostolus se, Timotheo ad Thessalonicenses legato, solum Athenis mansisse, ac serius

quo P., prima vice Thessalonicae commoratus (Act. 17, 1—9.), per Beroeam et Athenas profectus (ibid. v. 10—34.), cum Silvano et Timotheo Corinthi degerit (18, 5 sqq.): Schr. (p. 161 sqq.) post peregrinationem Act. 20, 1. 2. narratam intra illud, quod Lucas apostolum in Graecia traduxisse refert, trium mensium intervallum, et Athenis quidem, textas esse putat. At primum omnium tantum abest, ut quidquam valeant, quae ad fulciendam suam de *aetate* epp. sententiam attulit argumenta, ut praeter ea, quae p. 85. not. n. monuimus, prorsus ei repugnet effatum 1 Th. 3, 10. 11.; nam quidquid V. D. (p. 166.) de h. l. disputet, Paulus, quum ultimum in Graecia esset, Macedoniam non *cupiit* adire, sed *Iudaeorum* demum *insidiis*, ut eo se conferret, *coactus est*. Deinde apostolum, quo tempore ad Thessalonicenses scripsit, *Athenis* fuisse, non sequitur ex iis, quae

Timotheum ad se reversum esse dicit; Lucas Timotheum et Silvanum a Paulo Athenas profecto Beroeae relictos, et, quum apostolus Corinthum se contulisset, e Macedonia ad eum rediisse tradit. Nec tamen haec difficultas eiusmodi est, quae removeri nequeat. Atque e variis, quas viri docti hac de re protulerunt, sententiis duae maxime nobis sese commendarunt, altera eorum, qui Timotheum et Silvanum Athenis a Paulo exspectatos (Act. 17, 16.) vere eo venisse, hinc Timotheum Thessalonicam, Silvanum in alium Macedoniae locum missum esse, utrumque tandem simul Corinthum petiisse coniiciunt; altera eorum, qui Timotheum solum Athenas adiisse, et, ad Thessalonicenses legatum, inde una cum Silvano, qui interea Beroeae remanserit, ad apostolum se recepisse existimant. Quod vero Lucas tam exigua comitum Pauli itinera aut nescivit, aut, si scivit, silentio praeteriit, non magis est mirandum, quam quod Paulus, quum Timotheum solum Thessalonicam misisset, in literis ad *Thessalonicenses* datis nonnisi de *huius* reditu verba fecit (nam Silvanum, quum haec ep. texeretur, revera aeque ac Timotheum cum Paulo fuisse, ex cap. 1, v. 1. apparet.). Epistolam secundam non ita multo post priorem, et Corinthi quidem, exaratam esse, partim ex ea ratione, qua eius argumentum cum literis prioribus connexum est, partim inde discimus, quod Silvanus, quem post primam apostoli inter Corinthios commorationem non amplius in eius societate deprehendimus, nondum ab eo discesserat (cf. 2 Th. 1, 1.). Nec tamen cum hac temporis definitione omnes consentiunt. *Prius* enim, et Athenis quidem, epistolam utramque compositam esse, veterum nonnulli (ut Theodoretus [in prooemio in epp. Paull.], ut subscriptionis, quae plurimorum codicum est, auctores), sine dubio permoti loco 1 Th. 3, 1. minus accurate explicito, contenderunt; *seriori*, quam cui vulgo tribuunt, tempori priores certe literas Michaëlis assignat, utpote quas sub finem demum mansionis P. apud Corinthios scriptas esse coniiciat (Einl. in d. N. B. tom. II. p. 1206 sq.), refutatus ille et ab aliis, et a Schotto (in progr., cui inest isag. in epp. ad Thess., p. 10.); in vinculis Romm. 2. certe ep. exaratam esse codd. nonnullorum subscriptiones tradunt, et auctor synopsis Sc. S., atque Oecumenius (citante Griesb.). Literas utrasque post captivitatem P. Rom. textas esse, Whistonus putat (in commentat. inscripta: an essay on the apostolical constitutions — quae partem efficit tertiam libri: primitive christianity reviv 'd, Lond. 1711. 1712, 8. — p. 46 sq. 110., citante Bensonio, Gesch. d. ersten Pflanzung d. chstl. Rel. II, p. 121 sqq. 183 sq.) et Koehlerus (l. c. p. 112-125. cll. p. 65-74., atque in diss. inscripta: Einiges über die Zeitverhaeltnisse des ersten Br. P. an die Thess., inserta libro: Annalen der gesammten theol. Lit. 1831, tom. I. part. 3. p. 259-265.), quorum alteri Bensonius (l. l.), alteri Schottus (in progr., cui inest isag. in epp. ad Thess. p. 18-23.) recte est oblocutus. — Grotii coniecturam, qui ep. eam, quam secundam vocamus, ante hanc putat conceptam esse, quae prior dicitur, infirmissimo niti fundamento, post alios multos Bertholdtius docuit (l. l. VI, p. 3482.).

1 Th. 3, 1. leguntur; nihil enim impedit, quominus ibi verba fieri censeamus de commoratione inter Athenienses tum iam praeterlapsa. Quis est denique, qui sibi persuadeat, *exiguo trium mensium intervallo* Timotheum Athenis Thessalonicam migrasse, negotiis ibi perfectis ad apostolum rediisse, hinc Paulum primam ad Christianos urbem illam incolentes ep. misisse, inde ep. eam, quam Paulo suppositam esse novimus (cf. 2 Th. 2, 2.), textam, ac posteriores denique ad Thess. tabellas compositas esse o)? — —

Simili, ac Schraderus, ratione Schottus de intervallo sentit ultimi itineris a Paulo per Macedoniam et Graeciam facti; qui quum 2. ad Cor. ep., quam initio huius peregrinationis exaratam esse concedit, a. 56. scriptam arbitretur, sed a. demum 59. Macedoniam ab apostolo relictam esse putet p): *triennium* fere toti itineri assignat. Nec tamen haec uberius exposuit. Iam quia tantum abest, ut, quibus in locis profectio illa tangitur, causa inveniatur ulla, cur eam tantum temporis complexam esse credamus, ut e 1. ad Cor. ep. 16, 6. et e posterioribus ad eosdem literis 12, 14. 13, 1. iure concludere liceat, apostolum *brevi* postquam Epheso digressus in Macedoniam transiit Corinthum venisse, et quoniam, ut vidimus (p. 52.), ex quo ille hanc intravit urbem, donec e Macedonia abscederet, vix amplius menses quatuor effluxerunt: non possumus, quin in ea, quam supra (pp. 52. et 57.) de spatio peregrinationis totius proposuimus, sententia perstemus.

Iam vero postquam intelleximus, quid sit statuendum de intervallis rerum inde ab Act. cap. XV. usque ad cap. XXVIII. traditarum: ut, quae hac disputatione effecimus, uno obtutu perspici possent, hanc adididimus tabulam.

Ab itinere Hierosolyma ad concilium apostolorum facto usque ad Pauli adventum apud Corinthios	spatium incertum, nec tamen minus a. 1.
Corinthum apostolus *auctumno* ingressus ibidem manet	a. 1, mens. 6.
Corintho *vere* relicta Hierosolyma circa festum *pentecostes* (aut *paschatis*) advenit post	m. 1 vel 1½.
Ephesum *auctumno* intrat fere post	m. 4 vel 5.
Ibidem commoratur	a. 2, m. 6 vel 7.
Inde circa *pentecosten* profectus, Macedoniam et Graeciam lustrat per	m. 6. vel 7.
Corinthum circa *hiemem ineuntem* ingressus, ibidem haeret	m. 3.

---

o) V. quae Schradero opposuerunt Schottus (in progr. modo laud. p. 7 sq. 13-17.), Schneckenburgerus (Beitraege zur Einl. etc. p. 172 sqq.), et Neander (Gesch. der Pflanzung der chstl. Kirche etc. tom. I. p. 250 sq. 260 sq. 266 sq. in notis). p) In l.: Eroerterung etc. p. 102. 115. Prius idem alteram ad Cor. ep. anno 56., iter e Macedonia Hierosolyma factum anno 57. tribuerat (in isag. in ll. N. F. p. 190. 196.; p. 236. cll. 234.).

Hinc tempore *verno* profectus Macedoniam transit fere per	m. 1.
Philippis *post azyma* relictis Hierosolyma ad festum *pentecostes* celebrandum navigat per	m. 1½.
Hierosolymis paulo post captus et Caesaream deductus, ad Festi usque adventum in vinculis exigit	a. 2.
Donec a Festo Romam mittatur, elabuntur ferme	m. 3 vel 4.
Caesarea *auctumno* solvit, et Romam *verno* advenit tempore post	m. 6 vel 7.
Romae captivus versatur per	a. 2.

Sed haec hactenus. Sequitur, ut ad quaestionem nos convertamus, quae est

B.

de temporibus iis, quibus singula, quae Act. cc. XV—XXVIII. narrantur, acciderint.

Ex iis, quae hucusque dicta sunt, illud facile intelligitur, modo unius earum rerum, quae inde a primo Pauli ad Corinthios adventu contigerunt, aetas accuratius sit constituta, reliquarum tempora nullo inveniri negotio. Iam quum ex nostra quidem sententia ad *illud* demum *tempus* definiendum, *quo Paulus ultimum Hierosolyma navigaverit,* idonea nobis sint praesidia, huic eruendo iam operam navabimus. Sed quoniam haec quaestio cum indagatione terminorum, quibus includendus sit annus is, quo Felicem procuratorem in Iudaea administranda Festus est secutus, tam arcto continetur vinculo, ut, nisi hac de re certo constiterit, disputari de illa prospere non possit: ante omnia, *quo temporis spatio Felix Palaestinam reliquerit*, investigemus.

Ac primum quidem in disceptationem vocandum est, *quo ille anno munere fungi coeperit.* Felicem post Cumanum damnatum a. 52. (exeunte, ut videtur,) Iudaeae a Claudio praefectum esse, testis est Iosephus [a]). Quocum Tacitus eatenus quidem consentit,

---

a) Ant. 20, 7, 1: *πέμπει δὲ καὶ Κλαύδιος Φήλικα Πάλλαντος ἀδελφὸν τῶν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν προστησόμενον πραγμάτων· τῆς δὲ ἀρχῆς δωδέκατον ἔτος ἤδη πεπληρωκὼς, δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ* etc. Ubi quum Flavius Agrippae regnum *iam expleto* Claudii anno XII. (i. e. post a. d. IX. Kal. Febr. a. 53.) auctum esse tradat, Felici Iudaeam eodem anno nondum prorsus finito, h. e. a. 52. exeunte aut ineunte a. 53., permissam esse, tacite indicare videtur. Ac quoniam ab omni veri specie abhorret, praesidem media hieme in provinciam esse legatum, optime eum circa *auctumnum* a. 52. illuc advenisse statueris. Obiici quidem possit, Cumanum, ut qui circa *azymorum festum* reus in urbem profectus sit (Ios. B. I. 2, 12, 6.), *tempore verno* condemnatum, eaque de causa Felicem *aestate* certe ei successisse videri. Verumtamen aut iudicium dilatum esse, aut Cumanum in itinere moras nexuisse haud perperam conieceris, quum idem ab aliis in simili causa factum esse constet (cf. Lardnerus l. c. I, p. 687—699.). — Ceterum obiter notandum videtur, l. Ant. l. in Epiphanii libris pro: *δωδέκατον* legi: *δέκατον*. Quae scriptura etsi maiore niteretur auctoritate, tamen reiicienda esset. Nam Agrippa II., quum ampliore illa ditione donaretur, iam per *quadriennium* regia digni-

quatenus Cumani condemnationem ad annum eundem refert, dissentit vero et in aliis, quae ad res Cumani et Felicis pertinent, et in eo, quod Felicem tum *iam pridem* Iudaeae impositum fuisse refert, ita divisis provinciis, ut Cumano Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent *b*). Etenim tantum abest, ut Flavius usquam de bipartita ista provinciae administratione verba faciat, ut Cumanum *toti Palaestinae, excepta sola Chalcide* (Agrippae minori subdita), praefuisse memoret *c*), et in enarrandis, quae sub eo ortae sint, turbis eum in Samaritas eandem atque in Galilaeos et Iudaeos (sensu strictissimo dictos, qui utri subiecti fuerint, Tacitus ne commemorat quidem) potestatem habuisse indicet *d*), nulla prorsus Felicis mentione illata. Accedit, quod, ubicunque de initio praefecturae Felicis agit, eum a Claudio in provinciam *missum* esse, diserte tradit *e*). Sane Schraderus *f*) in Iosephi Ant. l. 20. c. 8. §. 5. invenisse sibi videtur, quo illa Taciti narratio confirmetur. Hoc enim loco quum Ionathas pont. max., una cum Anania aliisque Iudaeorum primoribus a Quadrato Syriae propraetore Romam missus, petiisse ab imperatore dicatur, ut Felix Iudaeae procurator constitueretur: inde colligendum esse putat, hunc, utpote Ionathae cognitum, iam prius in Iudaea versatum esse. At si vel in Palaestina nondum innotuisset, Felicem in iis esse, quos Claudius maximi faceret *g*), nonne Romae illud Ionathas comperire, et, ut Caesari insinuaret, hunc expetere potuit, idque eo magis, quod Pallas, Felicis frater, ab imperatore reliquis ferme omnibus praeferebatur, quin ipso anni 52. initio novo a senatu et a Caesare auctus fuerat honore *h*)? Alii, etsi non Samariae, at Galilaeae tamen trans Iordanem sitae curam Felici prius creditam fuisse, e Flavio doceri posse arbitrantur, provocantes illi quidem ad librum de B. I. 2. c. 12. §. 8., ubi post expositam Cumani damnationem *in versione Geleniana* ista leguntur: „Post haec Felicem Pallantis fratrem misit ad Iudaeos, qui eorum provinciam cum Samaria et Galilaea curaret; Agrippam vero de Chalcide in regnum maius transtulit, *tradens ei illam quoque provinciam, quae Felicis fuisset*"; eamque provinciam Batanaeam, Trachonitidem et Gaulonitidem complexam esse, additur *i*). Sed ut omittamus, ita non conciliari Iose-

---

tate ornatus fuerat, Chalcide eius curae commissa (cf. Ios. Ant. l. l.); huic autem terrae praepositus est anno XVII. ante a. a. D. 66., quo bellum Iudaicum initium cepit (cf. Ios. B. I. 2, 14, 4.), i. e. anno 49., qui *nonus* erat imperii Claudiani. (Cf. praeterea, quae p. 10. not. b. diximus.). *b*) Ann. 12, 54. *c*) B. I. 2, 12, 1. *d*) De potestate, quae Cumano fuerit in *Iudaeos* et *Galilaeos* cf. Ios. Ant. 20, 5, 3. 4. 6, 1. B. I. 2, 12, 1. 3. 4.; de ea, quam in *Samaritas* habuerit, Ant. 20, 6, 1. cll. 2. 3. B. I. 2, 12, 3. 5. cll. 6. *e*) V. Ant. 20, 7. 1. 8., ubi verbo *πέμπειν*, B. I. 2, 12, 8., ubi voce *ἐκπέμπειν* utitur. Contra B. I. 2, 13, 2., postquam nonnullas Palaestinae regiones Agrippae minori a Nerone tributas esse memoravit, reliquarum terrae partium administrationem Felici in Iudaea iam versanti traditam esse his narrat verbis: *εἰς δὲ τὴν λοιπὴν Ἰουδαίαν Φήλικα κατέστησεν ἐπίτροπον.* *f*) L. l. p. 26. *g*) Cf. Suet. Claud. c. 28. *h*) V. Tac. Ann. 12, 53. *i*) Ita Norisius (in cenotaphiis Pisanis, diss. II. c. 15. §. 13.), Pagius (crit. in ann. Baron. ad a. Ch. 48. §. III.), Io. Chstph. Harenbergius (in bibl. Bremensi, cl. VII. p. 893.), Io. Iac. Hottingerus (in chronotaxi historiae et epp. Pauli, inserta eius libro: πεντὰς diss. biblico-chronolo-

phum cum Cornelio: et codices, et locus Ant. 20, 7, 1., ut *Philippi,* nec *Felicis* nomen legatur, iubent. Nos, quum negare non possimus, revera inter se pugnare Tacitum et Iosephum, Iudaeo in his maiorem, quam Romano, fidem habemus, quoniam hic ex aliorum relatione hausit, ille, quae sub ipsius oculis gesta sunt, memoriae prodidit *k*). Qua de causa solum secuti Iosephum, *Felicem non prius anno* 52. *ad res Palaestinenses gubernandas legatum esse* existimamus *l*).

Hinc si quaeritur, *quamdiu Felix provinciam administraverit:* eum sub Nerone aliquot certe annos Iudaeae praefuisse, inde discimus, quod Iosephus, dum ea enarrat, quae Iudaeis hoc imperatore, et Felice procuratore acciderint, de Aegyptio quodam meminit, qui in Palaestinam transgressus seditionem moverit *m*). Etenim eundem, priusquam Paulus Hierosolymis in vincula coniiceretur (id quod biennio ante Felicis abitum evenisse constat *n*)) tumultuatum esse, ex Actis

---

gicarum, Trai. ad Rhen. 1723, 8. — cuius libri usus abhinc demum mihi concessus est — p. 344.). Ceterum, quem falsa illa versio peperit errorem, Galilaeae partem trans Iordanem sitam Felici prius esse commissam, is, nescio quomodo, in Krebsii quoque obss. Flavv. irrepsit (ad Act. 23, 24.), in tab. temporum, quam Heinrichsius prolegomenis in Acta inseruit, in Meyeri libr. saepe cit. (p. 464.), in Kuinoelii commentar. (ad Act. 24, 10.), in T. W. Hildebrandi libr.: Gesch. der App. Iesu nach Lucas, Lips. 1824, 8. (p. 320.) *k*) Iosephum Tacito aut diserte praeferunt, aut nullam Taciti rationem habent Basnagius (ann. ad a. 51. §. VII.), Chsti. Guil. Franc. Walchius (in diss.: de Felice Iudaeae procuratore, Ienae 1747, 4. p. 30 sq.), Eichhornius (l. c. II, p. 62.), Iostius (Gesch. d. Isr. tom. II. p. 20.), de Wettius (l. l. p. 212.), Koehlerus (l. c. p. 48.), Hemsenius (l. c. p. 499.) alii. Tacito soli in omnibus, quae ille de Felicis rebus tradit, fidem habent, aut hunc eatenus sequuntur, quatenus Samariam prius a Felice gubernatam esse putant, Baronius, Usserius, Iac. Gutherius, Godofr. Mascovius, Io. Ge. Pertschius, a Walchio citati (l. l. p. 30.), Pearsonius (l. c. p. 17. 23.), Io. Casp. Arletius (in exercitat. historico-theol. de Paulli in urbem Romam ingressu, Ienae 1731, 4. p. 111.), Bengelius (ord. temp. p. 285.), Ernestus (ad Tac. Ann. 12, 52.), Vogelius (l. c. p. 237.), Süskindius (l. c. II, p. 320.), Schottus (Eroerterung etc. p. 112.), Ad. Goeschenius (in tabula temporum adnexa eius editioni N. Ti, Lips. 1832, 8., ad a. 52.), alii; utrumque conciliare student Schraderus (l. c. p. 26.), et ii, quos modo not. i. commemoravimus (Norisius certe, Pagius, Harenbergius, Hottingerus); neutrum vera tradidisse Harduinus opinatur (de nummis Herodiadum, Paris. 1693, 4. p. 58 sq.). *l*) Harduinus (l. c.) Felicem iam a. 44. Palaestinae praefectum esse putat, quia, quum Paulus captivus coram eius tribunali sisteretur (a., ut ipse credit, 54.), iam a multis inde annis (Act. 24, 10.) Iudaeos rexerit; Bengelius (loco not. k. cit.) Felicem iam ante Cumanum aliquo certe munere in Palaestina functum esse censet; plurimi autem eorum, qui Taciti narrationem aut anteponunt Iosephi relationi, aut cum ea conciliare conantur, Felicem eodem, quo Cumanum, anno (i. e. 48. a. D.) in provinciam missum arbitrantur. Sunt, qui eum aut advenisse, aut terra minore administrata maiori impositum credant a. 51. (ita Eusebius, in can. chron. ad a. Claudii XI., Basnagius, ann. ad a. 51. §. VIII., Walchius, de Felice p. 60., Krebsius, obss. Flavv. l. c., alii), vel a. 53. (ut Iostius, Gesch. d. Isr. tom. II. p. 20., Schraderus, l. c. p. 24—27., Ad. Goeschenius, in tab. cit., ad h. a., alii). Plerique tamen de a. cogitant 52., aut, utrum hunc, an vero a. 53. ponant, incerti sunt. *m*) Ant. 20, 8, 6. B. I. 2, 13, 5. *n*) Cf. p. 51. not. b.

novimus o). Nero imperare coepit a. d. III. Id. Oct. a. 54. Paulus circa pentecosten in urbe sancta captus est p); ergo nec Paulus ante a. 55. vinculis est adstrictus, nec Felix prius anno 57. ex Iudaea discessit q).

Ulterius etiam progredi nobis permittit effatum Act. 24, 10., quo loco teste apostolus, paucis postquam Hierosolymis comprehensus est, diebus coram Felice, ἐκ πολλῶν, dixit, ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος, εὐθυμότερον ἀπολογοῦμαι. Quibus etsi ipse annorum numerus, qui ab initio muneris ab illo gesti ad hanc usque orationem effluxerunt, definiri nequit: illud tamen apparet, πολλὰ ἔτη non posse de tribus quatuorve annis intelligi. Itaque hoc saltem cognoscimus, Paulum ista non ante *quintum* certe praefecturae Felicis annum (57. a. D.), dicere potuisse, *Felicem* igitur *non ante a.* 59. *e provincia abiisse;* etsi per vim verborum: ἐκ πολλῶν ἐτῶν probabilius de seriore etiam tempore cogitaveris.

Atque ad hanc quidem sententiam mutandam variis eorum, qui Felicem prius revocatum esse putant, argumentis permoveri non potuimus. De quibus ut iam singulatim agamus: primum miro quodam errore Arletius r) et Hofmannus s), Festum iam Claudio imperante Felicis suscepisse vices, ex Taciti ann. l. 12. c. 52. perspici opinantur, quum de *Cumano* ibi, nec de *Felice* condemnato verba fiant. — Neque ullius est momenti, quem Arletius t) locum apocolocynthosis v) urget, ubi (in editionibus nonnullis x)) Claudio ad inferos venienti inter alios ab eo interemtos Felix cum Pallante fratre occurrisse dicitur; haec enim nomina subdititia esse, nulla est dubitatio. — Praeterea idem y) Act. c. 25. versu 11. utitur, ubi Paulus (post Felicis digressum) ad Caesarem traditur provocasse. Hoc enim Nerone imperatore permissum fuisse negat, allato Suetonii loco z), in quo haec de principe illo sunt perscripta: cautum - - - ut omnes appellationes a iudicibus ad *senatum* fierent." Sed recte Krebsius a) monuit, Neronem, ut nugis vacare posset, iussisse quidem, ut ad *senatum* provocaretur; verum in causis certe maioribus ad ipsum appellatum esse, exemplo e Taciti

---

o) Act. 21, 38. p) V. p. 51. q) Haec minus recte disputata essent, si verum esset, quod Lud. Cappellus (hist. ap. append. characterism. VI. p. 61.) contendit, varia eorum, quae Iosephus, postquam de Neronis initiis sermonem fecerit, in Iudaea sub Felice accidisse tradat, inque his Aegyptii turbas, ad Claudii aetatem pertinere, quia nihil ille narraverit eorum, quae, quamdiu Felix imperatore Claudio res Iudaicas administraverit, hac in terra gesta essent. At neque haec Flavius prorsus tacet (cf. Ant. 20, 7, 2.), et diserte Aegyptii seditionem ad Neronis tempora refert; nam B. I. 2, 13, 1. ita locutus: τρέψομαι δὲ ἐπὶ τὰ Ἰουδαίοις κατ᾽ αὐτὸν (Νέρωνα) γενόμενα, §. 2. sic pergit: εἰς — τὴν — Ἰουδαίαν Φήλικα κατέστησεν ἐπίτροπον. Hinc de Eleazaro latronum duce agit, de latronibus aliis et deceptoribus, de sicariis, de Aegyptio, §§. 3. 4. Eodem ordine res easdem in Ant. quoque describit (20, 8, 3—6.). r) In diss. de Paulli in urb. Rom. ingressu p. 97—101. s) Ad Pritii introd. p. 254., qui praeterea in eo quoque errat, quod, quum Tacitus de XII. Claudii anno loquatur, ipse de a. XV. (!) cogitat, eumque annum cum a. 57. a. D. convenire opinatur. t) Ibid. v) Sub finem. x) V. g. in editione operum Senecae Lugd. 1592, 8. p. 745. y) L. l. p. 105—107. z) Ner. c. 17. a) In commentatione hist. phil. de provocatione D.

annalibus [b]) petito ostendit. — Sunt, qui locos afferant Act. 23, 2. 24, 1., quibus docemur, quo tempore P. Hierosolymis in custodiam datus est, *Ananiam* quendam apud Iudaeos pontificatu functum esse maximo. Ananias iste, qui Nebedaei erat filius *) (male a nonnullis permutatus cum Anano Anani F. [c])), circa annum Claudii octavum sacerdotium adeptus, a. 52. (non a. 54., uti Cappellus opinatur [d])), a Quadrato Syriae praeside cum aliis nonnullis Romam missus est, ut Caesari rationem redderet tumultuum paulo ante a Iudaeis excitatorum [e]). Iam vero multorum haec est sententia, Ananiam aut tum temporis, aut brevi post reditum in patriam — reversus enim est iudicio peracto [f]) — munere motum successorem habuisse Ionatham, quem Flavius initio principatus Neroniani a Felice interfectum esse referat [g]). Atque horum quidem plurimi quum aliis de causis Pauli vincula tempori seriori tribuenda esse existiment, eam, quae hinc oritur, difficultatem variis removere student coniecturis [h]); at Arletius [i]) et Lud. Cappellus [k]) apostolum revera, antequam Ananias Romam duceretur, causam coram eo orasse censent, ideoque Felicem alter Claudio etiamtum imperante, alter, Cappellum dico,

---

Pauli ad Caesarem, Lipsiae 1753, 4. p. X—XII. b) L. 16. c. 8. *) Cf. Ios. Ant. 20, 5, 2. Ananiam h. l. commemoratum non diversum esse ab eo, de quo Acta loquuntur, inde apparet, quod non alius invenitur, qui apostolorum aetate sacerdos summus fuerit, Ananiae nomine dictus. De discrepante Lightfooti opinione v. infra not. h. c) V. g. a Iosepho hypomnestici auctore (ap. Fabric. cod. pseudep. V. T. II, p. 17.), a Nicephoro (H. E. 2, 4.). Ananus Anani F. post Festi demum obitum ad pontificatum evectus est; cf. Ios. Ant. 20, 9, 1. Accedit nominis diversitas. d) Hist. Ap. p. 24. not. e) Ios. Ant. 20, 6, 2. B. I. 2, 12, 6. f) Hoc, etsi non diserte a Flavio traditur, inde tamen colligitur, quod Ananiam serius in Iudaea iterum degentem invenimus (cf. Ios. Ant. 20, 9, 3. 4. B. I. 2, 17, 9.). Neque *ita multo* post iudicium Romae de ipso sociisque habitum Ananiam reversum esse, ex Ionathae fatis, qui simul vinctus in urbem deductus fuerat, concludere licet. Hic enim in patria, postquam Felicem *saepius* rerum Iudaicarum melius administrandarum admonuit, *primis Neronis temporibus* ab illo est interemtus (v. Ios. Ant. 20, 8, 5. cll. B. I. 2, 13, 3.). g) In Ant. et de B. I. ll. modo citt. h) Michaëlis (Einl. I, p. 53—55.), Kuinoelius (ad Act. 23, 2.), Meyerus (l. l. p. 458.), Eichhornius (l. c. II, p. 68 sq.), Winerus (bibl. Realwtb. s. v. Ananias), Wahlius (in lex. sub ead. voce), Hildebrandus (Gesch. d. App. p. 326 sq.), Hemsenius (l. l. p. 523 sq. inpr. not. 46.), interregnum fuisse censent inter Ionatham et, qui postea pontificatu functus sit, Ismaëlem Phabi F. (Ios. Ant. 20, 8, 8.), intra quod Ananias sacerdotis summi vices sustinuerit; Basnagius (ann. ad a. 56. §. XXIV.) Ismaëlem illa aetate rei Iudaeorum sacrae praestitisse, sed forte abfuisse coniicit a synedrio festinanter convocato, Ananiam vero, utpote hominem maioris quam reliquos, auctoritatis, eius partes suscepisse credit; Heinrichsius (ad Act. 23, 2.), utra sententia sit praeferenda, incertus est; Lightfootus (hor. hebr. ad Act. 23, 2. et ad Io. 18, 13.), quum dubitet, annon Ananias pont. Roma redierit, Ananiam nostrum ab illo diversum, nec unquam sacerdotem summum fuisse putat, sed perpetuum eius, qui tum esset, pontificis M. adiutorem et vicarium (סגן); praeterea eundem esse suspicatur atque Ananiam saganem saepius a magistris commemoratum, qui tempore excidii Hierosolymorum periisse fertur. Atque hi omnes non possunt quin Ananiam sensu latiore ἀρχιερέα dictum esse censeant. i) De Paulli in urbem Romam ingressu, p. 102 sq. k) Hist. Apost. p. 24. nota.

quoniam Ananiam a. 54. in urbem profectum esse credit, anno Neronis secundo provinciam reliquisse arbitratur. Verum enim vero quod Ananiam dicunt, quum Romam mitteretur, pontificatu privatum esse, nullum eius rei vestigium apud Iosephum reperitur. Neque Ionatham unquam in eius locum suffectum esse concedimus. Hunc enim Flavio auctore novimus, quum semel pontificatum gessisset, eamque dignitatem Agrippa I. posthac denuo ei obtulisset, ideo illam *recusasse*, quod iam non, uti prius, integer vestes sacras sumturus esset *l*). Qui quum ita esset animo affectus, rectene serius hunc honorem iterum vel ei oblatum, vel, si oblatus esset, ab eo acceptum esse credamus? Neque valent, quae pro sententia de iterato eius sacerdotio argumenta afferuntur. Etenim quod ἀρχιερεὺς a Flavio dicitur in ea narratione, in qua de eius caede verba facit *m*), id nequaquam illo eum tempore pontificem fuisse demonstrat, quum eos, qui olim hac dignitate ornati fuissent, eodem nomine insignitos esse constet *n*). Maioris videtur, quod Relandus *o*) monet, omisso Ionatha verum non esse, quod Iosephus tradat, XXVIII fuisse ab Herode M. ad templi excidium summos sacerdotes *p*), quae quidem causa Cappellum *q*) quoque movisse videtur, ut Ion. insereret ei, quem concinnavit, pontificum Iudaicorum indici, quippe in quo, si illum demeris, nonnisi XXVII invenias rebus sacris praefectos. At sunt, quae recte opponantur. Primum enim Iosephus eos, qui pontificatu bis functi sunt, nonnisi semel numerare solet; fieri enim alioqui non potuisset, quin plures fuisse diceret XXVIII sacerdotibus. Qua quidem in consuetudine si eum minus sibi constitisse suspiceris, non video, cur Ionatham potius, quam Ananelum (Ant. 15, 3, 1. cll. 2, 4.) aut Ioazarum (Ant. 18, 1, 1. 2, 1. cll. 17, 6, 4. 13, 1.) bis numeratum esse contendas. Sed ut intelligas, revera XXVIII ab Herodis inde aetate Iudaeorum pontifices fuisse, nec Ioazaro bis numerato, nec Ananelo, nec, siquidem bis ille sacerdotio functus esset, Ionatha: en tibi eorum indicem *): 1.) *Ananelus* (Ios. Ant. 15, 2, 4.); 2.) *Aristobulus* (15, 3, 1.), quo interfecto Ananelns in dignitatem pristinam est restitutus (§. 3.); 3.) *Iesus* Phabetis F. (15, 9, 3.); 4.) *Simon* (Boëthus) Boëthi F. (ibid. et 17, 4, 2. cll. 19, 6, 2.) *r*); 5.) *Matthias*

---

l) Ios. Ant. 19, 6, 4. Cf. Tillemont. (mém. I, 2, p. 844.). *m*) Ant. 20, 8, 5. B. I. 2, 13, 3. *n*) V. Luc. ev. 3, 2. Act. 4, 6. Ios. in vita §. 38. B. I. 4, 3, 9. al. *o*) Ad Ios. Ant. 20, 8, 5. laud. Havercamp. *p*) Ant. 20, 10. *q*) In tab. II. adiecta eius Historiae Apost. p. 85—88. *) In scribendis horum sacerdotum nominibus unum secuti sumus Havercampum. *r*) Locis quidem Ant. 15, 9, 3. 17, 4, 2. pontifex iste Simon Boëthi F., et 18, 5, 4. simpliciter Simon appellatur, sed Ant. 17, 13, 1. 19, 6, 2. idem Boëthi nomine insignitur. Nam de uno eodemque omnibus his locis agi, hinc discimus, quod 15, 9, 3. *Simon Boëthi filius*, 19, 6, 2. (cll. 17, 13, 1.) *Boëthus* Herodis socer dicitur, nec tamen nisi unum e sacerdotum summorum numero illius socerum fuisse accepimus. Unde recte conclusisse nobis videmur, Simonem *Boëthi cognomine* appellatum esse; quae quidem sententia Sigonii quoque est (de rep. Hebraeorum, edit. Hanovianae 1609, fol., in qua hoc opus una cum eiusdem commentat. de antiquo iure civium Romm. aliisque prodiit, p. 673.), Seldeni (in diss. de successione in pontificatum Ebraeorum, ed. cum eiusdem diss. de successione in bona defuncti ad Legg. Ebrr. Lond. 1636, fol. p. 175.); idem Tillemontius suspicatur (hist. des

Theophili F. (17, 4, 2. 6, 4.); 6.) *Iosephus* Ellemi F., Matthiae solo expiationis die substitutus (17, 6, 4.) [s]; 7.) *Ioazarus* (Simonis) Boëthi F. (17, 6, 4. 13, 1.); 8.) *Eleazarus* (Simonis) Boëthi F. (17, 13, 1.); *Iesus* Siae F. (17, 13, 1.), quem Ioazarus Boëthi F., iterum pontifex creatus, excepit (18, 1, 1. 2, 1.); 10.) *Ananus* Sethi F. (18, 2, 1. 2.); 11.) *Ismaëles* Phabi F. (18, 2, 2.); 12.) *Eleazarus* Anani F. (ibid.); 13.) *Simon* Camithi F. (ibid.); 14.) *Iosephus* Caiaphas (ibid. et 18, 4, 3.); 15.) *Ionathas* Anani F. (18, 4, 3. 5, 3.); 16.) *Theophilus* Anani F. (18, 5, 3. 19, 6, 2.); 17.) *Simon* (Simonis) Boëthi F. Cantheras cognominatus (19, 6, 2. 4.); 18.) *Matthias* Anani F. (19, 6, 4. 8, 1.); 19.) *Elionaeus* Cantherae F. (19, 8, 1.), qui alibi (20, 1, 3.) Cantheras vocatur (nam sine dubio rectius ipse Cantherae cognomine usus esse, quam successorem habuisse Simonem Cantheram creditur [t])); 20.) *Iosephus* Camydi s. Cami F. (20, 1, 3. 5, 2.) [v]; 21.) *Ananias* Nebedaei F. (20, 5, 2.); 22.) *Ismaëles* Phabi F. (20, 8, 8. 11.) [x]; 23.) *Iosephus*, Cabi cognominatus, Simonis (Cantherae) pontificis F. (20, 8, 11. 9, 1.); 24.) *Ananus* Anani F. (20, 9, 1.); 25.) *Iesus* Damnaei F. (20, 9, 1. 4.); 26.) *Iesus* Gamalielis F. (20, 9, 4. 7.) [y]; 27.) *Matthias* Theophili F. (20, 9, 7.) [z]; 28.) *Phannias* s. *Phanasus* Samuëlis F. (Ant. 20, 10. B. I. 4, 3, 8.) [a]. Ex his omnibus perspicitur, tantum abesse, ut idoneis nitantur fundamentis, qui Ananiam vel quum Romam mitteretur, vel paulo post reditum munere privatum eique Ionatham suffectum esse statuunt, ut haec ipsa sententia ne levi quidem probabilitatis

---

empereurs, edit. Bruxell. 1707, 12. tom. I. part. 2. p. 1062.). Ita si statuimus, non est, quod cum Schradero (l. c. p. 5. 8 sq.) lectionem locorum nonnullorum (Ant. 17, 6, 4. et 19, 6, 2.), refragantibus codd. omnibus, mutemus. s) Hic a paucissimis pontificum seriei interponitur, ut a Iosepho hypomnestici auctore (in Fabricii cod. pseudepigr. V. T. tom. II. p. 15.), a Sigonio (de rep. Hebr. p. 678.); sed quamquam unum tantum diem pontifex fuit, pontifex tamen fuit, et diserte a Flavio ἕτερος ἀρχιερεὺς nominatur. t) Simonem Cantheram Elionaeo successisse verisimile ducunt Ibbetsonius (cit. Havercamp. ad Ios. Ant. 20, 1, 3.), Lud. Cappellus (in tab. II. adnexa Historiae Apost. p. 87.); pro certo habet Schraderus (l. c. p. 8. 9.); sed quia Iosephus hanc rem nusquam diserte commemorat, recte Seldenus (l. l. p. 176.) Elionaeo nomen Cantheras fuisse existimat. v) Ex Schraderi sententia (l. c. p. 9.) alium fuisse Camydi, alium Cami filium, supra (p. 43 sq. not. h.) iam indicavimus. x) Spanhemius (ad Ios. Ant. 20, 8, 8. et 18, 2, 2. cit. Haverc.) hunc eundem fuisse putat, atque Ismaëlem, de quo Ant. 18, 2, 2. verba fiant. Sed iste quidem non serius anno fere tertio ante Pilati adventum (c. a. 22. a. D.), alter vero paulo ante Felicis abitum, amplius 35 annis interiectis sacerdos creatus est; quis igitur non multo probabilius alterum ab altero diversum haberi concesserit? y) Idem alibi (vita Ios. §§. 38. 41. B. I. 4, 3, 9.) ὁ τοῦ Γαμαλᾶ vocatur; est enim גַּמְלָא Chaldaicum eius nominis compendium, quod Hebraice גַּמְלִיאֵל dicitur; cf. Iostius (l. l. tom. II. nota 19 a. ad l. VI. p. 85.). Itaque parum recte Schraderus (l. c. p. 12.) Iesum τὸν τοῦ Γαμαλᾶ alium esse putat, quam Gamalielis filium. z) Hunc ut differre existimem a Matthia Ant. 17, 4, 2. 6, 4. commemorato, qui paulo ante Herodis obitum sacris praefuit, intervallum me movet utriusque temporibus interpositum. a) His Schraderus (p. 12.) *Matthiam* Boëthi F. adiungit, quoniam Iosephus (B. I. 5, 13, 1.) eum ἐκ τῶν ἀρχιερέων fuisse tradit; quibus tamen ille vocibus hominem e gente pontificia oriundum, nec vero ipsum sacerdotem summum fuisse indicat.

specie commendetur [b]). — H. C. M. Rettigius [c]) e fatis *Afranii Burri*, praetorio praefecti, demonstrari posse credit, Felicem a. 55. Romam esse reversum. Allato enim Iosephi loco (Ant. 20, 8, 9.), ubi duo Syrorum Caesaream habitantium primores, Festo iam in provinciam misso, a Burro *) petiisse traduntur, ut Iudaeis eiusdem urbis incolis ius civitatis Caesar., quod iis antea cum illis commune fuerit, adimeretur, *eamque rem Burrus a Nerone impetrasse* dicitur: ad Dionis Cassii hist. l. 61. c. 10. et ad Taciti ann. l. 13. c. 20. se convertit, quibus locis doceri putat, *Afranium iam a. 56. ita excidisse Neronis gratia, ut eius salus nonnisi a Senecae favore pependerit.* Quamobrem Caesarienses vel tum, vel postea illo deprecatore votorum compotes factos esse, prorsus incredibile iudicat. Itaque Felicem anno priore (eiusque tempore aestivo vel medio vel ad finem vergente **)) ex Palaestina digressum esse arbitratur. Sed primum omnium locis e Dione et Tacito petitis de rebus agitur anno 55., non a. 56. ***) gestis; qua de causa, si in reliquis cum Rettigio facere velles, non posses, quin procuratoris reditum ante Neronis principatum collocares, quippe ad quem Octobri demum a. 54. imperium fuerit delatum. Deinde, quae V. D. de Burri rebus disserit, ea ex locis illis recte colligi posse negamus. Scilicet Cassius Burrum et Pallantem (sine dubio — quae Rettigii quoque est sententia — quum coniurationis accusati essent contra principem factae [cf. Tac. ann. 13, 23.]) *Seneca intercedente* absolutos esse narrat; Cornelius Neronem, quod suspicaretur, Burrum cum Agrippina, Caesaris matre, conspirantem rebus novis studuisse, praefectura illum demovere voluisse, sed *ope Senecae dignationem ei retentam*, memorat. Quae si vere ita gesta sunt, sane Burri aucto-

---

b) Nobiscum Sigonius sentit (de rep. Hebr. p. 674.), Pearsonius (ann. P. p. 27.), Fabricius (ad Iosephi hypomnest. in cod. pseudepigr. V. T. tom. II. p. 17. not. n.), Tillemontius (mém. I, 2, p. 843—845.), Schraderus (l. c. p. 10.) al. c) In quaestionibus Philippensibus, Gissae 1831, 8. p. 42—45. *) In codd. quidem et graecis et latinis *Βήρυλλος* dicitur; sed rectissime Havercampus nomen *Βοῦῤῥος* restituit. **) Hoc anni tempore ut Palaestinam a Felice relictam esse crederet, V. D. eo permotus est, quod hieme mare navigationi non patuerit (p. 45.). At hinc illud unum sequitur, Felicem hieme non esse profectum. Revera tamen aestate eum in urbem rediisse, inde discimus, quod *biennio*, postquam Paulus Hierosolymis *circa pentecosten* captus est, *expleto* munere est privatus, et quod eius successor, quum Paulus *auctumno* anni eiusdem (cf. p. 51. inpr. not. *) iter Romanum iniret, iam aliquamdiu rebus Iudaicis praefuerat (v. Act. cc. 25. et 26.). ***) Imp. Nerone, L. Antistio Vetere Coss., qui magistratum inierunt proximis post inchoatum Neronis imperium Kalendis Ianuariis. Hunc vero anno n. D. 54. ad gubernacula civitatis accessisse, argumentis certissimis iamdudum demonstratum et a Rettigio ipso concessum est (cf. l. c. p. 45 sq.). Qui quidem ut falso statueret de anno eo, quo illi consulatum gesserunt, perductus videtur errore quodam omnibus Taciti editionibus communi, quae a prima Ernesti editione in Germania prodierunt. In his enim inde ab initio libri XII. usque ad finem Annalium singuli annorum numeri ita notari solent, ut una monade excedant eos numeros, qui proprie erant ponendi. De quo quidem errore cf. Goeschenius (in diss. inscr.: Bemerkungen zur Chronologie des N. Ts, inserta libro: Theol. Stud. u. Krit. 1831, part. 4. p. 701 sqq. ibique p. 729 sq.). At minus sibi constans Rettigius primum imperii Neroniani annum non 55. dixit, sed 54.

ritatem eo tempore in discrimine versatam esse concedimus; sed quominus eum abhinc Senecae postpositum, atque adeo Neroni invisum fuisse putemus, eo impedimur, quod eundem postea non secus atque Annaeum magno Caesaris favore gavisum *), quin eius morte Senecae potentiam infractam esse **) accepimus. At ipsum illud, quod scriptor uterque prodidit, Burrum per Senecam poena liberatum esse, in dubitationem vocare licet. Nam ad Dionis relationem quod attinet, tantum abest, ut Tacitus, ubi de eadem re verba facit (ann. 13, 23.), cum illo concinat, ut Burrum, quamvis reum, *inter iudices sententiam dixisse* tradat; eam vero narrationem, quae in Tac. ann. 13, 20. legitur, Cornelius ipse parum certam habere videtur; etenim, nominato eius auctore Fabio Rustico, „Plinius," pergit, „et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. Sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit." Sed de his utcunque statuas: illud tamen concedendum erit, serius certe Afranium tantum apud Neronem auctoritate valuisse, ut eius ope Caesarienses, quod cupiebant, obtinere possent. — Plerique eorum, qui Felicem prius tempore eo, de quo nobis cogitandum videbatur, provinciam reliquisse putant, ad hanc sententiam firmandam alia, quam Iosephus eodem, quem modo attulimus, loco (Ant. 20, 8, 9.) exposuit, utuntur narratione. Etenim Felicem, quum digressus esset, accusatum a Iudaeis Caesariensibus, poenas daturum fuisse memorat, nisi Pallas frater, qui tum in magna apud Neronem gratia fuerit, pro eo intercessisset. Ac plures quidem, ad Tacitum *d*) provocantes, quo teste Pallanti, quum taedium sui movisset, a Nerone non ita multo post imperii initium curam aerarii ademtam esse constat, Felicem primis Neronis temporibus in urbem reversum esse colligunt *e*). At si procurator revera ante ex Iudaea abiisset, quam Pallas munere deiiceretur, ne unum quidem diem sub Nerone provinciam administrasset. Pallas enim *a.* 55. *f*), *Ianuario* aut *ineunte Februario g*), potestate expulsus,

---

*) Cf. Tac. Ann. 14, 7. 14. 15. Dio 61, 20. 62, 13. **) V. Tac. Ann. 14, 52. *d*) Ann. 13, 2. 14. *e*) De *primo* Neronis anno Io. Ph. Baraterius cogitat (disquisit. chronol. de successione antiquissima episcc. Romm. inde a Petro usque ad Victorem, Ultraiecti 1740, 4. p. 7—19.); Io. Chstph. Harenbergius (in bibl. Brem. cl. VII. p. 888. 895 sq.), Bengelius (ord. temp. p. 286.), Süskindius (l. l. II, p. 316—320.), Rettigius (in censura libri Schraderiani saepius citati, in ephem. Ien. 1831, p. 163 sq. 168. et in quaestionn. Philippenss. p. 41—46.); de anno *secundo* Lud. Cappellus (Hist. Ap. in appendice, charact. V. p. 60.). *f*) Imp. Nerone, L. Antistio Vetere Coss. (cf. Tac. Ann. 13, 11.). *g*) Primis statim mensibus Pallantem a munere amotum esse, inde iam intelligitur, quod Tacitus illud inter primas, quae anno 55. acciderint, res commemorat. Sed et accuratius tempus constitui potest. Scilicet brevi post abrogatum liberto magistratum Nero Britannici caedem meditari coepit (Tac. Ann. 13, 14. 15.). Id vero factum est non ita multo post Saturnalia, inde ab a. d. XVI. Kal. Ian. celebrari solita (Tac. ibid. c. 15.), ac paulo antequam Britannicus XIV. aetatis annum expleret (cf. Tac. ibid.), i. e. ante diem, qui erat pridie Idus Febr. Natus enim est Britannicus, uti Suetonius testatur (Claud. c. 27.), die postquam Claudius imperium capessivit (post a. d. IX. Kal. Febr. a. 41.) vigesimo. Sane dubium inde oritur, quod Suetonius eodem loco, Dione consentiente (60, 12.), Britannicum Claudio II. Cos. genitum esse narrat, i. e. anno 42. At quum altera, quam Tranquillus proponit, temporis definitio non solum si annum, sed et, si anni tempus

Felix *tempore aestivo* revocatus est *); Neronem vero *a. d. III. Idus Oct. a.* 54. ad imperium evectum esse vidimus. Hanc autem temporis definitionem non secus ac ceteras, quas hucusque exposuimus, de ultimo Felicis anno opiniones et Iosepho repugnare et Lucae, probe est ab aliis intellectum. Itaque plurimi Pallantem aut non omni statim Caesaris favore deiectum, aut, licet tum vere ei invisus esset, serius tamen in eius gratiam receptum esse statuerunt. Ac Vogelius *h*) quidem, quem Kuinoelius *i*) sequitur, Pallantem *Agrippinae auctoritate fultum,* quamdiu haec in vivis fuerit (i. e. ad a. usque 59. *k*)), haud parum apud Neronem valuisse suspicatur; eadem vero occisa fieri potuisse negat, ut principis benevolentia is gauderet, qui consuetudine incesta cum illa coniunctus fuisset *l*). At quum Nero, quo tempore mater plurimum in eum potestatis habebat, hac re non sit impeditus, quominus Pallanti magistratum abrogaret: nonne, si libertum illum serius, quum Agrippinae auctoritas in dies minueretur, nonnihil apud Caesarem polluisse credideris, id multo probabilius aliis causis, quam principis in matrem reverentiae acceptum retuleris? Deinde illud quidem concedendum est, post Agrippinae mortem multos ideo, quod eius amicitia floruissent, Neroni odiosos fuisse *m*); at Pallantem tamen vix recte horum in numero habueris, quia Tacitus *n*), ubi eum veneno tandem ab imperatore necatum esse narrat, non aliam huius caedis affert rationem, quam quod immensam ille pecuniam longa senecta detinuisset *o*). Itaque nec a partibus Lightfooti *p*) stare licet, qui causam, cur Pallas Neronis gratia penitus

---

spectaveris, egregie cum eo conveniat, quod Tacitus (l. l.) indicat, Britannicum paulo post initium a. 55. proxime abfuisse ab anno vitae quartodecimo; in altera eiusdem relatione et in eo, quod Cassius prodit, errorem inesse censemus. (Quod Tacitus Ann. 12, 25. memorat, Neronem, qui exeunte a. 37. natus est [v. Suet. Ner. c. 6. — sec. lectionem in optimis edd. receptam —, coll. Tac. Ann. 12, 58. 13, 6.], *biennio* maiorem fuisse Britannico, in eo et secum ipso et cum reliquis pugnat.) *) Cf. p. 95. not. **. *h*) L. l. p. 238—240. *i*) Prol. in Acta, p. XXIX. *k*) Tac. Ann. 14, 8. cll. c. 1. ubi C. Vipsanius C. Fonteius huius anni Coss. dicuntur. *l*) Tac. Ann. 12, 65. 14, 2. *m*) Cf. id. ibid. 14, 57. 15, 50. 16, 14. *n*) Ann. 14, 65. *o*) Obiter notandum ducimus, Felicem, si ante Agrippinam interfectam e Palaestina reversus esset, nequaquam, ut Vogelio Kuinoelioque visum est, ipso Agrippinae anno fatali discedere potuisse. Nam Felix tempore aestivo munere se abdicavit, Agrippina autem Martio mense periit. Commissa est enim eius caedes intra solennes quinquatruum dies (cf. Tac. Ann. 14, 4—8. cll. 12. Suet. Ner. 34.). Iam vero duo quidem erant festa quinquatruum nomine insignita, quorum alterum ab a. d. XIV. Kal. Apriles (a die quinto post Idus Martias, Idibus ipsis adnumeratis, cf. Ovid. fast. 3, 809. Varro de L. L. 5, 3. Gell. N. A. 2, 21. Festus s. v. Quinquatrus), alterum, quod quinquatrus minores sive minusculas vocabant, Idibus Iuniis celebrabatur (cf. Ovid. fast. 6, 651. Varro l. c. Censorinus de die nat. c. 12. Festus s. v. Minusculae quinquatrus). Sed Tacitum eas dicere quinquatrus, quae Martio agebantur, inde discimus, quod collatis, quae Cornelius ipse (Ann. 14, 2.), et Dio (61, 16.) et Plinius (H. N. 2, 70.) tradunt, intelligitur, aliquanto post Agrippinam occisam, quum sacra ob facinus patratum fierent, solem defecisse, quam eclipsin pridie Kal. Maias contigisse, Plinius testis est (l. c.), consentientibus astronomorum tabulis (cf. Petavius. doctr. temp. XI, 9.). Accedit, quod Tacitus *festos quinq. dies* vocat; neque enim nisi Martii quinquatrus plures (i. e. quinque) dies complectebantur. *p*) In chronico tempp. et ordine textuum

exciderit, in *Poppaea* quaerendam putat (ex a. inde 58. q) a principe in deliciis habita), quippe quae et Agrippinae mortem maturaverit, et eius asseclas oppresserit r). Sed quemadmodum his argumentis demonstrari nequit, Pallantem nonnisi eo tempore auctoritate gavisum esse, quod antecesserit vel Neronis in Poppaeam amorem, vel obitum Agrippinae: ita nec, quae ab utraque statuendi ratione discrepat Basnagii, Pearsonii, Witsii, Koehleri sententia s), idoneum habet fundamentum. Scilicet hi interfecta demum principis matre hominem Neroni acceptum fuisse arbitrantur, quod illa quum propter incestum liberti amorem, tum quia eius arrogantia in Pallantis potentia innixa esset, causa fuerit praecipua, cur huic imperator succenseret *). At hoc argumentum quam sit incertum, facile inde apparet, quod, uti modo vidimus, occisa etiam Agrippina Nero multis hac ipsa de causa infensus erat, quod illius usi essent amicitia. Nos, his omnibus perpensis, etsi propter Iosephi testimonium, et quia Tacitus libertum a Caesare nonnisi ideo, quod eius opes appeteret, interemtum esse memorat t), negare non possumus, Pallantem aut nunquam prorsus excidisse principis gratia, aut fuisse, quum hic, quod in illum conceperat, odium deponeret, quin suo eum favore denuo ornaret: tamen nec causas nec tempora benevolentiae huius vel continuatae vel restitutae definiri posse contendimus. — Quid fuerit denique, quod Eusebio persuaderet, ut Festum anno Claudii ultimo in Iudaeam venisse crederet v), Hieronymo, ut rem eandem ad a. Neronis secundum referret x) (quorum utrumque non defuerunt qui sequerentur y)), haud facile quisquam dixerit; verum illud tamen mani-

---

N. Ti, opp. ed. cit. tom. II. p. 99. q) Tac. Ann. 13, 45. Nerone III. Valerio Messala Coss. (cf. c. 34.). r) Effecisse Poppaeam, ut Agrippinae mors acceleraretur, Tacitus indicat (Ann. 14, 1. cll. c. 2 sqq.); sed eandem illius amicos persecutam esse, legere non memini. s) Cf. Basnagius (ann. ad a. 59. §. IV.), Pearsonius (ann. Paul. p. 29.), Witsius (Pearsonii vestigia premens, melet. Leid. p. 170.), Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 49 sq.). *) V. Tac. Ann. 13, 14. t) Praeterea, Pallantem ultimo certe vitae tempore apud principem in honore fuisse, Spanhemius (de anno convers. Pauli, ed. laud. p. 216.) et Koehlerus (l. c. p. 50.) inde concludere videntur, quod Tacitus eum, quo loco de eius morte verba facit, inter *potissimos* libertorum referat; at nonne huius rei causam in eo quaerere licet, quod ille prius in potissimis fuerat? v) In can. chron. sec. vers. Armen. (p. 221. ed. Auch.). Est hic ex Eusebii mente annus Claudii XV.; annos enim ille imperio Claudiano tribuit XIV, mens. VIII. Adscriptus quidem est ei loco, ubi de P. Romam misso agitur, annus XIV.; sed Eusebius in canone principum annos non ab iis numerat temporibus, quibus quisque rebus praeesse coepit, sed ab exordio integri, qui regni uniuscuiusque initium proxime secutus est, anni. Cf. Goeschenius (Bemerkk. z. Chronol. des N. Ts in l.: theol. Stud. u. Krit. 1831, part. 4. p. 717.). Ceterum ultimo Claudii anno in canone Eusebiano respondet Olymp. 208. a. 3., Abrahami a. 2070., i. e. annus a. D. 55. a Kal. Ian. inchoatus (cf. Goeschenius l. l. p. 713 sqq. inpr. p. 722.). x) In catal. vir. ill. c. 5., in vers. chronici Euseb. (ed. Basil. p. 73. A.). Ea ex Hieronymi sententia a. Ol. 209, 1. a. D. 57. y) Eusebii rationes Euthalius sequitur et auctor chronici Alex. (p. 550. ed. Rad.); uterque enim Paulum a. Claudii XIII. sub Felice in vincula coniectum dicit; Euthalius diserte eum post biennium Romam deductum esse addit. Hieronymi vestigia premunt Cassiodorus (consules quidem anni 54., sed Neronis tamen a. secundum nominans), Beda, Freculphus

festum est, has sententias, quia et ipsae cum Luca pugnant et cum Iosepho, aut meris niti coniecturis, aut argumentis maxime infirmis z).

Rebus sic se habentibus, recte, opinor, in eo perstamus, ut *Felicem prius anno 59. revocatum esse negemus.*

De *termino* autem si quaeritur, *quo praeterlapso Felix Iudaeae non amplius praefuisse putandus sit*, hoc primum omnium, ut multi iam monuerunt, certissimum est, eum *ultra annum* 62. *collocari non posse*, quod eo tempore Pallas, quem, quum ille e provincia discederet, adhuc in vivis fuisse modo didicimus, diem obiit supremum a).

Sed quominus hoc ipso anno curam rerum Iudaicarum Felici ademtam esse arbitremur, variis prohibemur rationibus. Atque ut ab argumento ordiamur ex Actis ipsis petito: Lucas apostolum Romae (quo proximo post Felicis discessum vere advenerat) per biennium integrum mansisse, et sine ullo impedimento doctrinam salutarem disseminasse narrat b). Iam vero anno a. D. 64. post dirum illud urbis incendium, quod a. d. XIV. Kal. Sextiles initium ceperat c), orta est atrocissima Christianorum vexatio d), in qua nisi periit apostolus, sine omni tamen dubitatione ei non amplius μετὰ πάσης παῤῥησίας καὶ ἀκωλύτως docere licuit e). Itaque quum biennii illius exitus serius a. 64. poni non possit: neque Paulus post a. 62. urbem intrasse, *neque Felix post a.* 61. *e provincia abiisse* existimandus est.

Idem ex illo, de quo iam verba fecimus f), Iosephi loco g) intelligitur, ubi Burrus, qua aetate Festus procurator in Palaestinam legatus fuerit, hoc a Nerone obtinuisse traditur, ut Iudaei Caesaream incolentes huius civitatis iure privarentur. Etenim Festus, ut vidimus, Felici *tempore aestivo* successit, Burrus vero a. 62. h) non serius mense *Martio* i) obiit; hoc igitur anno nec de iure Caesariensium in-

---

Lexov. (qui [in ed. Commelin. 1597, 8. p. 419.], licet rem ad a. Ner. 1. referat, tamen iisdem fere, quibus Hieron. in catal. vir. ill. l. c., verbis utitur), Ado, Usuardus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, aliique veterum; neque inter recentiores defuerunt, qui, ut suas tuerentur de ultimo praefecturae Felicis anno sententias, praeter alia argumenta illos Hieronymi locos afferrent: Baronium dico (ann. ad a. Ner. 2. §. CLIX.), Henschenium (in Actis SS. Iunii tom. V. p. 402.), Petavium (doctr. temp. XI, 12., qui quidem perperam, Hieronymum de anno Neronis 1. loqui, existimat), Bengelium (ord. temp. p. 286.), al. z) De opinione eorum, qui biennium illud, quo exacto Festus Felici successisse traditur (Act. 24, 27.), a tempore computant praefecturae Felici aut a Claudio permissae, aut a Nerone confirmatae, supra (p. 51. not. b.) iam verba fecimus. Ceterum iis, quos illic nominavimus, viris doctis Petavium addas velim (doctr. temp. XI, 12.) et Hottingerum (chronotax. hist. et epp. P. p. 344), ab Harenbergio non dissentientes. a) Tac. Ann. 14, 65. P. Mario Celso L. Asinio Gallo Coss. (cf. c. 48.). De Wettius (l. c. p. 213.) et Rettigius (quaest. Philipp. p. 43.) eodem, de quo p. 95. not. *** diximus, errore perducti, hos coss. anno 63. assignant. b) Act. 28, 30 sq. c) Tac. Ann. 15, 41. C. Lecanio Basso M. Licinio Crasso Coss. (cf. c. 33.). d) Tac. ibid. c. 44. e) Ita Koehlerus argumentatur (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 50.) et Schottus (Eroerterung etc. p. 110 sq.). Minus recte Bertholdtius (l. c. V, p. 2728.) eo provocat, quod P. post a. 64. liberari e captivitate Romana non potuerit (cf. etiam Hugius, l. l. II, p. 322.), quum dubium sit, apostolum vinculis Romanis solutum esse. f) P. 95. g) Ant. 20, 8, 9. h) Tac. Ann. 14, 51. P. Mario Celso L. Asinio Gallo Coss.; (cf. c. 48.) i) V. quae p. 101. nota p. dicentur.

ter Neronem et Burrum actum esse, neque Festum ad Iudaeam regendam advenisse patet *k*).

Attamen sunt, quae multo maiore cum veri specie tempus, quo Felix discesserit, *ante a.* 61. collocari doceant. Paulus et qui cum eo erant, quum Romam ducerentur, mensibus hibernis Melitae peractis, in Siciliam navigarunt, Syracusis per triduum manserunt, inde Rhegium, ac post biduum Puteolos vecti, ibique per septem dies commorati, Romam tandem pervenerunt *l*); dies igitur fere *quindecim* in eo itinere consumserunt. Iam quum teste Vegetio *m*) nautae mare per hiemem clausum non prius ingredi solerent, quam a. d. VI. Idus Martias, Paulus, hoc circiter die Melita profectus, extremo demum Martio, vel serius etiam, Romam adiisse putandus est. Ibi Iulius centurio, cuius curae et apostolus et captivi reliqui commissi erant, hos omnes *praefecto praetorii* (*τῷ στρατοπεδάρχῃ* *)) tradidit. Iam vero quo tempore duo erant praefecti praetorio, vincti *praefectis* tradi dicebantur *n*). Itaque quum Lucas nonnisi de *uno* loquatur, quid quaeso verisimilius est, quam *unum* illa aetate hoc magistratu functum esse? Bini autem et ante Burri tempora et postea cohortibus praetoriis imponebantur: *Burro* igitur apostolum traditum esse, iure nostro con-

---

k) Schmidtius (Chronol. d. Ap.Gesch. p. 139-141.) et Hugius (l. l. II, p. 316.), ut Felicem prius a. 62. urbem repetiisse demonstrarent, praeter alia loco usi sunt, qui in Iosephi vita, §. 3., legitur, ubi auctor se *μετ' εἰκοστὸν καὶ ἕκτον ἐνιαυτὸν* Romam navigasse memorat, ut sacerdotes quosdam sibi amicos, quos Felix vinctos illuc misisset, liberaret. Etenim Iosephum anno a. D. 62. aetatis annum 26. egisse, iter vero post Felicis abitum suscepisse arbitrantur. Sed quamquam concedimus, narrationem illam ita se habere, ut Iosephus digresso demum procuratore in urbem se contulisse dicendus sit (non ac si cum Hugio eum Felice res adhuc administrante tale quid audere non potuisse crederemus — neque enim, ut Felicem accusaret, sed ut amicis opem ferret, se profectum esse scribit —, sed quia, quum indicato itineris anno eius causam his prodat verbis: *καθ' ὃν χρόνον Φῆλιξ τῆς Ἰουδαίας ἐπετρόπευεν, ἱερεῖς τινὰς--- εἰς τὴν Ῥώμην ἔπεμψεν*, *Felicis aetatem* ab *itineris tempore* distinguit), etsi, inquam, haec concedimus, anno tamen 62. Flavium in Italiam vectum esse negamus. Scilicet natus est Iosephus anno Caligulae primo (cf. vit. Ios. §. 1.), i. e. inter diem, qui erat a. d. XVII. Kal, Apr. a. 37. (non a. 36., ut Schmidtius putat, eo lapsus errore, de quo disseruimus p. 13. not. o.) eundemque diem anni insecuti; idem annos habebat 56 anno imperii Domitiani XIII. (Ios. Ant. 20, 11, 2.), h. e. inter Idus Sept. a. 93. et 94.; in lucem igitur editus est inter Id. Sept. a. 37. et Martii diem XVI. a. 38., annum actatis 26. inter Sept. ann. epochae Dion. 63. et Martium a. 64. explevit, eaque de causa iter Romanum aut ultimis a. 63. mensibus, aut a. 64. ingressus est. Hoc enim iure, credo, ponimus, Iosephum de annis aetatis 26. et 56. iam exactis loqui; partim, quia vulgo tot annos nati esse dicimur, quot iam explevimus, partim, quia hac demum ratione verum est, quod idem (de vita sua, §. 4.) refert, se, quum amicis facili negotio liberatis in patriam rediisset, tumultuum eorum, qui postea in bellum vertissent, initia deprehendisse; etenim Gessio demum procuratore moveri seditio coepit, quem biennio ante belli exordium (i. e. a. 64.) in provinciam venisse, ex Ant. 20, 11, 1. discimus. *l*) Act. 28, 11—16. *m*) De re milit. 4, 39. *) Act. 28, 16. *n*) Cf. Traian. (ap. Plin. ep. 10, 65.): „vinctus mitti ad *praefectos* praetorii mei debet"; Philostratus (vit. sophist. 2, 32.) de Heliodoro sophista, caedis reo: *ἀνεπέμφθη εἰς τὴν Ῥώμην ὡς ἀπολογησόμενος τοῖς τῶν στρατοπέδων ἡγεμόσιν.* Cf. Lardnerus (l. c. 1, p. 429.), Schraderus

iicimus *o*). At is vix serius Martio a. 62. ineunte vel medio *p*) animam efflavit: ergo nec Paulum, quoniam urbem non ante ultimos huius mensis dies intravit, serius eam anno 61. adiisse, *nec Felicem*, ut qui anno priusquam P. Romam veniret, a munere sit amotus, *post annum 60. e provincia digressum esse*, maxima cum probabilitate statueris.

Sed quae, si uno hoc utimur argumento, relinquitur dubitatio, eam solutum iri speramus, ubi de temporibus eorum disputatum fuerit, qui Felici successerunt, *Festi* et *Albini*. Atque *Albinum* quidem *anno certe 62., quum tabernaculorum festum ageretur, Iudaeae iam praefuisse,* Iosephus diserte memorat. Quo enim loco de prodigiis verba facit, quibus instans Hierosolymorum excidium significatum sit, Iesum quendam, Anani F., hominem rusticum, *quarto ante bellum anno* ad scenopegiam celebrandam Hierosolyma profectum subito clamores ominosos sustulisse, eamque ob causam a magistratu Iudaico verberatum, quum non desiisset voces edere fatales, ad *Albinum* praesidem ductum esse narrat, qui quidem hominem frustra flagellis laceratum tandem, quod eum furere existimaret, absolverit. Nec vero illum ab incepto destitisse, donec post *annos VII et V menses in*

(l. c. p. 180 sq.). *o*) Eodem argumento ad sententiam eandem perducti sunt Pearsonius (ann. P. p. 30.) et Schraderus (l. c. p. 180 sq.). *p*) Hoc etsi nusquam diserte commemoratur, ex eo tamen intervallo perspicitur, quo Burri mors obitum Octaviae antecessit. Burro defuncto per varia inimicorum artificia primum Seneca, inde Fenius Rufus (una cum Sofonio Tigellino praetorio praefectus) imminutus est (Tac. Ann. 14, 52–56.). Hinc validior in dies Tigellinus, quo Caesaris favorem retineret, tollere eos instituit, quos a Nerone timeri sciret. Itaque illo auctore Rubellius Plautus, qui tum in Asia (proconsulari) degebat, occiditur. Cuius capite relato Nero Poppaeae nuptias maturat (ibid. c. 59.); exturbata enim Octavia, duodecimo post divortium die (Suet. Ner. 35.) Poppaeae coniungitur. Ea quendam ex Octaviae ministris impellit, servilem ei amorem obiicere; quo facto, de ancillis quaestiones aguntur, et vi tormentorum victis nonnullis, ut crimen falsum confiterentur, Octaviae primum quidem domus Burri et Plauti praedia assignantur, sed mox in Campaniam misera relegatur; et, quamquam crebris vulgi questibus Nero permovetur, ut eam in matrimonium se recipere simulet, tamen eodem die honorem Poppaeae restituit (Tac. Ann. 14, 60. 61.), Octaviam vero insula Pandataria claudit (c. 63.), paucisque diebus interiectis mori iubet (c. 64.). Quarum rerum tempora si indagaveris, negare non poteris, in itinere interfectorum Plauti Roma in Asiam atque inde Romam perficiendo amplius mense spatium consumendum fuisse, praesertim ubi reputaveris, eos, quum Asiam peterent, ventis usos esse parum secundis (Tac. Ann. 14, 58.). Dies XII divortium inter et Poppaeae nuptias interpositos fuisse, e Suetonio didicimus; abhinc, donec imperator Octaviam in favorem se recipere mentiretur, si parum temporis effluxisse concesseris, mensis certe dimidium elapsum esse fatebere; inde hebdomadis fere spatium usque ad caedem Octaviae ponendum est. Itaque ex quo missi sunt, qui Plautum interimere iussi erant, donec Octavia periret, intervallum duobus mensibus amplius elapsum esse, non est dubium. His ubi id temporis adiunxeris, quo opus erat, donec, infracta calumniis variisque artibus Senecae ac postea Fenii potentia, Tigellinus Neronem ad Plauti caedem instigaret: tres certe menses inter Burri et Octaviae mortem interiectos fuisse perspicies. Iam vero Octavia eodem, quo serius Nero, die obiit (Suet. Ner. c. 57.), i. e., ut gravissimis ducti argumentis Scaliger (emend. temp. p. 468 sq.), Pagius (crit. in ann. Bar. ad a. 68. §. III.), aliique demonstrarunt, a. d. V. Idus Iun.; Burrum igitur vix serius initio

obsidione Hierosolymorum lapide e ballista misso perierit q). Utraque temporis nota *illud tabernaculorum festum in a. 62. referri* iubet; nam bellum Iudaicum a. 66. ortum est, obsidio vero, capessita illa quidem circa 22. Xanthici diem r) anni 70., non ultra aestatem anni eiusdem duravit s). Ac quoniam anno 62. scenopegia circa Nonas Oct. agi coepta est t), *Albino non serius initio huius mensis curam rerum Iudaicarum mandatam esse* apparet. — Sunt autem, qui accuratius, quo ille tempore in Pal. venerit, constitui posse arbitrentur. Ac Pearsonius v) quidem et Koehlerus x), Schotto y) consentiente, ideo de ipso a. 62. cogitant, quod ex Iosepho patere credunt, Poppaeam, quam Nero hoc anno in matrimonium duxerit z), Festo nondum mortuo Caesari iam nuptam fuisse. Flavius enim lite quadam inter Iudaeos et Agrippam II. Festumque praesidem orta legatos, quos Iudaei ea de causa ad Neronem misissent, votorum compotes factos esse tradit *per Poppaeam principis uxorem* a). At quominus hoc loco id, quod illi volunt, comprobari censeamus, gravissimis impedimur argumentis. Neque enim, quae gesta sunt, ex quo Iudaeorum legati Ro-

---

Idibusve Martii decessisse apparet. q) Ios. B. I. 6, 5, 3. r) Ios. Ant. 5, 7, 2. Quum inter scenopegiam, quae a 15. usque ad 22. Tisrii diem celebratur, et diem 22. Xanthici s. Nisani sequentis menses 6 interpositi sint, Iosephus negligentius annos 7 et menses 5 dixisse videri possit, per quos Iesus, Anani F., clamores suos sustulerit. Sed ab eo, opinor, tempore numeravit, quo ille ab Albino custodia emissus est. s) Usserius (ann. mundi ad a. C. 63.), cui per suam temporum Pauli computationem initium praefecturae Albini ad a. demum 63. referre licebat, quadriennium Ios. l. l. commemoratum a principio belli *duce Vespasiano* gesti (i. e. ab a. 67.) numeravit, et pro annis *septem*, de quibus eodem loco verba fiunt, *sex* scribi voluit, eam secutus lectionem, quae apud Photium invenitur (bibl. cod. 47.). At prius illud quod attinet, Flavius de initio belli totius, nec de eo loquitur tempore, quo belli summa Vespasiano tradita sit; Photii autem scriptura, quum quia in nullo Iosephi codice reperitur, tum quia alteri temporis notae, modo ea recte intelligatur, repugnat, sine dubio ab errore aut Photii ipsius, aut librariorum originem ducit. t) Si anno 61. Adarus secundus non est intercalatus, huius anni Nisanus illud secutus est novilunium, quod 10. Martii diem, hor. 1. pomer. tetigit. Iam si inter hoc tempus et Kalendas Nisani anni 62. nonnisi XII menses lunares interpositi fuissent, hae post neomeniam eam actae essent, quae in diem Febr. 28. h. 1. mat. incidit. Id quum hac de causa fieri non posset, quod XVI. mensis dies aequinoctium vernum antecessisset, intercalandum erat (cf. p. 31. not. b., inpr. not. f.); quo facto, Nisanus ab eo pependit novilunio, quod die Martii 29. h. 1. pomer. commissum est, Tisrius ab eo, quod diem Sept. 21. h. 3. pomer. tetigit, ideoque hic mensis inter vesp. Sept. 22. et 24., scenopegia inter vesp. Oct. 6. et 8. initium cepit. Sin vero a. 61. embolimaeus erat, hoc anno Nisanus agi coeptus est, postquam luna die Apr. 8. h. 10. vesp. siluit, annoque sequente, non interposito Adaro altero, Nisanus item Martio exeunte, Tisrius inter 22. et 24. Sept. vesperam inchoatus, et tabernaculorum festum circa Nonas Oct. celebratum est. Quominus vero iterum intercalatum esse suspicemur, eo impedimur, quod binis annis continuis mensem XIII. a solo Akiba additum esse vidimus (p. 32. not. i.), qui seculo floruit p. C. n. secundo. Ceterum revera annum 61. intercalarem, annum 62. vulgarem fuisse credimus, quia annus 62. (seu potius quod erat spatium inter Tisrium anni 61. et anni 62.) annus erat sabbaticus. Hanc enim Iudaeorum consuetudinem fuisse didicimus, ut anno sabbaticum antecedenti menses XIII, anno sabbatico XII assignarent (cf. p. 32 sq. inpr. not. k.). v) Ann. Paul. p. 31. x) L. l. p. 51 sq. y) In l.: Eroerterung etc. p. 114 sq. z) Tac. Ann. 14, 60. P. Mario Celso L. Asinio Gallo Coss. (cf. c. 48.). a) Ant.

mam venerunt, donec Albinus munus auspicaretur, tempore illo brevissimo confici potuerunt, quod inter nuptias Poppaeae et tabernaculorum solennia anni 62. interpositum erat. Scilicet Poppaeam Caesar Maio fere medio vel ineunte duxit[b]; itaque si legati mulierem post nuptias adiissent, non prius eam hoc mense convenissent. Iudicio peracto Poppaea Ismaëlem, Iudaeorum pontificem, qui in legatorum numero erat, obsidem retinuit, eiusque rei nuncio accepto Agrippa Iosephum Cabi cognominatum sacerdotio ornavit[c]. Is, quia nuncius ille ante Iunium afferri non potuisset, rebus sacris non prius hoc ipso tempore praefectus esset. Ananus, Cabii successor, pontificatu per tres menses functus, antequam Albinus adveniret, loco est motus[d]. Quod quia serius Septembri exeunte fieri non poterat, Ananus non ante Iunium extremum vel Iulium ineuntem pontificatum suscepit. Itaque Cabius magistratum vix uno mense gessisse putandus esset. At quum Iosephus, quamquam, ubi de iis agit sacerdotibus summis, qui ab Herodis I. aetate fuerunt, rarissime, quamdiu hic vel ille munus sustinuerit, commemorat, nec nisi tum commemorat, *ubi ipsa temporis*, quod quis in sacerdotio exegit, *brevitas insoliti quid habet*[e]; Ananiam tamen, Cabii successorem, diserte *tribus mensibus praeterlapsis dignitate deiectum esse* prodat: *hanc temporis*, qua ille potestati praefuerit, *exiguitatem rem memorabilem et ab ea, quae tum esset, consuetudine alienam fuisse* indicat. Unde certo concludere licet, Cabium diutius, non dicam mense uno, sed tribus saltem mensibus pontificatum administrasse. Quae quum ita sint, eos, de quibus supra diximus, Iudaeorum legatos, priusquam Poppaea Neroni nuberet, in Italiam venisse, et Iosephum illam per *πρόληψιν*, ut loquuntur, principis *γυναῖκα* appellasse sequitur. Neque mirum, non aliam tum fuisse mulieri auctoritatem, ac si iam Caesaris coniux fuisset; nam et adulteri Neronis (cuius pellex fuerat inde ab a. 58.) et mariti eam potentem fuisse novimus[f]. — Lorenzius[g], ut Albinum a. 62. Iudaeis praefectum esse demonstret, ita argumentatur: Flavio teste[h]

20, 8, 11. *b*) Parvo enim tempore post nuptias Poppaeae praeterlapso Octavia periit, cuius mortem incidisse vidimus in a. d. V. Idus Iunias a. 62. (cf. p. 101. not. p.). *c*) Ios. Ant. 20, 8, 11. 9, 1. *d*) Ios. Ant. 20, 9, 1. *e*) Ter praeter locum nostrum Iosephus, quamdiu aliquis eorum, qui ab Herodis M. aetate erant, pontificum maximorum res sacras moderatus sit, narrat: Ant. 15, 3, 3. 17, 6, 4. et 18, 2, 2. Ac priore quidem loco postquam Aristobulum ab Herode interfectum esse retulit, quo magis sceleris atrocitatem demonstret, rem evenisse addit, quum ille annum aetatis XVIII. ageret, et pontificatum per *annum* gessisset *unum;* altero loco de Iosepho, Ellemi F., loquitur, qui nonnisi *uno die* vestes sacras induit; Ant. 18, 2, 2. de iis, quos Valerius Gratus procurator instituerit, sacerdotibus summis haec tradit: *Οὐαλέριος Γράτος, - παύσας ἱερᾶσθαι Ἄνανον, Ἰσμάηλον ἀρχιερέα ἀποφαίνει τὸν τοῦ Φαβί. Καὶ τοῦτον μετ' οὐ πολὺ μεταστήσας, Ἐλεάζαρον τὸν Ἀνάνου τοῦ ἀρχιερέως υἱὸν ἀποδείκνυσιν ἀρχιερέα. Ἐνιαυτοῦ δὲ διαγενομένου, καὶ τόνδε παύσας, Σίμωνι τῷ Καμίθου τὴν ἀρχιερωσύνην παραδίδωσιν. Οὐ πλέον καὶ τῷδε ἐνιαυτοῦ τὴν τιμὴν ἔχοντι ἐγένετο χρόνος, καὶ Ἰώσηπος, ὁ καὶ Καϊάφας, διάδοχος ἦν αὐτῷ.* Quo quidem loco singulorum tempora sine dubio ideo commemorat, quod, etsi non prorsus alienum erat ab usu aetatis illius, ut quis per unum tantummodo annum sacerdotium administraret, tamen praeter consuetudinem *tres deinceps* muneri sacro non amplius anno uno praefuerant. *f*) Ann. 14, 60. *g*) Ann. Paul. p. 81 sq. *h*) Ant. 20,

ea illum aetate in Palaestinam venisse, qua Agrippa minor Caesaream Philippi novis auctam aedificiis in honorem imperatoris Neroniadem vocaverit. Id vero factum esse a. 61. ad finem vergente et ineunte a. 62.; nummos enim inveniri, ex quorum inscriptionibus intelligatur, Agrippam (qui iam a. 40. Chalcidi, a. 53. Gaulonitidi et Trachonitidi, a. 55. Tiberiadi, Tarichaeae, et Iuliadi impositus fuerit) ab a. 61. exeunte novam incepisse regni epocham *i*). At ut taceamus, non satis constare, utrum epochae illius principium *a.* 61. *exeunte* an *ineunte*, an vero *a.* 60. collocandum sit *k*) (unde factum est, ut Pagio *l*), ceteroquin eodem fere modo, quo Lor., ratiocinato, non minore cum iure huius epochae initium et Albini adventum ad a. 60. referre liceret); ut omittamus, nullum reperiri apud Iosephum vestigium, unde pateat, *primis praefecturae Albini temporibus* Caesaream Neronis nomine insignitam esse: quis tandem Agrippam illud, quod hanc urbem amplificarat, tanti habuisse crediderit, ut ex ea inde aetate novam regni annos numerandi rationem iniret? Quamquam, dum aliud quid fuisse suspicamur, quod regem ad hanc mutationem permoveret, a veri specie non abhorrere ducimus, idem in causa fuisse, ut Agrippa (sed spatio fortasse aliquo interiecto) animum ad Caesaream exornandam applicaret. — Praeterea Lorenzius *m*) et Tillemontius *n*) Albinum *circa paschatis festum* in Iudaeam profectum esse ideo censent, quod Hegesippus *o*) Iacobum, Iesu fratrem, cuius caedes, ut ex Iosepho *p*) patet, inter obitum Festi et Albini adventum commissa est, *azymorum solennibus* interfectum esse refert. At modo ne ista Hegesippi narratio tot contineret fabulosa, ut de iis, quae vera esse possunt, nisi aliis ea confirmentur testimoniis, iusta oriretur dubitatio! Sane Lorenzius in Iosepho ipso deprehendisse sibi videtur, quo Albinum hac circiter aetate provinciam accepisse demonstret; nam quod ille Ant. 20, 9, 3. sub Albino ἐν τῇ ἑορτῇ a sicariis gestum esse memorat, *proximis post adventum procuratoris azymis* contigisse arbitratur. Sed parum reputat V. D., Iosephum nec de paschate diserte loqui, nec de solennibus paulo post initum ab Albino munus celebratis, nec, si Hegesippo fides habeatur, aliter statui posse, quam Albinum *post azyma* Iudaeam intrasse.— Fuerunt denique, qui iis, quae scriptores ecclesiastici de ultimo Festi et Iacobi anno, vel de intervallo, quo Albinus muneri praefuerit, prodiderunt, qui his, inquam, usi annum eum, quo Festi successor res Iudaeorum moderari coeperit, eruere studerent; quae quidem argumenta incertissima esse, vix est, quod commemoremus *q*). — Rebus sic se habentibus, in eo acquiescendum

9, 4. *i*) Horum numorum parti alteri inscriptum est: IM. CA. D. VESP. F. DOM. AV. GER. COS. XII., alteri modo haec: *ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ.* S. C., modo ista: SALVTI. AVGVST. S. C. *ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ.* Quae quidem inscriptiones demonstrant, a. 96., quo Domitianus Cos. erat XII., Agrippam annum (novae epochae) egisse XXVI. Cf. Eckhelius (doctr. num. III, p. 494.). *k*) Etenim si epocha coepit a. 60., pars extrema anni Agrippae 26. cum initio anni a. D. 96. convenit; sin eius principium in finem anni 61. incidit, prima anni Agr. 26. pars ultima anni 96. a. D. tempora tetigit. *l*) Crit. in ann. Bar. ad a. 60. §. IV. *m*) Ann. Paul. p. 81. *n*) Hist. des emp. I, 2, p. 863. 1065.; mém. I, 3, p. 1143. *o*) Apud Eus. H. E. 2, 23. *p*) Ant. 20, 9, 1. *q*) Sic, ut pauca afferamus exempla, quum Eusebius (in can. chron. ad a. Ner. 6. et 7.)

est, ut *Albinum serius Octobri a. 62. ineunte procuratoris munus auspicatum esse negemus.*

Sequitur, ut de eo quaeramus temporis spatio, quo opus fuerit ad perficienda, quae Festo procuratore gesta sunt. Iosephus r) Agrippam minorem Festi aetate Hierosolymis domum et magnitudine et splendore insignem exstruxisse narrat, unde in totam fere urbem prospici potuerit s); proceres autem Iudaeorum, quum intellexissent, regem ad ea solere e triclinio suo oculos convertere, quae in templo agerentur (id quod nefas habitum sit), ut hunc ei prospectum eriperent, altum excitasse murum, quem quum Agrippa ac Festus deiici iussissent, petiisse illos, ut coram Nerone causam orare liceret; hinc, venia impetrata, legatos ad Caesarem misisse, qui, Poppaeae precibus flexus, Iudaeis satisfecerit. Ismaëlem tamen pontificem max., qui inter legatos fuerit, obsidem Romae retentum esse, eaque re comperta Agrippam primum Iosepho Cabio, serius Anano, Anani F., sacerdotium tradidisse, sed eidem post tres menses, brevi antequam Albinus adesset, magistratum abrogasse; de quibus rebus supra iam verba fecimus. Iam vero etsi, quia Iosephus domus illius aedificationem ad Festi aetatem refert, summa cum veri specie statuere nobis liceret, eam, nisi totam, at magna certe ex parte hoc procuratore exstructam, ideoque diutius demum post initum ab illo munus perfectam esse: tamen eam iam primis Festi mensibus absolutam esse ponamus. Inde quum Iudaei cognovissent, regem e conclavi suo, quae in templo fierent, observare: antequam muri fundamenta iacerent, non poterant, quia exspectarent, donec Agrippa Hierosolyma ad tempus relinqueret, ne forte opus inchoatum ad finem perduci vetaret; qui quidem sine dubio, quum urbis templique adspectu maxime laetaretur (nam domus illa *ἐπιτερπεστάτην*, ut Iosephus ait, *παρεῖχε τὴν θέαν, ἧς ἐφιέμενος ὁ βασιλεὺς ἐκεῖθεν ἀφεώρα κατακείμενος τὰ κατὰ τὸ ἱερὸν πρασσόμενα*), longiore demum post aedificium perfectum intervallo discessit; hinc non parvo temporis spatio opus erat, ut murus ipse, qui altitudinis erat eximiae, in monte celsissimo excitaretur; neque, lite eam ob rem orta, statim

---

Albinum Festo successorem missum esse scribat a. Neronis 6., Iacobi vero mortem in annum conferat sequentem, Baronius (ann. ad a. er. 6. §. I., ad a. Ner. 7. §§. I. II.) Festum a. Ner. 6. mortuum, sed Albinum, quod is Iosepho teste post Iacobi caedem advenit, proximo demum anno Palaestinam intrasse statuit. Quod Eusebius (in can. chron.) Albini praefecturae quadriennium tribuit, id Basnagium (ann. ad a. 59. §. IV.) — uti videtur — permovit, ut hunc anno ante Gessium Florum (i. e. ante a. 64.) quarto Iudaeis impositum esse suspicaretur. Epiphanii narratione, qui (haer. 78, 14.) Iacobum post Christi ex his terris abitum annos fere 24 vixisse refert, Valesius (in notis ad Eus. H. E. 2, 23.) sic utitur, ut Festum a. Neronis IV. mortuum esse coniiciat; aliis Hieronymum (de vir. ill. c. 2.) in eo sequentibus, quod ille Iacobum XXX. post Christi discessum anno periisse tradit. r) Ant. 20, 8, 11. 9, 1. s) Etsi Iosephus, postquam (Ant. 20, 8, 10.) de rebus quibusdam dixit, quae Festo procuratore acciderint, ad describendam huius domus aedificationem ita transit, ut forma utatur latius patente: *κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον*, dubitare tamen non licet, an illa iam ante Festi tempora perfecta sit; etenim Flavius eo, quod, quae de aedibus istis prodit, inter res commemorat Festo praeside gestas, eas, nisi integras, at ex parte tamen huius aetate

hanc Iudaeis veniam datam esse probabile dixeris, ut Neronem per legatos adirent. In his autem omnibus efficiendis ut perparum temporis consumtum esse largiamur: illud tamen iure nostro contendere nobis videmur, minus certe quinque vel sex mensibus impendi iis non potuisse*). Festus, ut diximus, aestate munus susceperat: itaque non prius hieme res eo pervenire poterat, ut Iudaeis permitteretur ad Neronem proficisci. Qui quidem si, quam primum mare aperiebatur, i. e. Martio ineunte, iter ingressi essent, non ante Aprilem Romam intrassent**); ac quoniam iudicium aliquot certe diebus interiectis habitum est, nuncius de Ismaële Romae retento non prius Maio medio ad Agrippam pervenisset, nec Iosephus Cabius prius hoc tempore pontificatu esset ornatus. Id si a. 62. factum esset, Cabius, quoniam eius successor, ut vidimus, non serius Iulio ineunte anni eiusdem sacerdotio praefectus est, non diutius mense uno cum diebus nonnullis potestatem gessisset. Quod quia prorsus, ut supra (p. 103.) demonstratum est, a veritate abhorret, *Cabium aliquot saltem mensibus ante Maium a. 62. dignitate pontificia auctum, Festum ante aestatem anni antecedentis, eoque ipso non prius aestate anni 60. Iudaeis impositum esse* sequitur.

Quae quum ita sint, *Felix*, quemadmodum *non ante annum 59.* (cf. p. 91.), ita *nec post a. 60. e provincia discessit*, *neque* (ut ad illud redeamus, cuius causa hanc disputationem instituimus) *ultima Pauli profectio in urbem sanctam alio tempore, quam aut a. 57., aut a. 58. suscepta est.*

Iam si quaeritur, utro horum annorum iter revera factum sit, ad eam quaestionem solvendam maximi est momenti, quod ex Actis eruere licet, intra quos hebdomadis dies illo anno paschatis festum sit finitum. Cui quidem rei enucleandae est quod iam operam navemus.

Lucas Paulum μετὰ τὰς ἡμέρας τῶν ἀζύμων Philippis profectum *quinque* dierum itinere Troadem venisse, ibique per *septem* dies mansisse refert (Act. 20, 6.). Itaque Paulus die *duodecimo* antequam Troadem relinqueret, Philippis solvit. Quod quidem si proximo post azyma die fecit, hoc festum die *decimo tertio* ante Pauli ex Troade

conditas esse indicat. *) Schraderus (l. c. p. 27 sq.) et Schottus (Eroerterung etc. p. 114.) litem, quam Iosephus domo exstructa ortam esse tradit, *revera brevi post Festi adventum* esse excitatam, sed parum idoneis nixi argumentis, contendunt. Primum enim verba: *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* (Ant. 20, 8, 11.) non tam, ut illis videtur, ad ea respiciunt, quae ibid. §. 10. in. leguntur: *ἀφικομένου — εἰς τὴν Ἰουδαίαν Φήστου*, quam ad omnia, quae hoc loco de latronibus narrantur a Festo domitis, et de homine quodam fraudulento, qui una cum asseclis ab eodem fuerit oppressus; quae quidem antequam perficerentur, fieri poterat, ut haud exiguum temporis spatium praeterlaberetur. Deinde circa hanc aetatem non *lis illa exorta*, sed *domus aedificata* dicitur; Flavius enim: *κατὰ τ. κ. τ.* ait, *ὁ βασ. Ἀγρίππας ᾠκοδομήσατο μεγέθει διάφορον οἴκημα*, et q. s. rel. Formula denique: *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* laxior est, quam quae tempori accuratius definiendo serviat. **) Quis enim crediderit, illos, quum hoc iis concessum esset, ut murus staret, donec imperator controversiam diremisset, eaque de causa nullum esset in mora, quam praeterea ipsa maris coelique natura excusaret, periculum, media hieme iter ingressos esse, et hieme quidem Festi adventum proxime insecuta, quae quam fuerit navigantibus molestissima, ex Act. c. 27. constat?

discessum finem cepit. Iam vero ultimus, quem ap. hac in civitate degebat, dies ἡ μία τῶν σαββάτων, i. e. primus hebdomadis dies erat *t*); itaque azyma, nisi P. uno demum vel altero post exitum huius festi die praeterlapso Philippis digressus est, *Martis die* ad finem perducta sunt. Sed num vere res ita se habuerit, accuratius est indagandum. Apostolus iter, de quo agimus, Hierosolymitanum inter solennia paschatis et pentecostes perfecit. Pentecosten die quinquagesimo ab altero azymorum die (hoc ipso die rationibus illato) agi solitam esse, supra (p. 36.) didicimus; ex quo dierum numero *sex* certe, quum P. iter iniret, praeterlapsi erant; septem enim diebus azymorum festum absolvebatur. Interiectis deinde diebus 12, qui, ut modo vidimus, ab itineris principio, donec P. Troade discederet, effluxerunt, apostolus, et qui cum eo erant, intra *quatuor* dies *) Miletum venerunt (Act. 20, 13—15.); Mileto, quam medio die adire poterant (non longo Samum [cf. v. 15.] inter et hanc urbem intervallo), P. misit, qui ecclesiae Ephesinae presbyteros ad se arcesserent (v. 17.). Ephesus Mileto novem fere milliaribus geographicis distabat *v*); nuncii igitur ante diem alterum, quam P. Miletum appulerat, Ephesum pervenire non poterant; hinc si convocatis presbyteris post paucas horas in viam se dederunt, die sequenti Miletum redire potuerunt; unde Paulum cum suis praeter residuam eius diei, quo Miletum adierat, partem per *biduum* certe hac in urbe mansisse patet. Mileto relicta

---

t) Act. 20, 7.: ἐν — τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων ἡμῶν κλάσαι ἄρτον, ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς, μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον. Ac revera apostolum die proximo abiisse, e v. 11. apparet. Opponere autem nobis possis, quum ea, quae Act. 20, 7 sqq. narrantur, magnam partem noctu gesta sint, Lucam fortasse, Iudaeorum consuetudinem secutum, verbis: τῇ μιᾷ τῶν σαββ. non solis diem, sed vesperam hunc diem antegressam significasse, qua ex illorum computandi ratione primus hebdomadis dies initium ceperit. At minus tamen recte haec obieceris. Nam Lucas eo die Christianos Troade habitantes et Paulum cum suis convenisse tradit ad coenam sacram celebrandam; quem quidem ritum ista aetate cum epulis iunctum fuisse constat (1 Cor. 11, 18 sqq.). Iam vero Iudaei, atque ii, qui a sacris Iudaicis ad Christum colendum ita se converterant, ut priscum morem, quantum fieri posset, retinerent (quorum bene multi erant in omni Christianorum coetu, et ad quos Paulus in iis, quae cum re Christiana stare poterant, libenter se accommodabat, et gentiles, ut et ipsi se accommodarent, monebat) hi, inquam, sabbatis ter epulabantur: primum, festo ineunte (i. e. Veneris die post solis occasum), hinc mane, denique ante sabbati finem; qua de re cf. misna tract. שבת, 16, 2. cll. tract. פאה 8, 7. (Reliquis diebus utrum ante solis occasum an postea coenare soliti fuerint, ignoramus.) Quae quum ita sint: si sacra, de qua Lucas verba facit, congregatio vespera solis diem antecedente habita esset, sabbato nondum praeterlapso conventum esset, neque auctor noster τὴν μίαν σαββάτων, sed σάββατον dixisset. *) Siquidem Troade Mitylenen uno die profecti sunt, id quod Bertholdtius (l. c. VI, p. 3376.) negat, quippe qui eos die primo Assum (Act. 20, 13.), altero Mitylenen (v. 14.) adiisse statuat. Sed Troadem inter et Assum tam parvum erat intervallum, ut vel Paulus, qui itinere terrestri eo tendebat (v. 13.), post paucas horas hoc oppidum assequi posset. Accedit, quod Lucas, etsi toto h. l. in diebus singulis commemorandis accuratissime versatur (cf. v. 15.: τῇ ἐπιούσῃ, hinc: τῇ ἑτέρᾳ, inde: τῇ ἐχομένῃ), tamen, ubi de itinere Asso Mitylenen facto loquitur, omni temporis notatione omissa, tum demum, quum P. Mitylenen reliquisse dicit, τῇ ἐπιούσῃ, addit, κατηντήσαμεν ἀντικρὺ Χίου (v. 15.). *v*) Cf. Bertholdtius (l. c. VI, p. 3376.).

triduo Patara (21, 1.), hinc diebus non minus *quinque* x) Tyrum navigarunt (21, 3. 4.); exactis Tyri *septem* diebus Ptolemaidem vecti, *unum* diem cum amicis versati sunt (v. 5.). Qui quidem dies, quoniam Tyrus tam parum Ptolemaide distabat, ut ante meridiem hanc urbem intrare possent, non diversus dicendus est ab eo, quo illuc venerant. Die sequenti, qui *vicesimus* certe *et tertius* erat, ex quo Troade discesserant, Caesaream adierunt. Ibi ἡμέρας πλείους commorati (v. 10.) Hierosolyma migrarunt. Dies πλείους *non minus triduo* appellare solemus; itaque P. ad diem certe 26. post digressum ex Troade Caesareae fuit, neque ante diem 27. hanc civitatem reliquit. At eo die sabbatum agebatur y), quo quidem festo Iudaeis nonnisi minutissima itinera terrestria facere permissum erat z); qua de causa nec Paulo cum sociis, nisi et Iudaeis, et iis, qui, etsi ex Iudaeis ad Christi sacra se contulerant, leges tamen avitas, quantum poterant, observare pergebant, maximae esse vellet offensioni, hoc die Caesarea proficisci licuit. Ergo non ante diem sequentem iter ingressus, *biduo* a) Hierosolyma attigit, nec prius die eo, *qui eius adventum excepit*, pentecoste acta est b). Computatis igitur *sex* illis diebus,

---

x) Ita Chrysostomus (in Act. homil. 45.). Hugius quidem (l. c. II, p. 321.), collato eo tempore, quod Paulus eiusque socii in itinere Mileto Patara facto consumserant, eos Pataris Tyrum *sex* demum dierum intervallo advenisse censet; sed fieri certe *poterat*, ut, si ventis uterentur admodum secundis, spatium inter locum utrumque interiacens diebus *quinque* emetirentur. y) Nam quum dies ultimus, quo P. Troade erat, solis dies fuisset, dies post eius discessum 6., 13., 20., 27. sabbata fuisse patet. z) Iudaeis non licuisse nec sabbatis proficisci, nec diebus festis, Iosephus docet (Ant. 13, 8, 4.); aliunde autem novimus, constituisse magistros, ut ne quis his diebus ultra 2000 cubitorum (i. e. ultra octavam fere mill. geogr. partem) eius civitatis, in qua forte versaretur, terminos egrederetur (v. targ. in Ruth. 1, 16. misna tract. עירובין cap. 4. inpr. §§. 7. et 8. all. cll. Act. 1, 12., ubi mons oliveti σαββάτου ὁδὸν Hierosolymis remotus fuisse dicitur, qui, teste Iosepho (Ant. 20, 8, 6.), *stadiis quinque* ab hac urbe distabat, paululum dissentiente interprete Syro, qui l. Act. c. σαββ. ὁδὸν per *septem stadia* reddit, et Epiphanio, qui (haer. 66, 82.) Iudaeos sabbatis itinera *sex stadiis* longiora facere negat. De omni hac re cf. Io. Frischmuthii diss. de via sabbati, Ienae, 1670, 4.). Iis vero, qui navi vehebantur, sabbatis (festisque diebus) excedere hos limites licebat; cf. misna l. l. §. 1. et quae in eum locum Bartenora commentatus est (in ed. misnae Surenhus. tom. II. p. 96.). a) Caesarea enim, ut ex itinerario Hieros. discimus, Hierosolymis 68 mill. Rom., i. e. 13 fere mill. geogr. dissita erat. Minus accurate Iosephus (Ant. 13, 11, 2. B. l. 1, 3, 5.) 600 dicit stadia, i. e. 75 mill. Rom. b) Bertholdtius (l. c. VI, p. 3375—3378.), sua coactus tempora Paulina computandi ratione, apostolum praeterlapsa demum penteceste Hierosolyma intrasse statuit. Eam sententiam ut tueatur, locis Act. 16, 6. 16. aut Lucae ipsius, aut librariorum vitio falsi quid tradi contendit; idque non externis solum argumentis comprobare studet (quae quam infirma sint, p. 51. not. a. vidimus), sed et internis. Nam quum ea aetate, qua Paulus Mileto discessurus erat, ad pentecosten nonnisi XIX dies superfuisse existimet, apostolum illo tempore hanc spem fovere potuisse negat, fore, ut festo pentecostes Hierosolymis versaretur (Act. 16, 16.). Sed neque recte V. D. computavit, neque, si recte computasset, facile intellexeris, quidni P. spem istam concipere potuerit. Ac praeterquam quod in hac Bertholdtii argumentatione nulla inest vis probandi, est, quo apostolum revera non serius penteceste urbem sanctam intrasse demonstremus. Nam quum Caesaream venisset, tot sine omni dubio supererant ad hoc solenne

qui, antequam P. Philippis solveret, ab altero azymorum die (hoc ipso die adnumerato) praeterierunt; diebus 12, qui abhinc, donec ap. Troade abiret, elapsi sunt; nec paucioribus 27, qui ad ultimum, quo Caesareae erat, diem effluxerunt, hinc *biduo*, quod ap. in itinere Caesarea Hierosolyma facto consumsit, et *primo*, quem inter Hierosolymitanos exegit, die (ante quem pentecoste non est celebrata): *dies invenies non minus* 48. At Paulus diutius, quam ad diem post Troadem relictam vicesimum septimum Caesareae haesit; id quod intellectum iri speramus, ubi de temporibus dictum fuerit earum rerum, quas Lucas inde ab adventu apostoli in urbem sanctam, usque dum causam coram Felice oraret, accidisse narrat. Tradit enim, Paulum *postridie* quam advenisset ad Iacobum se contulisse (Act. 21, 18.), die *sequenti* ritum quendam sacrum, observandum illum quidem per *septem* dies c), colere coepisse (v. 26. 27.), quo dierum numero ad finem vergente apostolus in templo sit comprehensus (v. 27—30.); die *proximo* in synedrio eius causam, sed frustra, actam esse (22, 30 — 23, 10.), die *insecuto* Iudaeos amplius quadraginta in eum coniurasse (23, 12—15.), sed Lysiam tribunum, insidiis cognitis, eum vespera diei eiusdem a militibus Caesaream ad Felicem praesidem deduci iussisse (23, 16—24.), quam quidem urbem P. *postridie* intraverit (v. 32 sq.) d); *quinto* autem die post Ananiam pont. max. cum aliis eodem venisse, et iudicium de apostolo habitum esse (24, 1—23.); in quo ille, quum causam suam dixerit, inter alia commemoraverit, *non amplius 12 dies praeterlapsos esse*, ex quo Hierosolyma ad Deum adorandum migraverit (24, 11.). Atque hi quidem dies quomodo sint computandi, quoniam ea de re non convenit

---

dies, ut facili negotio, antequam illud ageretur, Hierosolymis esse posset. Iam vero quis tandem crediderit, eundem, qui Ephesum non adierat, quia *ἔσπευδεν, εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ, τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα*, Caesareae ita cunctatum esse, ut interea temporis festum praeterlaberetur? c) Nam quum Lucas, postquam c. 21, v. 26. dixit: *ἁγνισθεὶς εἰςῄει εἰς τὸ ἱερὸν* (ὁ *Π.*), *διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ*, v. 27. ita pergat: *ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι*, hos septem dies non differre ab iis, quos *τὰς ἡμ. τοῦ ἁγν.* vocaverat, luce clarius est. Itaque minus recte Tillemontius (mém. I, 2, p. 636. 840.) et quos ille (ibid. p. 841.) laudavit, Chrysostomus (homil. in Acta 45.50.) et Beda (in Act. c. 21.) *septem, qui Pauli adventum proxime secuti sint, dies* intelligendos esse arbitrantur. d) Acta Paulum *διὰ τῆς νυκτὸς* Antipatridem, deinde Caesaream ductum esse narrant (23, 31—33.). Sed quia Antipatris, ut ex itinerario Hieros. cognoscimus, 42 mill. Rom. (geogr. fere 8) Hierosolymis distabat, Kuinoelius (ad Act. 23, 31.) et Meyerus (l. c. p. 461.) Lucam non hoc indicare putant, *una nocte*, sed *tempore nocturno* iter perfectum esse. Itaque nocte prima milites Emmauntem (22 mill. Rom. ab Hierosolymis dissitam), altera demum Antipatridem venisse coniiciunt. At praeterquam quod, nisi verba torquere libet, non possumus nisi de una nocte cogitare, Lucas diserte milites pedestres, qui Paulum Antipatridem usque comitati fuerint, *τῇ ἐπαύριον*, i. e. postridie quam profecti essent, reversos esse memorat (23, 32.). Qua de causa sic potius statuendum est, milites festinare iussos iter per totam noctem ita fecisse, ut, Hierosolymis hora noctis tertia (inter nonam et decimam ex nostra computandi ratione) relictis (cf. Act. 23, 23.) post horas fere XII Antipatridem pervenirent; unde quum 26 mill. Rom. (fere 5 mill. geogr.) Caesaream usque superessent, nec nisi equites Paulum comitarentur, hanc urbem facile eodem die assequi poterant.

inter viros doctos, accuratius perscrutemur. Primum igitur Lucas, dum 21, 27.: *ὡς δὲ ἔμελλον*, ait, *αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι*, maiorem horum dierum partem, quam P. vinculis constringeretur, iam praeteriisse indicat. Itaque tum aut *quintus*, aut *sextus* agebatur dies, ex quo Paulus primum *ἁγνισθεὶς* templum intraverat (v. 26.); fortasse *septimus* iam initium ceperat (quamquam, si hunc diem auctor dicere voluisset, potius *τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ* scripturus fuisse videtur). Deinde *quinque* illi dies, quorum ultimo iudicium a Felice habitum est (24, 1.), ab eo die numerandi sunt, de quo Lucas proxime (23, 32—35.) egerat, i. e., quo ap. Caesaream ductus fuerat *e*). Verba denique Act. 24, 11. relata: *οὐ πλείους εἰσί μοι ἡμέραι δεκαδύο, ἀφ᾽ ἧς ἀνέβην προσκυνήσων ἐν Ἱερουσαλήμ*, nonnisi de hoc intelligi possunt spatio, quod ab eo tempore, quo P. Hierosolyma adierat, ad illam usque diem effluxit, quo ista prolocutus est *f*). Quae quum ita sint, nisi Lucam temere erroris accusare volueris, non poteris, quin de ratione horum temporum sic statuas: Paulum die *quinto*, ex quo *ἁγνισθεὶς* in templum adscenderat, captum esse; qui quidem dies, si omiseris particulam eius diei, quo advenerat, residuam (quae, si post solis occasum advenerat, ex Iudaica numerandi ratione ne ad alium quidem diem, quam ad eum, qui insequebatur, pertinebat), *sextus* erat *commorationis Pauli in urbe sancta*; — postero die, qui *septimus* erat, synedrium convocatum, vespera diei *octavi* apostolum Caesaream versus profectum, ac die *nono* urbem istam ingressum esse; die denique *decimo tertio*, qui, si adnumeraveris eum diem, quo P. Caesaream venerat, *quintus* erat ab eius introitu in hanc civitatem, habitum esse iudicium, ita ut ap., quoniam adhuc nonnisi duodecim praeterierant dies integri, recte, *οὐ πλείους*, diceret, *εἰσί μοι ἡμέραι δεκαδύο, ἀφ᾽ ἧς ἀνέβην προσκυνήσων ἐν Ἱερουσαλήμ*. Iam si dies ultimus, quo P., antequam Hierosolyma peteret, Caesareae fuit, dies fuisset post eius digressum a Troadis incolis vicesimus septimus, ap., solis die Caesarea profectus, die lunae sub vesperam Hierosolyma venisset; primus, quem ibi exegisset, tertius fuisset hebdomadis dies, et iudicium a Felice solis die instructum esset. At die iudicium antecedente Ananiam, et qui cum eo erant, in itinere versatos esse necesse est *g*); quibus quum sabbato tantam profectio-

---

e) Quod Caietanus (ad Act. 24, 11.), Fromondus (in Act. 24, 1. laud. Tillem., mém. I, 2, p. 840.), Basnagius (ann. ad a. 56. §. XXVIII.), auctor libri: Handbuch zur Erkl. d. N. Ts f. Ungelehrte, Lips. 1792, 8. (ad Act. 24, 1.), Rosenmüllerus (ad l. eund.), Meyerus (l. c. p. 462.), aliique existimant, quinque istos dies ab eo computandos esse tempore, quo P. in templo comprehensus fuisset (qua de re Lucas *tribus capitibus ante* [21, 30 sq.] narraverat), id toti nexui ita repugnat, ut, nisi illi desperassent, alia via inita defendi posse veritatem eorum, quae Act. 24, 11. leguntur, nunquam animum ad hanc interpretationem applicaturi fuisse videantur. *f*) Etenim quoniam apostolus non alium commemorat duodecim illorum dierum terminum, id temporis intelligi necesse est, quod forma *εἰσίν* exprimitur, i. e. eundem diem, quo P. haec verba pronunciavit. Qua de causa parum recte nonnulli, ut Heinrichsius et Hildebrandus (ad Act. 24, 11.), Kuinoelius (ad Act. 24, 1. 11.), de iis Paulum diebus loqui censent, quos Hierosolymis traduxisset; neque melius Hemsenius (l. c. p. 542. not. 7.) de eo cogitat dierum numero, qui interpositus fuerit inter Pauli digressum ex urbe Caesarea (Act. 21, 15.) eiusque reditum in eandem civitatem (Act. 23, 33.). *g*) Nam si vel cisiis usi essent, duodecim

nem suscipere non liceret, Paulum uno saltem die tardius et causam coram praeside orasse, et Hierosolyma adiisse, et Caesaream reliquisse, non est dubium. Iam si ad diem certe 28. post iter Troade initum Caesareae haesit, a die azymorum secundo usque ad diem eum, ante quem, ut vidimus, pentecostes festum collocari non potest, *dies non minus* 49 praeterlapsi sunt. Quum vero pentecoste die quinquagesimo ab isto paschatis die agi soleret: nisi aut illud temporis spatium, quod inde ab itinere Troade facto usque ad Pauli adventum in urbem Hieros. effluxit, uno die longius fuisse *h*), aut pentecosten die uno serius celebratam esse credideris: non poteris, quin hunc, qui reliquus est, diem inter azymorum finem et Pauli e Philippensibus discessum interiectum fuisse censeas. Rebus ita se habentibus, *azymorum festum* illo anno die aut XIV. aut XIII. antequam P. Troade exiret, i. e. *lunae* aut *Martis die* finitum esse apparet. Nihil igitur superest, nisi ut indagemus, anno 57., an vero a. 58. paschatis solennia alterutro horum dierum ad exitum fuerint perducta; id quod ex hac intelligetur tabula *i*).

Annus aerae Dion.		Novilunium Nisani.	Kalendae Nisani.	Azymorum initium (XV. Nisani dies).	Azymorum finis (XXI. Nisani dies).	Dies hebdomadis.
57	Vulgar.	23 Mt. 10h 2′ vesp.	25, 26, 27 Mt.	8, 9, 10 Ap.	14, 15, 16 Ap.	5, 6, 7.
	Embol.	22, Ap. 1h 1′ vesp.	24, 25, 26(?) Ap.	8, 9, 10 (?) Mj.	14, 15, 16(?) Mj.	7,1,(2?)
58	Vulgar.	13 Mt. 5h 11′ mane	(14?) 15, 16 Mt.	(28?) 29, 30 Mt.	(3 ?) 4, 5 Ap.	(2?)3,4.
	Embol.	11 Ap. 5h 1′ vesp.	13, 14, 15Ap.	27, 28, 29 Ap.	3, 4, 5 Mj.	4, 5, 6.

demum tredecimve horarum spatio 68 milliarium iter emetiri potuissent (cf. Cic. pro Rosc. Am. c. 7., ubi quidam decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolasse dicitur); itaque si eodem die, quo iudicium habitum est, Hieros. reliquissent, sub vesperam demum advenissent. Iam quid tandem magis est incredibile, quam illos ex tanto itinere fessos, nulla mora interposita, Felicem adiisse, atque hunc tam facilem fuisse, ut statim iudicium instrueret? *h*) Etenim in omni temporum huius itineris computatione ea singulis rebus assignavimus spatia, quibus minora assignari non possent, illud cauturi, ne, quoniam, quo longius iter fuisse creditur, eo facilius comprobari potest, apostolum statim post azymorum solennia Philippis discessisse, temere huic illive rei longius, quam par esset, intervallum tribuisse videremur. Itaque concedere profecto licet, Paulum vel Mileti, vel Caesareae diutius mansisse, vel in cursu Pataris Tyrum facto plus temporis, quam supra posuimus, consumsisse. *i*) Varia sunt, quae, ut haec tabula rectius intelligatur, notanda videntur. Ac *primum* quidem in neomeniarum temporibus Vega duce definiendis ita versati sumus, ut, quando luna *sub meridiano Philippensi* siluerit (sub quo novilunium 44 minutis prius, quam sub merid. Hieros. committitur), describeremus. *Deinde*, quemadmodum p. 37., ita hic quoque eos posuimus dies Romanos, quorum vespera dies Iudaici

Hinc perspicitur, anno 58., siquidem ille vulgaris, anno 57., si embolimaeus fuerit, azyma uno eorum, quos diximus, dierum ad finem

---

finem ceperunt. Kalendas *denique* et azymorum solennia ab Iudaeis Philippensibus iisdem, atque a synedrio (cf. p. 34.), limitibus inclusa esse sumsimus. Qua de re uberius nobis dicendum est. Atque ut primum videamus, quid Hebraeorum scriptores de ea ratione tradant, quam Iudaei loca a synedrio longe dissita habitantes in mensium principiis festisque constituendis secuti fuerint: Kalendis consecratis (cf. p. 33.), ita rabbini docent, quo Iudaei exteri cognoscerent, cui illae diei assignatae fuerint, olim flammae in montibus longe lateque accendebantur; sed postquam Cuthaei (i. e. Samaritani) hac consuetudine ad Iudaeos fallendos abusi sunt, synedrium, ut in regionibus remotioribus festa certe iusto tempore celebrarentur, septenis mensibus (Nisano paschatis causa, Abo propter ieiunium die nono agendum, Elulo ob festum novi anni hunc mensem excipiens, Tisrio propter diem expiationis et tabernaculorum solennia, Cislevo encaeniorum gratia, Adaro ob Estheris festum, Iiaro denique — nec tamen nisi stante templo — propter pascha secundum) his igitur mensibus synedrium mittebat, qui nunciarent, quo die Kalendae fuerint constitutae (cf. misna ראש השנה 1, 3. 2, 2. Maimonides, de consecr. Kalend. ed. cit. p. 352 sq.). Sed quae loca ab illis ante festorum initia attingi non poterant (id quod nonnisi in eas cadere solebat regiones, quae extra Palaestinam sitae erant), in iis dies quosdam maxime sacros, pentecosten dico, et primum ultimumque paschatis ac scenopegiae diem, geminabant (v. gem. Bab. ערכין fol. 10, p. 1. עירובין fol. 39, p. 2. et schol. ad h. l., Maim. l. l. p. 354.); qui quidem dies שני ימים טובים של גליות, „bini exsulum dies solennes" vocabantur; anni vero incipientis festum non solum extra Palaestinam, sed in plurimis adeo huius ipsius terrae locis duplicabant (unde hoc biduum non, ut alterum illud, *exsulum*, sed *novi anni* biduum, שני ימים טובים של ראש השנה, appellabatur, cf. misna מנחות 11, 9. ערכין 2, 3. 5. gem. Hieros. עירובין fol. 21, col. 3. gem. Bab. ביצה fol. 6, p. 1. al.), quia, etsi Eluli initium norant, tamen, utrum dies 29, an 30 huic mensi tributi fuerint, nesciebant; quin, ut obiter haec commemoremus, in ipsa Hierosolymorum urbe festum illud interdum totidem dies complectebatur, quia, finito Eluli die 29., diem sequentem, etsi nemodum nova lunae cornua se vidisse testatus esset, tamen, quoniam id die labente fieri posse constabat, totum festum habebant; quo die si nihil de lunae apparitione nunciatum esset, proximus tamquam verum anni principium agnitus sacris et ipse ritibus agebatur (cf. misna ראש הש׳ 4, 4. ubi primae huius consuetudinis origines traduntur, gem. Bab. ביצה fol. 4, p. 2. fol. 5, p. 1. et scholia ad h. l., nec non scholion ad gemarae eiusd. tract. עירובין fol. 39, p. 2.). At ista quaestioni nostrae parum afferunt emolumenti. Etenim quae de anni principio narrantur, etsi ad tempora pertinent excidio Hierosolymorum priora (cf. inpr. locos e misna allatos; quibus Philonis et Iosephi auctoritatem minus recte opposueris, utpote quorum neuter, quot diebus hoc festum celebratum sit, commemoret): tamen, quia ad solum Tisrii initium spectant, nostra non intersunt; reliqui autem dies solennes post eversam demum urbem coepti sunt geminari (uti scholion docet ad gem. Bab. פסחים fol. 47, p. 1.: בזמן לחם הפנים לא היו שני ימים טובים של גליות: „tempore panum appositiciorum" [ergo quamdiu sedes stabat] „non erant bini exsulum dies festi"). Sed quid? ais, Iudaei exteri num praeter hos dies solennes nonnisi *Tisrii* Kalendas duplicabant? Est haec sane etiamnum Iudaeorum consuetudo, ut non primum modo mensis cuiusque diem celebrent, sed et mensium plenorum diem ultimum Kalendarum loco habeant; verumtamen hunc morem Maimonides ipse (l. l. p. 375.) serioris originis esse indicat. At nihilominus ex his omnibus illud certe intelligitur, Iudaeos usu edoctos fuisse, Kalendas et festa in locis a synedrio remotioribus non facile plus uno die vel prius vel serius, quam in Palaestina, agi solitas esse. Nec mirum; etenim quum

venire potuisse [k]). At anno 57. Adarum alterum additum esse, non possumus quin negemus. Etenim quum iam anno antecedente (a. 56.), ne paschatis dies secundus ante aequinoctium inciperet, intercalandum fuisset [l]), neque, ut vidimus [m]), illa aetate binis annis continuis tredecim menses tribuerentur, a. 57. vulgarem fuisse necessario sequitur. Quoniam igitur *solus superest*, de quo cogitare nobis liceat, *annus* 58., *huic anno ultimum Pauli iter Hierosolymitanum assignare* non dubitamus. [n]).

Iudaeorum extra terram sanctam habitantium maxime referret, festa singula eodem cum Palaestinensibus tempore celebrare: haud dubie omni studio in eo elaborabant, ut in figendis mensium principiis lunam non minus accurate, quam illi, sequerentur. Nam etsi scriptores Hebraei, quamdiu synedrium esset, nonnisi in *Palaestina* (quamquam non sine omni exceptione, cf. Maim. l. c. p. 344.) Kalendas definiri licuisse docent (v. Maim. ibid. p. 343 sqq. 362.), hoc tamen nonnisi de Kalendis *rite constituendis* intelligi potest; omnibus enim Iudaeis, etiamsi terras incolerent longissime a Pal. remotas, agendas eoque ipso definiendas quoque fuisse neomenias, per se patet. Iam vero ubicunque iusto tempore non comperiebant, quid synedrium de mensium initiis decrevisset, ibi, ut errores caverent, ne poterant quidem, quin Kalendas sic figerent, uti iis videretur, qui in ea re diiudicanda sapientissimi essent. Atque hi quidem quum aliam viam ingredi non possent, quam ut et lunam nascentem observarent, et tabulis uterentur astronomicis: licet illud non assequerentur, ut menses uno semper eodemque die cum Palaestinensibus inchoarent, tamen haud facile limites transgredi poterant eos, quibus synedrium Kalendas inclusisse vidimus (cf. p. 34.). Qua quidem ratione hoc effici necesse erat, ut Iudaeorum terras remotiores habitantium Kalendae, etiamsi alio, quam Kalendae Hierosolymitanae, die agerentur, tamen ab his non facile nisi uno die recederent; quamquam per ambitum terminorum illorum eas interdum vel biduo recedere potuisse non negamus. Quin, ut multum demus, exterorum Kalendas hos cancellos interdum *excessisse* largiamur; attamen nisi ii, quorum erat, eas definire, rerum astronomicarum rudiores, quam par est, habeantur, eas et *uno tantum die*, et *rarissime* hos limites transgressas esse, recte, opinor, contendimus. Quibus de causis, quum animus esset, Nisani Philippensium Kalendas ita describere, ut eas terminis iis interponeremus, intra quos mensium initia *vulgo* apud Iudaeos exteros versata essent, in tabula supra exhibita Kalendas ad eandem, quam p. 37. secuti sumus, normam definire non dubitavimus; neque tamen indagare omisimus, num forte, si uno alterove eorum, de quibus loquimur, annorum Nisani Philippensium principium cancellos illos uno die egressum putetur, ea res ad quaestionem nostram vel dirimendam faciat, vel impediendam (cf. not. k. et n.). *k*) Si Philippenses, id quod fieri potuisse modo largiti sumus, die uno vel serius vel prius, quam in tabula posuimus, Nisani Kalendas et azyma egissent, anno quidem 58., non solum, si ille vulgaris, verum etiam, si intercalaris erat, anno autem 57. nonnisi si mensis ei adiiciebatur embolimaeus, azymorum finis in diem lunae vel Martis incidere poterat. *l*) Nam nisi intercalassent, Nisanus illud secutus esset novilunium, quod Martii diem 5. hor. 5. matut. tetigit, ideoque secundus azymorum dies (id quod fieri non licebat, cf. p. 31. not. b. et f.) ante aequinoctium celebratus esset. (Quominus autem iam annum 55. mense uno auctum esse credamus, ita ut anno 56. non opus fuerit intercalare, eo prohibemur, quod annus 55. sabbaticus erat, neque vero annis otiosis plures quam duodecim tribuebantur menses [cf. p. 32. inpr. not. k.]). *m*) P. 32. not. i. coll. p. 102. not. t. *n*) Reliquum est, ut ad dubia quaedam dirimenda pauca moneamus. Scilicet etiamsi his, de quibus quaerimus, annis Nisani Philippensium Kalendae, eoque ipso azyma quoque ita lunam essent secuta, ut intra terminos eos,

Quibus ita expositis, facile intelligitur, res inde a XV. Actorum cap. narratas his adnexas fuisse temporibus:

Apostolorum concilium non serius habitum est	anno epochae Dion. 51.
Paulus Antiochia in Europam non serius tetendit	a. 51.
Corinthum advenit *auctumno*	a. 52.
Ibidem commoratus est ad *ver* usque	a. 54.
Inde profectus Hierosolyma pervenit *paschate* aut *pentecoste*	a. 54.
Ephesum adiit *auctumno*	a. 54.
Ibi versatus est ad *pentecosten* usque	a. 57.
Corinthum intravit sub finem	a. 57.
Hac urbe relicta Macedoniam petiit ineunte	a. 58.
Philippis Hierosolyma vectus est inter *pascha* et *pentecosten*	a. 58.

---

quibus ab Hierosolymitanis includebantur (cf. p. 34.), sese continerent, fieri tamen potuisset, ut uno die, quin biduo prius, quam Kalendae et azyma Hierosolymitanorum, agerentur; sin limites illos die uno excessissent, et Nisani initium et paschatis festum Philippis vel triduo prius, quam Hieros., celebratum esse, non prorsus alienum esset a probabilitate. Quibus concessis, hoc simul largiendum est, fieri potuisse, ut inter secundum azymorum Philippensium diem et pentecosten Hierosolymitanam LI, LII, quia III et L dies interiecti essent, atque ut, quoniam eadem de causa statuere liceret, hos, qui numerum L excedunt, dies inter finita Philippensium azyma et Pauli ex illorum urbe digressum interpositos fuisse, pascha Philippense *ante lunae diem* ad exitum perduceretur. Verum etsi haec concedimus, tamen inde causam nostram detrimenti quid capere negamus. Etenim solennia Phil., si vel *triduo* ante pascha Hieros. celebrata sunt (id quod tum demum, ut modo indicavimus, accidere poterat, si Nisani Kalendae limites consuetos uno die antecesserant), anno eo, quo P. ultimum in urbem sanctam iter suscepit, prius *Veneris* die (ut qui tertius esset ante *lunae* diem) finiri non potuerunt; at a. 57., si Nisanus uno die citius, quam per limites solitos licebat, initium cepit, paschatis dies extremus cum *Mercurii* die convenit. Neque, si festum Philipp. *biduo* prius, quam Hieros., celebratum esse conieceris, hoc, de quo agimus, iter in a. 57. conferre poteris. Etenim, quoniam hoc anno pascha Hierosolymitanum (cuius urbis sub meridiano luna, ut vidimus, nonnisi 44 minutis tardius, quam sub meridiano Philipp., silet) non serius die Apr. 16., qui sabbatum erat, ad finem venit, azymorum Phil. dies ultimus, si biduo ante exitum festi Hier. actus esset, nonnisi in diem *Iovis* aut *Mercurii* incidisset. At, quo anno Paulus e Macedonia Hierosolyma navigavit, pascha, eadem posita conditione, nonnisi aut 7. aut 1. hebdom. die exactum est. Ita nec, si solennia Phil. *uno* die festum Hieros. antecessisse putaveris, iter illud anno 57. assignari posse, ratione inita, facile perspicies. Sin quis vice versa Hierosolymitanos pascha vel *uno* die *prius*, quam Philippenses, egisse suspicaretur, is, quia inter secundum azymorum (Phil.) diem et eum diem, ante quem pentecoste (Hier.) non est celebrata, non minus diebus 49 interfuisse vidimus (cf. p. 111.), eo ipso azyma Phil. proxime ante Pauli ex horum civitate discessum, i. e. *Martis* die, finita esse po-

Hierosolymis in vincula coniectus et Caesaream deportatus in custodia fuit	ab a. 58. ad a. 60.
Caesarea iter suscepit Romanum *auctumno*	a. 60.
Romam ingressus est *vere*	a. 61.
Vinctus ibi permansit usque ad *vernum certe tempus*	a. 63.

Iam vero quamquam id, cuius causa haec disseruimus, assequi nobis contigit, tamen minus recte ab hoc capite discesserimus, nisi quaesiverimus, quantum in eruendis temporibus iisdem aliis quibusdam locis iuvemur, quibus nonnullos ad ea definienda usos esse videmus.

Ac primum quidem haud pauci ad Act. cap. 18, v. 2. provocant, ubi quum P. Corinthum ingressus Aquilam et Priscillam, qui Claudii decreto una cum reliquis Iudaeis Roma expulsi fuerint, invenisse dicatur *προςφάτως*, i. e. *nuper*, *ἐληλυθότας ἀπὸ τῆς Ἰταλίας*, *apostolum non ita multo post*, *quam Caesar Iudaeos ex urbe eiecerit*, in Achaiam venisse, recte statuunt, licet, quanto serius Paulus Corinthum adierit, disputent, plerisque rem aut anno eidem, aut ei, qui insecutus est, tribuentibus, paucis de tempore longius remoto cogitantibus. Collatis autem, quae variis his sententiis favent, argumentis, verisimillima nobis eorum visa est statuendi ratio, qui Claudii mandatum et Pauli adventum in annum eundem conferunt. Nam etsi quaedam est in verbo *προςφάτως* ambiguitas, quippe quod pro nexus varietate aeque de annis aliquot (ita v. g. 2 Macc. 14, 36.), ac de exiguo mensium vel dierum numero intelligi possit: ex vulgari tamen loquendi ratione, qui *plures menses* alicubi degit, *diutius* ibi *haesisse*, non *recens advenisse* dicitur. Quum vero Fogginius et Bertholdtius o) Aquilam cum uxore, Roma relicta, priusquam Corinthum navigaret, per aliquod temporis spatium in Italia mansisse suspicantur, eiusmodi proferunt coniecturam, quae nec Lucae verbis commendatur (hic enim, quum illos ex *Italia* venisse memoret, quia *Roma* expulsi fuerint, Italiae nomen non, ut moram hac in terra factam indicaret, sed orationis variandae causa posuisse videtur), neque stare potest cum ea sententia, quae omnium maxime probabilis est, non diu valuisse illud imperatoris edictum (cf. p. 118.); quis enim Aquilam et Priscillam, si Iudaeis, antequam ipsi solverent, redeundi copia facta esset, Corinthum potius, quam Romam petiisse crediderit? Ac quod Bertholdtius p) addit, illa aetate et lentas fuisse navigationes, et iis, qui iter maritimum suscepturi fuissent, saepius haud parvum per

---

neret, quo quidem die azyma a. 57. nec Hierosolymis, nec Philippis peracta sunt. o) Fogginius in exercitt. de romano D. Petri itinere et episcopatu, p. 125. (cit. Mynstero, kl. theol. Schften, p. 151.) Bertholdtius l. c. V, p. 2723 sq. p) Loco modo allato.

intervallum exspectandum fuisse, donec navem invenirent, qua eo, quo vellent, veherentur: id in re nostra nullius est momenti, quia et tantum erat Romam inter et Corinthum commercium, ut mari aperto plures quovis mense naves ex altero loco in alterum tetendisse per se pateat, et in summa cursus tarditate vix longius duobus mensibus spatium in itinere ex Italia in Achaiam faciendo consumendum erat.

Iam si quaeritur, *quando Claudius Iudaeos ex urbe digredi iusserit*, ea de re ex veterum testimoniis non satis constat. Ac Suetonius q) quidem, etsi principem „Iudaeos impulsore Chresto r) assidue tumultuantes Roma expulisse" refert, tamen, quo illud anno acciderit, ut solet, notare omisit. Quod vero Dio Cassius s), ubi de rebus loquitur sub initium imperii Claudiani gestis, *τοὺς Ἰουδαίους*, ait, *πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μὲν, τῷ δὲ δὴ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι*, eo tantum abest ut quaestio dirimatur, ut maioribus implicetur difficultatibus. Nam, ut *primum* de repugnantia dicamus, quae hanc narrationem inter et ea, quae Lucas ac Suetonius tradunt, intercedit, licet eam ita tolli posse largiamur, ut aut imperatoris mandatum, quo sacri Iudaeorum conventus prohibebantur, inter causas turbarum referatur, quas durius illud de Iudaeis pellendis decretum sit insecutum t), aut hoc, de quo Dio agit, iussum effecisse statuatur, ut Iudaeorum plurimi urbem relinquerent v), haec tamen nonnisi in incertis posita esse coniecturis, quis est quin perspiciat? *Deinde*, annon illud, quod a Cassio memoriae proditum est, mandatum recte primo Claudii anno assignetur, est, quod quam maxime dubitemus. Nam *eodem anno* Claudius non solum *Iudaeis Alexandrinis* libere legibus suis uti concessit, sed et edicto sanxit, ut Iudaei *ἐν πάσῃ τῇ ὑπὸ Ῥωμαίους ἡγεμονίᾳ* iisdem atque Iudaei Alexandrini iuribus gauderent, quin diserte addidit, velle se, ut hoc edictum non modo in reliquo orbe, sed et in *Italia* in eiusmodi affigeretur locis, ut de plano recte legi posset x). Atque hoc quidem decretum anno Claudii primo exeunte vel secundo ineunte adhuc valuisse, inde discimus, quod eo tempore Petronius, Syriae propraetor, Doritas, qui seditionem adversus Iudaeos moverant, ideo castigavit, quod contra Caesaris voluntatem impediverint, quominus illi ritu patrio ad Deum colendum congregarentur y). Quid quod illud

---

q) Vita Claudii, c. 25. r) Quis fuerit is, quem Suet. Chrestum vocat, varie disputatum est inter viros doctos. Cf. praeter editores Suetonii Wolfium (in curis ad Act. 18, 2.), et quos idem (ibid.) laudavit, Witsium (melet. Leid. p. 90 sq.), Christian. Hebenstreitium (in diss.: de Iudaeo Roma exule, Lips. 1714, 4. p. 27—32.), Michaëlem (Einl. II, p. 1262 sq.), Meyerum (l. c. p. 83—85.), Ammonium (in progr.: super loco Suet. de vit. Claud. c. 25. Gott. 1813, 4.), Hugium (l. l. II, p. 391 sq.). Sed quoniam haec quaestio nihil affert ad rem nostram momenti, immorari in ea noluimus. s) L. 60. c. 6. t) Sic Schraderus (l. c. t. I. p. 71.). v) Ita Hebenstreitius (de Iudaeo Roma exule, p. 32.), Henkius (ad Paleyii hor. Paul. p. 410 sq.). x) Ios. Ant. 19, 5, 2. 3. y) V. id. ib. 6, 3.

ante annum a. D. 49. rescissum esse, ab omni alienum est veri specie. Etenim ad hanc usque aetatem Agrippa minor Romae versabatur *), quem Claudius tanti habebat, ut non solum Agrippa I. (a. 44.) defuncto in eo esset, ut regnum paternum ei committeret (etsi, quia amici monebant, iuvenem sustinendis regni curis imparem esse, ab hoc consilio recessit), serius autem primum minorem, deinde ampliorem donaret ditionem [z]), verum etiam, quum quando (a. 45.) ipse sacram summi Iudaeorum pontificis stolam Romanis adservandam tradi iussisset, huius precibus permotus eam in Iudaeorum potestate relinqueret [a]). Quae quum ita sint, ad eam propensi sumus sententiam, Dionem, in recensendis iis, quae Claudius primo imperii anno bene gesserit (his enim edictum illud adnumerat), non satis attendentem ad temporum discrimina, immiscuisse, quae seriori tribuenda essent aetati, tali fortasse usum historiae fonte, in quo non tam ordinis temporum, quam rerum similitudinis ratio haberetur. — Orosius [b]), cuius vestigia haud pauci premunt [c]), Iosephum, ut ipse perhibet, secutus, Iudaeos *anno Claudii nono* (i. e. inter Ianuarium a. 49. et 50.) urbe exactos esse prodit. Sed quoniam neque apud Flavium ulla mandati illius mentio infertur, et Orosium saepe in temporibus notandis errasse certissimum est, eius testimonio in re nostra uti non licet.

Itaque quum veteres, quo anno Iudaei a Claudio Roma eiecti fuerint, nobiscum aut prorsus non communicaverint, aut ita communicaverint, ut haud exiguus dubitationi locus sit relictus: non mirandum est, recentiorum alios alia ratione hoc tempus accuratius definire studuisse. Ac Valesius [d]) quidem, anno Claudii X. *propter annonae gravitatem* peregrinos, in iisque Hebraeos, ex urbe pulsos esse coniicit. Sane Augustus aliquando in summa rei frumentariae angustia peregrinos Roma eiecit [e]); sed neque Iudaeos, neque peregrinos alios a Claudio unquam propter famem exactos esse, veterum ullus vel verbo indicavit. — Basnagius [f]) anno 51., Pearsonius [g]), Mynsterus [h]), Vogelius [i]) anno 52. Iudaeos Romanos *propter tumultus* iisdem temporibus *a Iudaeis Palaestinensibus motos* [k]) in exilium missos esse

---

*) Agrippa enim, Romae apud Claudium educatus (Ios. Ant. 19, 9, 2. 20, 1, 1. 2.) a. 49, Chalcidis rex est constitutus (Ios. Ant. 20, 5, 2. B. I. 2, 12, 1., collatis, quae p 10. not. h. et p. 88 sq. not. a. disseruimus). *z*) V. Ios. Ant. 19, 9, 2. 20, 5, 2. 7, 1. B. I. 2, 12, 1. 8. *a*) Cf. id. Ant. 20, 1, 1. 2. *b*) Hist. 7, 6. *c*) V. g. Beda, Ado, Regino, Hermannus Contractus, Baronius (ann. ad a. Claudii IX. §§. I. II.), Lud. Cappellus (hist. apost. append. charact. V. p. 57.), Emmerlingius (in comment. in 2. ad Cor. ep., prol. p. XXII.) et quodammodo Schraderus (l. c. p. 71.). *d*) Ad Eus. H. E. 2, 18. Neque Henkius dissentit (in notis ad Paleyii hor. Paul. p. 410.). *e*) V. Suet. Aug. 41. *f*) Ann. ad. a. 51. §. LXIX. *g*) Ann. Paul. p. 22. *h*) Kl. theol. Schften, p. 152. *i*) L. c. p. 233 sq. *k*) De quibus Iosephus agit, Ant. 20, 5, 4. 6, 1—3. B. I. 2, 12, 2—6. Tacitus, Ann. 12, 54. (Basnagio tamen nonnisi ad ea provocante, quae Ant. 20, 6, 2. leguntur, Pearsonio ea tantummodo urgente, quae Ant. 20, 5, 4. B. I. 2, 12, 2. et Tac. Ann. l. c. traduntur).

censent. Verum Tranquillus sine dubio non de turbis loquitur eiusmodi, quas Iudaei in patria versantes, sed quas ii, qui Romae degerent, excitaverint. At aliqua tamen ex parte suam temporis definitionem confirmari Vogelius existimat loco Taciti, Ann. 12, 52. *l*), ubi mathematici a. 52. *m*) ex senatus consulto Italia pulsi dicuntur, quos inter facile Iudaeos, astrologiae quippe suspectos, referri potuisse monet *n*). Sed praeterquam, quod incertum est (id quod V. D. ipse agnoscit), num hoc S. C. revera ad Iudaeos quoque spectaverit, Cornelius diserte, *irritum* illud fuisse, memorat. — Sunt, qui a. 54. eligant *o*), nec tamen alia illi quidem causa permoti, quam quod neque annum priorem per eam, quam ipsi instituunt, annos Paulinos computandi rationem, neque seriorem per limites imperii Claudiani ponere licet.

Rectius inde, quod Agrippa II. summo florebat Caesaris favore (cf. p. 117.), Iudaeos, quamdiu ille Romae degerit, i. e. ad a. certe 49. *p*) exilio non esse affectos, concluseris. Verum hinc etsi illud cognoscimus, Iudaeos vix prius hoc anno Roma eiectos esse, tamen, quanto serius ea res acciderit, non edocemur.

In hac argumentorum infirmitate tantum abest, ut, quae Act. 18, 2. narrantur, quidquam valeant ad definiendum annum eum, quo Paulus Corinthum venerit, ut, hoc ipso tempore aliunde cognito, quando illa contigerint, constituendum sit. Ac quoniam apostolum anno 52. Corinthum intrasse supra (p. 114.) didicimus, aut hoc anno, aut (quod tamen minus verisimile arbitramur) anno antecedente Iudaeos a Claudio Roma expulsos esse censemus. Quibus hoc unum obiter addendum ducimus, Taciti et Iosephi de hac Iudaeorum calamitate silentium vix videri aptius explicari posse, quam ex brevitate intervalli, quo imperatoris edictum valuerit *q*);

---

l) Quo loco iam Calvisius ad rem eandem demonstrandam usus fuerat (op. chronol. p. 446.). Cf. etiam Pearsonius (ann. Paul. p. 22.). *m*) Fausto Sulla L. Salvio Othone Coss. Factum est hoc S. C. mense Ianuario; nam Tacitus (Ann. 12, 53.) inter res paulo serius gestas S. C. memorat aere publico fixum, quo Pallas antiquae parcimoniae laudibus cumulatus fuerit, quod quidem decretum a. d. IV. Kal. Febr. factum esse, Plinius testatur (ep. 8, 6.). *n*) Vogelii argumenta maxime probabilia habentur ab Heinrichsio (prol. ad Acta, p. 53.), a Kuinoelio (prol. ad Acta, p. XXVIII.), Bertholdtio (l. c. V, p. 2723.), Winero (in exc. II. ad comment. in ep. ad Gal., p. 155. ed. 3.), Schotto (in progr., in quo inest isag. hist. crit. in ep. P. ad Gal. Ien. 1829, 4., p. 22. not. 7., in isag. in ll. N. F. p. 196., in progr., cui titulus: isag. hist. crit. in utramque P. ad Thess. ep., p. 10. not. 4. et in l.: Eroerterung etc. p. 73.); eadem non displicent Borgero (intptat. ep. ad Gal. prol. p. 33—36.). *o*) Usserius (ann. mundi ad h. a.), Hammondus (in paraphr. loci Act. 18, 2.), Michaëlis (Einl. II, p. 1183.), quamquam is quidem dubitanter, Eichhornius (l. l. III, p. 38.), Schmidtius (Chron. d. Ap. Gesch. p. 138.). *p*) Cf. p. 117. not. *. *q*) Itaque minus probabilis eorum videtur sententia, qui Iudaeos primis demum Neronis temporibus Romam rediisse statuunt, hac plerumque ratione allata, quod, quum Nero ab initio miti rempublicam imperio rexerit, Iudaeis exulibus nemine impediente reverti licuerit. Ita Baronius censet (ann. in a. Claudii 13. §§. XLII. XLIII., in a. Ner. 1. §. I.),

quod utrum diserte an tacite rescissum esse dicamus, dubii haeremus r). —

Lorenzius, quia Act. 18, 12. Iudaei Corinthii tumultum contra Paulum excitasse traduntur Γαλλίωνος ἀνθυπατεύοντος τῆς Ἀχαΐας, operam collocavit in inveniendo *eo anno*, *quo Gallio pro consule in Achaiam missus sit* s). Neque enim huius rei tempus veterum quisquam nos docuit. Nam etsi Plinius t) eius consulatum commemorat (quem non ordinarium, sed suffectum fuisse, inde apparet, quod viri illius nomen non reperitur in fastis consularibus), et Seneca, Gallionis frater, de eius discessu ex Achaia loquitur v), neuter tamen, quando haec contigerint, indicat. Itaque Lorenzius e Senecae rebus, quo tempore Gallio Achaiae impositus fuerit, efficere studet. Est autem haec eius sententia, Senecam fratri non prius, quam Nero, ipsius alumnus, ad imperium accessisset (i. e. non ante a. 54.), consulatum, nec prius anno sequente Achaiae praefecturam impetrare potuisse. Quoniam vero ea, quae Act. 18, 12. narrantur, sub exitum temporis a Paulo inter Corinthios peracti evenisse censet, neque huius commorationis finem, aliis permotus rationibus, post a. 55. collocari posse existimat: hoc ipso anno et Gallionem in provinciam legatum et Paulum Corintho abiisse statuit. At primum omnium, quamquam non sine veri specie coniicere licet, Gallionem serius apostolo Achaiam intrasse x), hoc tamen probari nequit, eum ultimo demum, quo P. ibi versabatur, anno advenisse. Deinde, etsi magna cum probabilitate Senecae auctoritas haud parum valuisse creditur ad honores illos Gallioni deferendos, minus tamen recte Lor. hoc Nerone demum imperante fieri potuisse contendit, quum Seneca iam prius insigni gauderet Agrippinae favore, quippe quae eum, quum vixdum Claudio nupsisset, ab exilio revocatum Neronis praeceptorem constituisset y). Itaque si quid e Senecae fatis, quod ad hanc quaestionem pertineat, non sine iure concludi posse largimur, unum illud statui posse concedimus, Gallioni non ante, quam Seneca ab exilio rediisset (i. e. non ante a. 49. z)), et consulatum et Achaiae administrationem tradita esse a). Attamen haec quanto serius facta sint, e solis Pauli temporibus discimus, quem quoniam ab auctumno a. 52.

Witsius (melet. Leid. p. 142 sq., quamquam sub ipso Claudio fortasse edictum exolevisse concedit), Rambachius (introd. in ep. ad Rom. §. VIII. p. 95 sq.), Bensonius (l. c. II, p. 208.), Eichhornius (Einl. III, p. 220.), Hugius (l. l. II, p. 398.), Schraderus (l. c. p. 154 sq.), Koehlerus (Abfassgszt etc. p. 63.), Hemsenius (l. l. p. 155. not. 8.).
r) Si reputaveris, Agrippam minorem, quem Claudius plurimi aestimabat (cf. p. 117.), ea aetate, qua iudicium habitum est de Iudaeis a Quadrato Romam missis, i. e. auctumno, ut videtur, anni 52. (cf. p. 88. not. a.) in urbe fuisse (v. Ios. Ant. 20, 6, 3. B. I. 2, 12, 7.), non sine veri specie conieceris, verno huius anni tempore Claudium edixisse, ut Iudaei Roma cederent eaque de causa Aq. et Pr. aestate, brevi antequam Paulus Corinthum adiret, hanc in urbem venisse; nec multo post Agrippam Romam intrasse et Iudaeis redeundi veniam impetrasse. s) Ann. Paul. p. 84 sq. t) H. N. 31, 33. v) Ep. 104. x) Cf. p. 62. not. m. y) Tac. Ann. 12, 8. Dio 60, 32. z) Tac. l. modo laud. cll. Ann. 14, 53. a) Idem iam Baronius innuit (ann. ad a. Claudii 11. § XXXIII.) et Tillemontius (mém. I, 2, p. 815.).

ad primos usque menses a. 54. Corinthi haesisse cognovimus, Gallionem intra hoc spatium, et quidem, quia, priusquam ille adesset, aliquamdiu iam Corinthi versatus fuisse videtur, a. 53. aut 54. in Achaiam venisse colligimus.

Quae quum ita sint, eos, de quibus modo disputavimus, locos nihil facere apparet ad tempora rerum inde a XV. Actorum capite proditarum accuratius definienda. — Sed iam, his expositis, est quod ad aliam nos convertamus quaestionem.

Cap. IV.

DE TEMPORIBUS RERUM ACT. IX, 1—31. TRADITARUM.

Enarratis, quae statuenda viderentur de aetate eorum, quae Act. XI, 25 — XII, 23. et a cap. inde XV. usque ad XXVIII. memoriae sunt mandata, habemus, quibus nitamur in indagandis ceterarum rerum, quarum in eodem libro mentio infertur, temporibus. Quae quidem disputatio ut iusto progrediatur ordine, ante omnia de *eo* disserendum est *anno, quo Paulus ad castra Christiana transierit* (Act. 9, 1 sqq. cll. 22, 5 sqq. 26, 12 sqq.) *a*). Ac quoniam tam arcte cohaeret quaestio, quae est de *anno eo*, *quo idem*, postquam Christo nomen dedit, *primum Hierosolyma repetierit* (Act. 9, 26 sqq. cll. 22, 17 sqq.), ut altera ab altera recte dispesci non possit: utriusque rei perscrutationem coniungendam esse duximus.

Ex omnium autem consensu ad haec definienda quam maxime idoneus est locus ep. ad Gal. c. 1, v. 15 — c. 2, v. 21., ubi apostolus de nonnullis vitae suae rebus ita exponit, ut temporum, quibus singulae acciderint, notas adiiciat. Quem locum priusquam accuratius tractare licet, eius et consilium et argumentum paucis est describendum.

Irrepserant in Galatarum coetus, qui contra, quam Paulus docuerat, legis Mosaicae observatione, inprimis circumcisione, Christianis omnibus opus esse contenderent, atque, ut Pauli auctoritatem infringerent, eum nequaquam, uti illos, qui vere essent apostoli, sua a Christo didicisse, sed ab aliis demum apostolis accepisse dictitarent. Adversus quos P. sese defensurus in ipso epistolae exordio urget, se apostolum esse, *οὐκ ἀπ᾽ ἀνθρώπων, οὐδὲ δι᾽ ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰ. Χ. καὶ θεοῦ πατρός*, et, paucis interiectis (v. 11. 12.), *γνωρίζω ὑμῖν*, ait, *τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ᾽ ἐμοῦ, ὅτι οὐκ ἐστὶ κατὰ ἄνθρωπον· οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι᾽ ἀποκαλύψεως Ἰ. Χ.* Id quo luculentius appareat, ostendit, se, quum Deus ipsum ad Christi sacra vocatum evangelium ad gentiles perferre iusserit, neque hominem ullum in consilium adhibuisse *b*), neque Hierosolyma ad

---

a) De quo anno singulatim Frid. Spanhemius scripsit in disquisit. chronol. de anno conversionis vocationisque P. ap., quae invenitur in eius dissertt. hist. argum. quaternione, Lugd. Bat. 1679, 8. p. 175 sqq., et (titulo sic mutato: de conversionis Paulinae epocha fixa in ep. ad Gal. deque Pauli historia et nomine) in eius opp. tom. II. p. 311 sqq.) et Car. Gust. Küchlerus in dissert. de anno, quo P. ap. ad sacra Christ. conversus est, Lips. 1828, 8. *b*) *Οὐ προσανεθέμην*, dicit, *σαρκὶ καὶ*

apostolos migrasse, neque, quum primum in urbem sanctam rediisset, ex apostolis alium quendam vidisse, quam Petrum ac praeterea Iacobum, domini fratrem, apud quos nonnisi paucos dies manserit; hinc, ubi ex itineribus in varias terras susceptis Hierosolyma reversus sit, nec Titum comitem, quamquam gentilem, coactum esse, ut se circumcidi pateretur, et tantum abfuisse, ut Iacobus, Petrus, Ioannes ipsius in doctrina invenissent, quod displicuisset, ut agnovissent, esse se destinatum, qui paganis evangelium traderet. Denique Petro inconstantiam publice sese exprobrasse refert, qua ille Antiochiae, licet prius cum Christianis e gentibus oriundis conversatus fuisset, serius, timore Iudaeo-Christianorum quorundam permotus, ab eorum consuetudine abstinuisset.

Itaque ut iam ad singula transeamus, P. se, postquam a Deo ad castra Christiana adductus et gentilium doctor institutus sit, statim, homine nullo in consilium adscito, non ad apostolos Hierosolymitanos, sed in Arabiam abiisse, hinc Damascum (unde profectus erat) repetiisse, ac post triennium Hierosolyma venisse memorat (Gal. 1, 15—18.). In qua quidem narratione ad usus nostros applicanda primum omnium quaerendum est, *hoc triennium unde sit ducendum.* Sunt enim, qui illud ab eo tempore, quo Paulus ad Christum se converterit, sunt, qui ab eius reditu in urbem Damascenam computent [c]). Rectissime autem ab eius transitu ad Iesu sacra numerari, partim ex oppositione perspicitur, quae intercedit inter verba: *οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα*, et: *ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσ.*, partim inde patet, quod ab omni veritatis specie abhorret, Iudaeos Damascenos passos esse, ut, qui fere sub ipsorum oculis ita a paterno Dei cultu desciverat, ut ad horum partes se conferret, qui maximo ab iis odio habebantur, per *triennium* impune non solum in eorum urbe versaretur, verum adeo novam Christi doctrinam propagaret [d]). Atque idem hoc argumentum nobis persuadet, *Paulum maximam triennii illius partem in Arabia exegisse* [e]). Cui quidem sententiae non obstat Lucae de itinere Arabico silentium; nam si Paulus, quamdiu in Arabia degit, parum gessit, quod memoria dignum erat, quam facile fieri potuit, ut Lucam huius itineris cognitio fugeret, praesertim quum ille ista aetate nondum in Pauli societatem receptus esset!

αἵματι. Recte quidem Winerus angustius haec verba accipi monet, si ita reddantur: non adhibui quemquam mortalium (reliquorum) in consilium, quum P. de consiliis humanis in universum (et *suo* et *aliorum*) loquatur, quorum rationem habere noluerit; sed totius tamen loci nexus, eum *praecipue* de consultatione cum *aliis* instituta cogitare docet. c) A Pauli conversione plurimi numerant; ab eius reditu ad Damascenos Marshius rationem ducit (Anmerkk. und Zusaetze zu I. D. Michaëlis Einl. etc. tom. II. p. 77. vers. Rosenmüllerianae); eandem sententiam altera probabiliorem habent Koppius et Borgerus (ad Gal. 1, 18.), non repugnante Küchlero (l. c. p. 29. cll. p. 43.). — Mira est opinio auctoris chronici Alex., qui (p. 546. 548. ed. Rad.) triennium illud neque a conversione, neque ab itinere ex Arabia Damascum suscepto, sed ab initio imperii Claudiani computat. d) Cf. Eichhornius (Einl. III, p. 23—25.). e) Idem L. Cappellus existimat (hist. ap. p. 8 sq. not. **), Cellarius (diss. acadd. ed. Ge. Walch. p. 154.), Witsius (melet. Leid. p. 36.), Bensonius (l. l. I, p. 214.), Eichhornius (l. l. III, p. 23 sq.), Emmerlingius (prol. in 2. ad Cor. ep.

Minus etiam eo movemur, quod Schraderus *g*) contendit, Paulum ipsum (Gal. 1, 16. 17.) testari, se *illico*, postquam Christi disciplinam amplexus in Arabiam migraverit, *Damascum rediisse;* nullo enim iure voc. *εὐθέως* ad verba: *πάλιν ὑπέστρεψα εἰς Δαμασκὸν* referri, quis est, quin videat? Koehlerus *h*), quia Paulus in ep. ad Gal. l. c. se *statim* post suum a sacris Iudaicis ad Christiana discessum in *Arabiam* profectum esse narret, idem vero Act. 9, 19 sq. 26, 20. *primum Damasci* doctrinam salutarem disseminasse dicatur, eum per intervallum brevissimum in Arabibus fuisse concludit; neque enim illum, quo fuerit animi fervore, usquam diutius ita haerere potuisse monet, ut ab hominibus instituendis abstineret. At neque hac in argumentatione probandi vim inesse concedimus; nam quum Lucas iter Arabicum prorsus ignoraret, quid mirum, si Paulum prima docendi pericula Damasci fecisse existimavit *i*) — *k*)?

---

p. XX.), Hemsenius (l. l. p. 30 sq.), alii; at per tempus brevissimum apostolum in Arabia fuisse, Usserius putat (ann. m. ad a. C. 35.), Basnagius (ann. ad a. 37. §. LXII.), Küchlerus (l. c. p. 19. 20., ubi hanc sententiam verisimiliorem certe ducit), Schraderus (l. c. p. 53—55.), Koehlerus (Abfassgzt etc. p. 43 sq., Annal. d. gesammt. Theol. 1832, 2, 3, p. 234.). Atque hi quidem ita statuere solent, apostolum in loca Arabiae Damasco vicina digressum, ibi non evangelium propagasse, sed, ab hominum commercio remotum, de munere sibi tradito meditatum esse. Sane Paulum, si per exiguum temporis intervallum in Arabia est commoratus, non longe ab urbe Damascena discessisse patet; quum vero non possimus, quin eum diutius hac in terra mansisse censeamus, non habemus, cur eum ulterius progressum esse negemus. Deinde si quaeritur, num apostolus vere ita sit in Arabia versatus, ut ab hominum consortio abstineret, eam rem Schraderus (p. 54 sq.), non adversante Schotto (Eroerterung etc. p. 5.) ex oppositione demonstrare studet, quae sit inter verba: *οὐ προςανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι*, et: *ἀλλὰ ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν.* Verbis enim prioribus Paulum illud dicere ratus, se ab hominum societate secessisse, totius loci sensum hunc esse arbitratur: postquam Christo nomen dedi, primum omnium hoc egi, ut ab hominum consuetudine recedens in Arabiam me conferrem. At apostolus nequaquam se *omne hominum consortium vitasse*, sed, quum rem Christianam ad paganos afferre divinitus iussus esset, *homine nullo in consilium vocato*, in Arabiam tetendisse narrat. Accedit, quod verba: *ἀλλὰ ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν* nequaquam illis: *οὐ προςανεθέμην* et q. s., opposita sunt, sed his: *οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα.* Quid quod apostolum revera evangelium in Arabia tradidisse, etsi vix quisquam certis demonstraverit argumentis, maxima tamen cum probabilitate inde colligi posse censemus, quod ipse (l. c. v. 15—17.), ubi dixit: *ὅτε — εὐδόκησεν ὁ θεὸς —, ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, ἵνα εὐαγγελίζωμαι αὐτὸν ἐν τοῖς ἔθνεσιν*, *εὐθέως*, pergit, — *ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν.*

g) L. c. p. 54 sq. *h*) Abfassgszt etc. p. 43 sq. Annal. d. ges. Theol. 1832, 2, 3, p. 234. *i*) Obiicere possis, Act. 26, 20. *Pauli ipsius* verba nobiscum communicari. At sine dubio Lucas, quum non interfuisset orationi Act. 26, 1 sqq. descriptae, eius *argumentum* potius (ex Pauli ore, ut videtur, acceptum), quam *singula quaeque verba* retulisse putandus est. *k*) Semlerus (prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 77.), Keilius (in promtuario: Analecten für d. Studium der exeget. u. syst. Theol., quod ab ipso ac Tzschirnero editum est, III, 1, p. 145 sqq.), Haselaarius (de nonnullis Act. Ap. et epp. Paull. locis, p. 83.), Flattus (Vorlesungen üb. d. Brr. P. an d. Gal. u. Eph., herausg. v. C. F. Kling, Tub. 1828, 8., ad Gal. 1, 17.), Küchlerus (l. c. p. 19 sqq.), atque, ut videtur, Hemsenius (l. l. p. 32. cll. p. 26. not.), Schottus (Eroerterung eto. p. 6.) obscura certe itineris Arabici vestigia in Actis deprehendi existimant. Verbis enim his: *ἐγένετο [ὁ Σαῦλος] μετὰ τῶν ἐν Δαμασκῷ μαθητῶν ἡμέ-*

Deinde si quaeritur, quodnam ex itineribus Pauli Hierosolymitanis, quorum in Actis mentio iniicitur, huic, de quo Gal. 1, 18. verba fiunt, respondeat, plurimi de profectione Act. 9, 26. relata cogitandum esse, recte iudicant; nam utroque loco et primum describitur eorum itinerum, quae P., postquam nova amplexus est sacra, Hierosolyma suscepit, et unicum, quod Damasco hanc in urbem fecit. Attamen sunt, qui dissentiant. Ac Koehlerus *l*) quidem peregrinationem Act. 9, 26. relatam prius, quam quae Gal. 1, 18. commemoratur, susceptam esse arbitratur. Quam sententiam his tueri studet argumentis. Primum omnium postquam variis locis allatis (Act. 27, 5. 18, 18. 9, 43. 15, 3. cll. 1, 5. 16, 18. [cll. 12.] 21, 10. 25, 14. 13, 31.) hoc egit, ut doceret, Lucam vocibus ἡμέραι ἱκαναὶ et χρόνος ἱκανὸς paucarum hebdomadum intervallum designare, ἱκανὰς illas ἡμέρας, quas idem apostolum Damasci, antequam primum Hierosolyma se conferret, exegisse dicit (Act. 9, 23.), de spatio unius fere mensis intelligendas esse suspicatur. Sed praeterquam quod Lucas, nisi Act. 8, 11., at in evang. certe, cap. 23, v. 8., ἱκανοῦ vocabulo tempus sat longum indicat: in ipsa huius verbi natura positum est, ut copiam *non minimam* denotet, quae tamen *permagna esse possit*. Verum maioris videri queat momenti, quod idem addit, fieri non potuisse, ut, quoniam, quo tempore P. primum Damasco in urbem sanctam rediisset, apostoli nondum cognoverint, eum et transiisse ad Christianorum coetum et Damasci novam disseminasse doctrinam (Act. 9, 26.), inter conversionem et primum illud iter Hieros. longius quam hebdomadum paucarum spatium intercesserit. Synedrium, ita K. disputat, Paulo hanc dederat potestatem, ut Christianos Damascenos vinctos Hierosolyma duceret. Iam si neque adveniebant, qui exspectabantur, captivi, et P. ipse nimium quantum morabatur, synedrium haud dubie, quae eius rei causa esset, perquisivit; qua quidem ratione famam de insigni illa mentis P. mutatione mox ad Hierosolymitanorum aures perferri necesse erat. Verumtamen quum plurimum interesset magistratus Iudaici, ut ista quam diutissime laterent, nonne rectius omni

---

ρας τινάς (Act. 9, 19.), *priorem* apostoli inter Damascenos commorationem, iis vero, quae v. 23. sequuntur: ὡς — ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί, *alteram*, quae fuerit post Pauli reditum ex Arabia, innui putant. Sed ea, quae v. 19 traduntur, de eo dici tempore apparet, quod interpositum erat inter Pauli baptismum et primum docendi initium (cf. vv. 18. 19.), quae v. 23. leguntur, de intervallo eo, quod abhinc ad eam usque aetatem secutum est, quo Iudaei insidias apostolo struxerunt (cf. vv. 20—22). *l*) Abfassgszt etc. p. 1-5. cll. 1.: Annal. d. ges. Theol. 1832, 2, 3, p. 234 sq. Ceterum iam Chrysostomus (in Act. homil. 21.), Oecumenius et Theophylactus (ad Act. 9, 26.) dubitarunt, utrum, quae Act. l. l. traditur, profectio eadem fuerit, ac quae Gal. 1, 18. commemoratur, an vero, quia narratio Act. 9, 1—26. proposita vix permittere videbatur, ut conversionem inter et primum iter Hieros. triennium intercessisse crederetur, prius sit suscepta, ita ut Paulus Gal. 1, 16. 17. non hoc negasse dicendus esset, se brevi post illam animi mutationem *Hierosolyma* migrasse, sed, se *ideo* hanc in urbem tetendisse, *ut apostolos conveniret*. Praeterea Chrys. et Oec. aliam quoque difficultatis solvendae rationem ineunt: ut P. primum Hierosolyma, inde Damascum, postea Arabiam (ita Oec.; in Chrysostomi libris aut auctoris ipsius aut librariorum vitio Syriae nomen legitur), hinc denuo Damascum, denique Caesaream (Act. 9, 30.) petiisse existimetur, quam quidem opinionem et Paulo et Lucae contrariam esse apparet.

illum modo, ne res in vulgus emanaret, cavisse, quin falsos sparsisse rumores putabimus? Sed prorsus, ita K. pergit, a fide abhorret, per triennium Christianos Damascenos aut non cogitasse de re tam gravi cum Hierosolymitanis communicanda, aut nullam nuncii ad eos mittendi nactos esse opportunitatem. At primum omnium, quamdiu vexatio post Stephani caedem orta Hierosolymis et per alia Palaestinae loca saeviebat [m]), vix quisquam Christianorum Damascenorum hanc in terram proficisci ausus est *). Deinde Paulum statim, postquam Christi disciplinam sequi coepit, in Arabiam transgressum, ibique maximam triennii illius partem exegisse vidimus; qua quidem ex regione quum facile fieri posset, ut aut nihil, quod ad eius res pertineret, aut perparum Hierosolymitanis nunciaretur: quis mirabitur, hos, etiamsi de eius conversione audivissent (neque enim recte ex Act. 9, 26. cum K. concluseris, illos tum nihil prorsus de ea re accepisse), tamen in eam adductos esse suspicionem, ut eam *simulatam* esse crederent **)? Praeterea K. hoc urget, quod Paulus Gal. 1, 18. 19. se apostolorum *neminem*, *nisi Petrum*, Hierosolymis vidisse tradat, Lucas vero Act. 9, 27. 28. eum cum *apostolis* conversatum esse referat. Sane concedimus, quem Paulus Gal. 1, 19. praeter Petrum in urbe sancta a se visum esse testatur, Iacobum non fuisse ex apostolorum numero, et verba v. 18. 19. ita reddenda esse: praeter Petrum nullum vidi apostolum, sed Iacobum vidi, fratrem domini [n]); attamen, quoniam ii quoque rei Christianae doctores, qui non pertinebant ad apostolos a Iesu electos, interdum ita vocantur (v. g. Act. 14, 4. 14. Rom. 16, 7. Phil. 2, 25.), et hoc nomine prae ceteris Iacobus noster dignus erat, utpote qui ad τοὺς στύλους τῆς ἐκκλησίας referretur (Gal. 2, 9.), non video, quidni eos, qui Act. 9, 26. τῶν ἀποστόλων vocabulo dicuntur, Petrum cum *Iacobo* fuisse credamus. Porro itineris, quod secundum Act. 9, 30. Pauli inter Hierosolymitanos commorationem Act. 9, 26. relatam exceperit, aliam K. rationem esse dicit, quam profectionis illius, quae teste loco Gal. 1, 21. insecuta sit peregrinationem Hieros. ibid. v. 18. narratam. Videlicet Paulus se in *Syriam* et Ciliciam migrasse, Lucas apostolum primum *Caesaream*, inde Tarsum (in Cilicia) ductum esse memorat. Atque Caesaream quidem intelligendam esse hanc, quae Ioppen inter et Dora ad mare

---

m) Minus recte eos iudicare, qui persecutionem illam statim post Pauli conversionem finitam esse putant, infra videbimus. *) Eadem Bensonii sententia est (l. l. I, p. 217.). **) Similiter Lud. Cappellus statuit (hist. ap. p. 9. not. **.), et Hemsenius (l. c. p. 30.). Ceterum Tillemontius (mém. I, 2, p. 798.), Bensonius (l. l.), censor libri Koehleriani saepius citati in ephem.: Allgem. Kirchenztg, 1830, fol. 75. p. 631.) ad difficultatem, de qua agimus, diluendam hoc afferunt, quod illa aetate bello inter Aretam, Arabum regem, et Herodem Antipam gesto mutuum Damascenorum et Hierosolymitanorum commercium interruptum esse videatur. Sed haec coniectura num quid habeat probabilitatis, serius demum diiudicari poterit.

n) Uti Koehlerus (Abfassgszt etc. p. 15—19.) cum aliis censet (quorum plurimos una cum magno eorum numero, qui in alias discedunt sententias, Schottus nominavit in promt., quod Roehrius edidit: Magazin f. chstl. Pred. IV, 1, p. 44 sq., et in isag. in ll. N. F. §. 89, not. 9.). Ceterum cur nos Iacobum domini fratrem inter apostolos fuisse negemus, exponere ab hoc loco alienum est.

posita prius Stratonis turris appellata fuerat, facile concedimus; vix enim Lucas, si de altera locutus esset, quae addito Philippi nomine ab hac distinguebatur, illud omisisset vocabulum o). Iam licet iis, si qui Caesarea simpliciter dicta itinere pedestri in Ciliciam tendebant, Syria esset permeanda, improbabile tamen videtur, Paulum ex urbe maritima Tarsum pedibus, quam navi proficisci maluisse. Verum enim vero quae tandem causae, nobis quidem incognitae, eo conferre potuerint, ut P. rem ita institueret p)! Deinde V. D. ea, quae Gal. 1, 22. 23. leguntur, parum convenire censet cum iis, quae Act. 9, 26. 27. narrantur. At quod locis ex ep. ad Gal. citatis refertur, ecclesias Iudaicas audivisse, P. ex hoste praeconem evasisse doctrinae Christianae, id haud dubie non de eo accipiendum est tempore, quo apostolus Damasco primum Hierosolyma petens Iudaeam peragraverat, sed de eo, quo, hac urbe post iter illud relicta, per Iudaeam in Syriam et Ciliciam se contulerat. Neque maior probandi vis in iis inest, quae K. addit, apostolum iter in Actis narratum ideo fecisse videri, ut evangelium cum Hebraeis, inprimis cum synedris communicaret, quamquam, permotus ecstasi Act. 22, 17 sqq. exposita, cum Hellenistis disputaverit, quos facile ad ἔθνη illa potuerit referre, quorum doctorem dominus eum in visione eadem constituerit; profectionem vero eam, cuius mentio fiat in ep. ad Gal. scripta, Paulum ideo suscepisse, ut Petrum cognosceret, et, quum in urbem pervenisset, consulto videri ab hominum institutione abstinuisse. Etenim, quae K. de consilio dicit itineris a Luca traditi, ea incertissimis nituntur in coniecturis; quod vero apostolum ea aetate, quae Gal. 1, 18. describitur, Hierosolymis praeceptoris partes agere noluisse suspicatur, ipse, cur suspicetur, non docuit q). — — Similis huic, de qua modo disseruimus, sententiae Calovii r) est opinio, qui, etsi Act. 9, 26. et Gal. 1, 18. de eodem itinere Hieros. verba fieri concedit, iter tamen Act. 22, 17. descriptum prius susceptum esse putat s). Sed hanc pro-

o) Itaque parum probabiliter, de Caes. Phil. cogitandum esse, Doddridgius existimat (cit. Bensonio, l. l. I, p. 218 sq. not. a.), Witsius (melet. Leid. p. 37.), Eichhornius (Einl. III. p. 26.) p) Minus commode Lud. Cappellus (hist. apostol. append. characterism. III. p. 49.), Hottingerus (chronotax. etc. p. 320), et Schraderus (l. l. p. 58 sq.), non refragante Schotto (Eroerterung etc. p. 11 sq.), Paulum de eo itinere Syriaco dicere putant, quod Act. 11, 25. describatur; quod quum serius susceptum fuerit itinere Cilicio, Schraderus et Schottus ideo prius a Paulo commemoratum esse suspicantur, quod, iniecta Hierosolymorum mentione, Syriae memoria, utpote quae terra propius ab hac urbe remota sit, prius eius animo se obtulerit; quo illud fortasse accesserit, quod apostolus diutius et maiore cum successu in Syria, quam in Cilicia versatus eius commorationis, quae maioris fuerit momenti, prius sit recordatus. Prorsus singularis Lorenzii est opinio, qui (ann. Paul. p. 75 sq.) iter quidem Syriacum indicari censet idem illud, quod profectionem Tarsensem insecutum sit (Act. 11, 25.), Ciliciae vero nomine eas Cypri, Pamphyliae, Pisidiae, Lycaoniae regiones designari credit, quas apostolus secundum Act. cc. 13. 14. post iter Hieros. Act. 11, 30. relatum lustraverit; quas quidem terras Ciliciae vocabulo dici potuisse, ex Act. 15, 23. cll. 15, 36. 16, 1. 4. 5. demonstrare conatur. q) Ceterum cf., quae his Koehleri argumentis Schottus opposuit (Eroerterung etc. p. 1—18.). r) Bibl. illustr. ad Gal. 1, 17. cll. not. ad Gal. 1, 18. s) Diversum esse hoc iter ab eo, quod Gal. 1. et Act. 9. commemoratur,

fectionem diversam haberi non posse ab ea, quae Act. 9, 26. refertur, ex omni narrationis nexu facile apparet *t*). — Ceterum et Koehlerus et Calovius, dum Paulum inter conversionem et tertium a conversione annum Hierosolyma venisse arbitrantur, apostolo ipsi contradicunt, qui, quum Gal. 1, 16—18. se non statim, postquam Christo se dederit, sed post triennium Hierosolyma petiisse narret, apertissime, se ante huius triennii finem in urbem sanctam venisse, negat.

Nec minus Whistonus *v*) fallitur, qui ea, quae Gal. 1, 18. traduntur, *prius* evenisse opinatur, quam quae Act. 9, 26. leguntur; nam quomodo tandem P., per dies XV cum Petro et Iacobo Hierosolymis versatus (Gal. 1, 18. 19.), serius et apostolis et reliquis, qui hac in urbe erant, Christianis suspectus esse potuisset (Act. 9, 26.)? Praeterea idem in eo quoque errat, quod, quae Act. 9, 30. memorantur, ante ea, quorum mentio v. 26. iniicitur, accidisse putat.

Schmidtius *x*) iter Gal. 1, 18. proditum ab eo, quod Act. 11, 30. exponitur, non differre ratus (quod quibus causis permotus V. D. statuerit, infra dicetur), Lucam in tradenda, quae Act. c. 9. describitur, profectione memoria lapsum esse existimat. Verum si hac una in re Lucam errasse concesseris, non poteris quin falsa esse largiaris, quaecunque idem inter peregrinationes Hieros. Act. cc. 9. et 11. relatas Paulo evenisse narrat. Neque enim Paulus se ante iter Gal. 1, 18. commemoratum Tarsum vel Antiochiam venisse (id quod Act. 9, 30. 11, 25 sqq. traditur), sed in Arabia et Damasci versatum esse, neque Antiochia (ut in Actis est, 11, 30. cll. v. 25 sqq.), sed Damasco Hierosolyma petiisse testatur. Quae tamen omnia a veritate aliena esse, uti per se incredibile est, ita ne ipse quidem Schmidtius contendit *y*). — —

His absolutis, proximum est, ut *de itinere quaeramus Gal. 2, 1 sqq. exposito.* Qua in disputatione ante omnia dubia quaedam, quae de integritate lectionis versiculi 1. partim vere moventur, partim moveri certe queant, solvenda sunt.

Primum igitur interpres Syrus antiquissimus pro verbis: *διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν* legisse videri possit: *πρὸ δεκατ. ἐτ.*; vertit enim: ܩܕܡ ܡܢ ܐܪܒܥܣܪܐ ܫܢܝܢ; neque alia in codice ullo scriptio reperitur, excepto uno Raphelengii Coloniensi *z*), literis quadratis exarato, ubi מן בתר, sed ex mero corrigendi studio, positum est. Verum vix aliam Syrus; quam quae vulgaris est, lectionem in codice suo deprehendisse, sed aut praepositioni *διὰ* minus recte significatum

---

censor quoque libelli Küchleriani saepius laudati, in Roehrii ephem.: krit. Predigerbibl. (1831, part. 5, p. 932.) existimat, nec tamen, utrum prius institutum esse credat, addidit. *t*) Cf., quae rectissime de hac re Koehlerus disputavit (Abfassgszt etc. p. 4.). *v*) Apud Semlerum (paraphr. in ep. ad Gal., prol. p. 80.). *x*) Chronol. d. Ap.-Gesch. p. 133. *y*) V. p. 129 sq., ubi apostolum *Antiochia* propter famem ab Agabo praedictam in urbem sanctam profectum esse scribit. *z*) Teste Schaafio in sua vers. Syr. editione, not. crit. ad h. l.

verbi πρὸ tribuisse [a]), aut, quum locum 2 Cor. 12, 2. in memoria teneret, negligentius pro: ܡܢ ܒܬܪ, ܡܢ ܩܕܡ scripsisse videtur; neque, si vel res secus se haberet, unus reliquorum, qui vocabulum πρὸ tuentur, codicum, interpretum, patrum auctoritatem infringere posset.

Atque haec quidem quum fere non animadverterint viri docti, maximi habuerunt aliam, quam eodem loco inveniri putarunt, lectionis varietatem. Nam postquam Lud. Cappellus [b]), cuius vestigia Grotius [c]) pressit, pro δεκατεσσάρων scribendum esse coniecit τεσσάρων, eamque sententiam Semlerus [d]) et probavit ipse, et chronici paschalis auctoritate confirmare studuit: Keilio [e]) quidem loci mutatio non displicuit, multi vero alii [f]) lectionem τεσσάρων recipiendam duxerunt. Quod quibus permoti causis fecerint, et num recte fecerint, est quod iam indagemus.

Itaque nullo modo annorum XIV numerum cum iis conciliari posse monent, quae aliunde cognita sint de Pauli temporibus, altera vero lectione admissa omnia egregie quadrare contendunt. *Deinde* pro vocabulis διὰ τεσσάρων, sive plene, sive per compendia exarata fuerint, facili dicunt errore scribi potuisse διὰ δεκατεσσάρων, et potuisse librarios eo promtiores esse ad hanc mutationem, si eorum animis obversatus fuerit locus 2 Cor. 12, 2., ubi annorum XIV mentio fiat, addita, ut nostro loco, ἀποκαλύψεως commemoratione. *Denique* in chronico Alexandrino ii certe, qui inde a Semleri temporibus τεσσάρων poni voluerunt, huius lectionis vestigia deprehendisse sibi visi sunt.

Atque ut primum de eo agamus argumento, quod petitum est e chronico Alexandrino, id quale sit, quo facilius perspiciamus, ipsum, ad quem provocant, locum [g]) coram oculis ponamus. Sunt autem verba haec:

[Κλαυδίου] ς΄. Ὑπάτων Ἀσιατικοῦ καὶ Σιλάνου.
Ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἀνῆλθε πάλιν εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ Παῦλος. Ὅθεν γράφει Γαλάταις περὶ ταύτης τῆς ἀναβάσεως οὕτως· διὰ ιδ΄ ἐτῶν πάλιν ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα. Καὶ ὃ εἶπεν· πάλιν,

---

a) Quae Wineri (comment. in ep. ad Gal. prol. p. 20. ed. 3.) videtur sententia esse. b) Hist. ap. append. p. 56. c) In adnot. ad Gal. 2, 1. d) In diss. hist. exeget. de tempore, quo scripta fuerit ep. P. ad Gal., Halae 1767, accuratius recusa 1768, 4., ibique p. 26. (ed. 2.). Quam dissertationem quoniam Semlerus fere integram (paucissimis mutatis, sed multis additis) in prol. paraphr. ep. ad Gal. recepit, abhinc, quibus in rebus haec proleg. cum diss. illa conveniunt, nonnisi prolegomena laudare decrevimus. Is, de quo hic agimus, locus in prol. p. 71. legitur. e) In commentatione, in qua disseritur de Paulo πρὸ ἐτῶν δεκατεσσ. ἁρπαγέντι etc. (in opuscc. ed. Goldhorn., p. 338.), cll. diss. de definiendo tempore itineris P. Hieros. Gal. 2, 1. commemorati (opuscc. p. 171.). f) Heinrichsius (prol. ad Acta, p. 61 sq.), Bertholdtius (l. l. V, p. 2711—2715. 2737 sq.), Kuinoelius (prol. ad Acta, p. XXV sq.), Emmerlingius (prol. in 2. ad Cor. ep. p. XXIII.), Guerikius (Beitraege etc. p. 85.), Küchlerus (l. l. p. 37.) eiusque censor in Koehrii ephem.: krit. Predigerbibl. (1831, part. 5. p. 932.), Matthaeius (der Religionsglaube der Apostel, tom. I. p. 624. laud. Schotto ll. citandis), Ge. Boehlius (üb. d. Zeit d. Abf. u. den Paulin. Char. d. Brr. an Tim. u. Tit. p. 108 sq.), Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 22. not. 8. et in isag. in ll. N. F. p. 196.). g) Ed. Raderi, p. 550., Paris. p. 232. Venet. p. 186.

δηλονότι ἑτέρα ἐστὶν ἀνάβασις αὕτη. Τῷ εἰπεῖν αὐτον διὰ ιδ' ἐτῶν, δοκεῖ μοι τοὺς χρόνους τῶν ἀποστόλων τοὺς ἀπὸ τῆς ἀναλήψεως ἀριθμεῖν αὐτόν. Ἀπὸ γὰρ τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου ἕως ταύτης τῆς ἀναβάσεως πληροῦνται τῶν ἀποστόλων ἔτη ιδ', μῆνες ι. Καὶ εἰ μὴ τοῦτο δῶμεν, εὑρεθήσεται ὁ χρόνος, ἀφ' οὗ ἐβαπτίσθη καὶ ἀνέβλεψεν, ὡς περιέχουσιν αἱ Πράξεις, ἔτη δ'. Καὶ τοῦτο οὐ μόνον καθὼς αἱ Πράξεις φέρουσιν, ἀλλὰ καὶ Ἰώσηπος, λέγων, τρία ἔτη Κλαυδίου ζῆσαι τὸν Ἡρώδην· καὶ εὐθέως μετὰ τὴν τελευτὴν Ἡρώδου κληθῆναι Παῦλον καὶ Βαρνάβαν εἰς ἀποστολὴν, τοῦτ' ἔστι, τετάρτου χρόνου Κλαυδίου, ὡς καὶ αἱ Πρᾶξεις δηλοῦσιν.

Hoc loco quia chronici auctor observat, Pauli et Barnabae iter Hieros., quod in ep. ad Gal. c. 2. narretur, conferendum esse in annum Claudii sextum, sive annos XIV a Christi adscensione, sive quadriennium a Pauli baptismo numeres: aliis eum in codd. lectionem *δεκατεσσ.*, in aliis vocem *τεσσ.* invenisse concluserunt[h]. Quae argumentatio num recte se habeat, loco accuratius inspecto intelligemus.

Primum igitur chronici auctor, haud dubie quia, quae Act. 9, 18 — 26. de Pauli ad Christum conversione traduntur et de itine-

---

h) Semlerus, dum (in prol. ad paraphr. ep. ad Gal. p. 74.) inde, quod chronici pasch. auctor ea, quae locum modo descriptum proxime antecedunt, e Tatiano derivata esse fatetur atque e Clemente — de *Clemente Alex.*, eiusque hypotyposibus, Semlerus cogitat [ibid. p.63.]. *Clementem Romanum* Cangius [in nota ad chronici locum statim afferendum, p. 528. ed. Paris., 445. ed. Ven.] intelligit; sed eo certe, quem hic conferri vult, subditarum Clementis recognitionum loco, l. X. cc. 60. 61. nihil, quod huc pertineat, legitur—dum ex his, inquam, Semlerus concludit, toti huic temporum Paulinorum computationi antiquioris historiae vestigium subesse, haud obscure innuit, iam vetustos illos scriptores videri sibi lectionem *τεσσάρων* non ignorasse. Verum enim vero is, qui chronicon nostrum composuit, haec, ut multa alia, ex Malela petiit, id quod ex utriusque loci collatione facile perspicietur.

Chronicon Alex. p. 548—550. ed. Rad. p. 232. ed. Paris. p. 186. ed. Ven.	Malelas p. 311. ed. Chilmeadi.
Τούτῳ τῷ πέμπτῳ ἔτει Κλαυδίου προχειροτονηθεὶς Παῦλος εἰσῆλθεν εἰς Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην, καὶ μαθὼν περὶ τοῦ ἁγίου Πέτρου (eum Christianorum e gentibus oriundorum consuetudinem vitasse, Gal. 2, 11 sqq.)	*Ὁ δὲ ἅγιος Παῦλος μετὰ ταῦτα ἐλθὼν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, καὶ μαθὼν ταῦτα περὶ τοῦ Πέτρου,*
πανταχοῦ τὸ σκάνδαλον περιεῖλε, καὶ πάντας ἐδέξατο καὶ ἠγάπα, προτρεψάμενος πάντας, καθὼς συνεγράψατο τὰ περὶ τούτου Κλήμης καὶ Τατιανὸς, οἱ χρονογράφοι.	*καὶ πάντας ἴσως ἐδέξατο καὶ ἠγάπα, προτρεπόμενος ἅπαντας, καθὼς συνεγράψαντο οἱ σοφώτατοι, Κλήμης καὶ Τατιανὸς, οἱ χρονογράφοι.*

Atqui Malelas, aliam prorsus computandi rationem ingressus, haec non *quinto Claudii anno* (a. D. 45.), sed *quartum* inter et *decimum post Christi adscensionem annum* (i. e. inter ann. a. D. 36. et 42.) ponit. Itaque quid Clemens et Tatianus de temporibus vel disceptationis illius inter Paulum ac Petrum ortae, vel itineris Gal. 2, 1. commemorati senserint, quamve in his temporibus definiendis lectionem sint secuti, ex chron. Alex. disci non posse apparet. Neque inde, quod Tertullianus (adv. Marc. 1, 20.) Paulum aetate Gal. 2, 1. descripta *neophytum* fuisse dicit, cum Semlero (p. 74.), illum l. c. minorem, quam XIV annorum, numerum reperisse, recte concluseris, quum idem alibi (adv. Marc. 5, 3.) apertissime lectionem XIV tueatur.

ribus ab eodem Damasco Hierosolyma, Hierosolymis Tarsum susceptis, quia haec, inquam, ita narrantur, ut singula brevi tempore interiecto accidisse videantur, Paulum itinera ista proximo, postquam in Christianorum numerum receptus esset, anno fecisse existimat. Neque diu apostolum Tarsi mansisse ratus, anno eodem eum a Barnaba Antiochiam ductum esse, ibique evangelium propagasse arbitratur. Deinde, quae Act. 13, 2. referuntur (Pauli electionem ad munus apostolicum scriptor noster minus commode dicit), ea quia Lucas evenisse testatur, postquam Paulus et Barnabas per annum integrum Antiochiae doctrinam salutarem disseminassent, anno tribuit sequenti. Ei, qui hunc excepit, anno praeter litem Gal. 2, 11 sqq. expositam iter assignat ab apostolo Seleuciam, Cyprum aliasque in regiones factum; quod quum vix citius anni unius intervallo absolvi potuisse per se pateat, id, quod insecutum est, iter Hieros., memoratum illud quidem Act. c. 15. (quod non diversum esse ducit ab eo, de quo Gal. 2, 1 sqq. verba fiunt), in annum proximum confert. Atque ita, spatiis iis, quae inter singulas res interiecta fuerint, tum secundum diserta Actorum testimonia, tum secundum coniecturas, quae probabiliter ex indole narrationum in eodem libro expositarum duci viderentur, definitis, ex *Actis* apparere dicit, Paulum hanc, de qua modo locuti sumus, profectionem Hierosolymitanam *quadriennio post baptismum* iniisse (εὑρεθήσεται ὁ χρόνος, ἀφ᾽ οὗ ἐβαπτίσθη καὶ ἀνέβλεψεν, ὡς περιέχουσιν αἱ Πράξεις, ἔτη δ´). Praeterea, quoniam Lucas ea, quae de Pauli commoratione in urbe Antiochena Act. 11, 26. tradit, arcte coniungit cum narratione de extremis Herodis Agrippae fatis, chronici auctor apostolum anno eodem Antiochiae fuisse putat, quo Herodes animam efflaverit. Quem quum Josephus Claudio imperatore per triennium regnasse referat, anno Claudii III. et Agrippam obiisse et Paulum Antiochiae degisse opinatur, eamque ob causam de temporibus illarum rerum omnium ita statuit: Paulum anno Claudii II. Damasci ad Iesu disciplinam transiisse, a. III. Hierosolyma, hinc Tarsum, denique Antiochiam petiisse ibique Christi praecepta tradidisse, a. IV. ad apostoli munus destinatum, a. V. Seleuciam, Cyprum et ulterius profectum, a. VI. Hierosolyma reversum esse. Quum vero apostolus ipse in ep. ad Gal. data se alterum iter μετὰ ἔτη τρία, alterum διὰ ιδ´ ἐτῶν fecisse testetur, neutrum annorum numerum a Pauli baptismo, sed triennium a principio imperii Claudiani, annos autem XIV a reditu Christi in coelum computandos esse censet. His expositis, facile apparet, quomodo intelligenda sint, quae auctor loco supra descripto de annis illis XIV disputat. Scilicet anno, ait, Claudii VI. Paulus denuo Hierosolyma se contulit. Eam peregrinationem ipse *in ep. Galatis missa post annos XIV susceptam esse* dicit; qui quum non possint a Pauli baptismo numerari, a Christi adscensione computandi videntur. Ne vero, ita pergit, huius itineris tempus (nonnisi) secundum annos ab hoc eventu ductos definiamus, secundum annum constituemus eum, quo P. sacro lavacro tinctus est, *Actorum* vestigia prementes, ex quibus patet, ab eius baptismo ad hanc usque profectionem *quadriennium* effluxisse. Itaque quum auctor *diserte annorum XIV numerum ex ep. ad Gal. data, quadriennium ex Actis* se hausisse fateatur, tantum abest, ut ex

allatis chronici Alex. verbis demonstrari possit, in codicibus nonnullis pro *δεκατεσσάρων* olim *τεσσάρων* scriptum fuisse, ut eius auctoritate lectio *δεκατεσσάρων* confirmetur.

Iam quod addunt, qui scripturam vulgarem reiiciendam ducunt, verba *διὰ τεσσάρων* proclivi librariorum lapsu in *διὰ δεκατεσσάρων* mutari potuisse[i]), id facile quidem quisque concesserit; sed quum neque ullum usquam eius, quam illi praeferunt, lectionis vestigium reperiatur, et iam antiquissima aetate *διὰ δεκατεσσάρων* lectum esse constet[k]): hoc quoque argumentum non eiusmodi esse apparet, quo Paulum *διὰ τεσσ.* posuisse demonstretur.

Unum igitur superest, quo causam suam tueantur scripturae *τεσσάρων* defensores: hoc, inquam, ut annorum XIV numerum iis temporum rationibus, quae aliis e locis innotuerint, repugnare dicant. At quoniam permulti lectionem receptam cum eo, quem, iisdem saepissime locis usi, definiverunt, temporum ordine conciliarunt; et quoniam ii, qui *τεσσάρων* exarari iubent, ipsi in computandis apostoli annis haud parum inter se dissentiunt: rectius sane veritatem eorum, quae illi de his temporibus sentiunt, quam integritatem lectionis optime testatae in dubium vocaveris. Itaque etsi, quia infra demum diiudicari licebit, num, scriptura *δεκατεσσ.* admissa, vere sibi non constent, quae aliunde scimus de hac temporum serie, nondum, quo illi iure ita statuant, explicari potest: ex iis tamen, quae modo disseruimus, *incertissimam esse* patet *lectionem τεσσάρων*. Qua de causa hoc nobis dari velimus, ut, priusquam intellexerimus, num vere temporum ratio textui vulgato adversetur, ubicunque de eo, qui Gal. 2, 1. commemoratur, annorum numero agendum sit, voc. *δεκατεσσάρων* genuinum esse ponamus.

Sequitur, ut indagemus, *quodnam sit illud*, *quod eodem loco traditur*, *iter Pauli Hierosolymitanum.* Quoniam vero haec disputatio recte absolvi non potest, nisi si dictum fuerit de *tempore eo*, *quo epistola ad Galatas sit confecta*, prius, quid hac de re sentiendum sit, quaeramus.

Optime autem, ut nobis quidem videtur, ex his literarum illarum verbis, quae cap. 4, v. 13. leguntur: *οἴδατε —, ὅτι δι' ἀσθέ-*

---

i) Quomodo ex altero vocabulo oriri alterum potuerit, varie, ut supra (p. 128.) iam indicavimus, explicatur ab iis, qui lectionis integritatem negant. Etenim mutationem illam aut a similitudine vel literarum, vel compendiorum, quibus verba *διὰ* et *δέκα* scriberentur, vel eius, quo eadem pronunciarentur, soni derivant, aut, vocabulo *τεσσ.* per siglam *Δ* exarato, fieri potuisse monent, ut vel librarii hanc literam cum signis *ΙΔ* confunderent, vel, quum alius eam per *τεσσάρων*, alius per *δέκα* expressisset, tertius quidam, utriusque generis codicibus usus, vocem utramque coniungeret. Praeterea nonnulli, quia 2 Cor. 12, 2 de annis XIV ita verba fiant, ut non secus ac nostro loco *ἀποκαλύψεως* mentio adiiciatur, librarios hic quoque vel consulto, vel per errorem *δεκατεσσάρων* posuisse suspicantur. Atque haec quidem non aliena sunt a veri specie; at maxime improbabilis est Heinrichsii coniectura, qui (prol. in Acta, p. 62.) librarium aliquem, quum in archetypo positum invenisset *ΔΑΤΕCCΑΡΩΝ*, primum quidem siglam *ΔΑ* recte per *διὰ*, sed, a scribendo avocatum, post reditum eandem falso per *δέκα* reddidisse opinatur. *λ*) Vox *δεκατεσσάρων* iam apud Irenaeum (adv. haer. 3, 13.) apud Tertullianum (adv. Marc. 5, 3.), atque in vetustis-

νειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν *τὸ πρότερον*, concludere solent viri docti, apostolum, quum haec scriberet, *bis* certe in Galatia fuisse *l*); nam quum e forma εὐηγγελισάμην satis appareret, de tempore praeterito cogitandum esse, non erat, quod P. adderet: τὸ πρότερον, nisi duo distinguere vellet tempora, alterum, quo prius, alterum, quo serius evangelium cum Galatis communicasset. Quominus vero cum Keilio *m*) suspiceris, priorem quidem εὐαγγελισμὸν prima, qua Paulus Galatas impertiverit, institutione, secundum autem ipsa, quae ad Gal. data est, epistola contineri, non tam illud impedit, quod haec ep., quia fere in refutandis falsis opinionibus versetur, non possit facile dici εὐαγγελίζεσθαι — etenim ap. hos errores ita impugnat, ut simul meliora doceat —, quam quod εὐαγγελίζεσθαι nonnisi de *doctrina ore tradita* usurpatur *n*).

Iam vero *primum,* de quo Lucas verba facit, *iter Pauli Galaticum Act.* 16, 6. *memoratur.* Sunt quidem, qui apostolum iam prius Galatas et adiisse et edocuisse putent; sed parum idoneis illi quidem argumentis innixi. Neque enim ulla probandi vis in eo inest, quod nonnulli contendunt, primam Galatarum institutionem, quia P. Act. 16, 6. horum fidem *confirmasse* dicatur, itineri illic narrato antecessisse *o*); nam Lucas diserte Galatas ab iis discernit, quorum animos ap. tum confirmaverit *p*). Deinde, quum Paulum in peregrinatione ibidem relata

---

sima illa versione Syr. invenitur. *l*) Nonnisi pauci fuerunt, qui apostolum, antequam ad Gal. scriberet, eorum terram semel tantum lustrasse putarent, Baumgartenius (Auslegung des Br. P. an d. Gal. etc., ed. Semlerianae [Hal. 1767, 4.] p. 5.), Semlerus (in notis huic libro adiectis sub titulo: Beitraege zum genauern Verstande des Br. an d. Gal., p. 894 sq.), Bensonius (l. l. II, p. 138.), Michaëlis (Einl. II, §. 173.), Keilius (loco not. m. afferendo), alii. — Ceterum verba: τὸ πρότερον referri non posse ad δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, ut sensus hic sit, Paulum, quum evangelium Galatis traderet, initio ἀσθενείᾳ τῆς σαρκὸς laborasse, Bertholdtius (l. l. VI, p. 2776 sq.) recte observat. *m*) Analecten etc. III, 2, p. 70. [opuscc p. 362.]. *n*) Uti Winerus (prol. in ep. ad Gal. p. 9 sq.) et Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 11.) monuerunt. *o*) Ita Koppius (prol. in ep. ad Gal. p. 8.), Keilius (Analect. etc. III, 2, p. 68. [opuscc. p. 360 sq.]), Mynsterus (l. c. p. 64.). Eadem ratione locum ex Actis allatum teste Paleyio (hor. P. p. 172. not.), iam Lockius, quamquam non ad comprobandam sententiam eandem, explicuerat. *p*) Id quod recte post Paleyium (ibid p. 173. not.) Hugius (l. l. II, p. 353. not.) monuit, quem Mynsterus (l. all. p. 64 sq. not.) ita impugnat, ut verbis v. 6.: διελθόντες δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν, repetitionem contineri dicat eorum, quae proxime antecessissent; qua de causa locum sic reddendum censet: „postquam vero Phrygiam et terram Galaticam [ita] peragrarunt.“ Quam quidem explicandi rationem confirmari putat Act. cap. 14. versu 24., ubi Lucas, quamquam narrato Pauli adventu ad Antiochenos *Pisidiae* (v. 21.), nihilominus ita pergat: καὶ διελθόντες τὴν Πισιδίαν. At in iis, quae 16, 6. leguntur, tum demum repetitionem eorum, quae proximis versiculis exposita sunt, invenire liceret, si Paulus hic quoque *Galatiam* et *Phrygium* lustrasse diceretur. Nam, nisi Lucas perobscure scripsisse existimetur, nequaquam, ut Schottus (cuius similis est, ac Mynsteri, sententia, in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 10. cll. l.: Eroerterung etc. p. 39.) probabile ducit, vel πόλεις illae, quarum v. 4., vel ἐκκλησίαι, quarum v. 5. mentio fit, de oppidis ecclesiisque Phrygiae etiam atque Galatiae, sed de his tantummodo, quae 15, 41. 16, 1. 2. commemorantur, intelligi possunt. Quod vero attinet ad Act. 14, 24., verbis: καὶ διελθόντες τὴν Πισιδίαν, non repetitur, quod v. 21. relatum erat, sed novi quid additur; nam quum P. et Barn.

aut prorsus negant Iesu praecepta tradidisse, aut Galatiam tam festinanter transgressum esse statuunt, ut singulari doctrinae Christianae expositione tum non amplius opus fuisse appareat q): quae sit eius loci ratio, non satis intelligunt. Etenim Lucas, dum, *διελθόντες δὲ*, scribit, *τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν* (Paulus, Silas et Timotheus) *κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ* (i. e. in Asia proconsulari r)), — *ἐπείραζον κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι, καὶ οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα Ἰησοῦ*: haec dum scribit, omnibus tam perspicuum esse ponit, illos totum hoc iter *docendi* causa suscepisse, ut nonnisi, quibus in terris *ab evangelio tradendo abstinuerint*, diserte commemorandum ducat. Qua de causa, etsi idem, si de quo doctoris alicuius itinere agit, in quo ille evangelium cum hominibus communicavit, hanc ipsam rem narrare non facile omittit s): hoc tamen loco perperam ex eius silentio, Paulum Galatas tum non instituisse, concluderemus t). Quod vero apostolum ea aetate Galatiam celeriter peragrasse dicunt, id minus recte ex brevitate narrationis colligunt; neque enim alii desunt loci, in quibus Lucas spatia non brevissima verbis paucissimis descripserit. Sed vestigia

---

Antiochiae in Pisidia essent, non *peragraverant* hanc terram, sed vixdum *intraverant*. Huc accedit, quod Lucae, si id, quod illi putant, sibi voluisset, utroque loco *διελθόντες οὖν* scribendum erat. q) Sic Koppius (l. c.), Keilius (Analect. III, 2, p. 67 sq. [opuscc. p. 360 sq.]), Mynsterus (l. c. p. 64 sq.), censor Koehleri in eph.: Leipz. Lit. Zeitg, 1831, fol. 35. p. 277.). Ceterum loco Act. 16, 6. diserte negari, Paulum tum Galatas instituisse, Schmidtii quoque sententia est (Einl. in d. N. T. I, p. 244 sq.), vocabulum *Ἀσία* ibidem positum falso (cf. not. r.) de tota Asia minore accipientis; quamquam is quidem Paulum revera illo in itinere Galatas docuisse, Lucam autem in errorem incidisse putat. — Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schriften etc. p. 7 sqq. 38 sqq.; in diss.: üb. d. Abfassgszt des Br. P. an d. Gal., inserta libro: Annalen d. gesammten theol. Lit. etc. 1831, 2, 3, p. 245 sqq. ibique p. 246 sqq., et in censura libri Schottiani: Eroerterung etc., inserta annalibus iisdem, 1832, 2, 3, p. 233 sqq. ibique p. 235–237.) itidem Paulum in itinere Galatico, quod l. c. refertur, ab evangelio tradendo abstinuisse ratus, eum ne prius quidem, quam in peregrinatione 18, 23. memorata cum Galatis de rebus ad salutem pertinentibus egisse statuit; ubi quia apostolus Galatarum coetus (prius institutos) *confirmasse* dicitur, V. D. in eam delatus est sententiam, ut Paulum ne auctorem quidem horum coetuum fuisse arbitraretur; quae opinio a Schotto (Eroerterung etc. p. 40 sq.) et a Rückerto (Comment. üb. d. Br. Pauli an d. Gal. Lips. 1833, 8. p. 298 sq.) refutata est. *r*) Quominus de Asia minore universa cogitemus, eo impedimur, quod *ἡ Ἀσία* h. l. ab aliis terrae illius regionibus distinguitur. *s*) Id quod Koehlerus urget (Annal. d. ges. Theol. 1832, 2, 3, p. 237.), locis allatis his: Act. 8, 40. 15, 41. 16, 4. 18, 23. 20, 2. 25. *t*) Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 10. cll. isag. in ll. N. F. p. 222. Eroerterung etc. p. 39.) eam, in qua diiudicanda modo versati sumus, sententiam sic impugnat, ut vocc. Act. 16, 6.: *διελθόντες — Φρυγίαν* non secus ac Borgerus (intptat. ep. ad Gal. prol. p. 27.) et Mynsterus (loco not. p. allato) respicere dicat ad ea, quae v. 5. universe observata fuerint: *αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι ἐστερεοῦντο τῇ πίστει, καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ καθ᾽ ἡμέραν*. Nec tamen inde cum Mynstero, Paulum coetibus Galaticis, iam antea conditis, tunc novas addidisse vires, concludit, sed, praecipuam vocum: *ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ*, rationem habendam esse existimans (quas de ecclesiis etiam recens institutis intelligi posse recte monet), apostolum Galatas illo tempore primum docuisse censet. Sed ut taceamus, non sine arbitrio haec potissimum verba urgeri, omnem de singulari illo, qui inter v. 5. et 6. intercedat, nexu sententiam improbandam esse, supra (not. p.) iam demonstrasse nobis videmur.

tamen inveniri haud pauci contendunt, ex quibus Paulum iam in itinere Act. cc. 13. et 14. exposito Galatas adiisse appareat. Inter quos Koppius, Haenleinius, Fischerus, Keilius, Borgerus et alius quidam V. D. ^{v}), ad Act. 14, 6 sq. provocant, ubi quum P. et Barn., Iconio relicto, Lystra, Derben et in regionem adiacentem (*τὴν περίχωρον*) fugisse dicantur, hanc *περίχωρον* de *Galatia* intelligunt. Sed minus recte illud quidem; nam praeterquam quod vix terra integra oppidorum paucorum ^{x}) *περίχωρος* dici potest, Galatia iis, qui Iconio proficiscebantur, *versus septentrionem*, Derbe et Lystra, eoque ipso loca vicina, *meridiem versus* sita erant ^{y}). Neque rem conficit, quod Koppius addit, secundum Gal. 2, 13. *Barnabam* Galatis cognitum fuisse, qui quidem in itinere Act. 16, 6. tradito iam a Paulo discessisset; neque enim, Barnabam illis *de facie* notum fuisse, ex allato epistolae loco comprobari potest. Alii, ut Paulum circa eandem aetatem Galatas primum adiisse demonstrent, aliam ingrediuntur viam. Monent enim, quia nonnullae earum terrarum, quas P. in itinere Act. cc. 13. et 14. descripto lustraverit, et sub Amynta, ultimo Galatarum rege ^{z}), et, maxima regni Amyntae parte post huius obitum in provinciam Romanam redacta ^{a}), cum Galatia coniunctae fuerint, non solum facile fieri potuisse, ut hae regiones Galatiae nomine dicerentur, sed et eum loquendi usum vere apud scriptores nonnullos inveniri observant *). Quamobrem Io. Ioach. Schmidtius ^{b}) et C. Guil. Nie-

---

v) Koppius in prol. in ep. ad Gal. p. 8., Haenleinius in l.: Handb. d. Einl. in d. Schften d. N. T. tom. III. p. 397 sq. 407. ed. 2., Fischerus in commentat. exeget. de tempore, quo ep. P. ad Gal. scripta fuerit, Longosal. 1808, 4. (teste Keilio), Keilius in promt.: Analecten etc. III, 2, p. 66. [opuscc. p. 360.], Borgerus in interpretatione ep. ad Gal., prol. p. 16. (qui rem probabilem certe ducit), libri Koehl. saepe allegati censor in eph.: Leipz. Lit. Zeitg. 1831, fol. 85. p. 278. x) Rectius enim loco Act. 14, 6. verbum *περίχωρος* ad ea, quae proxime antecedunt, *Λύστραν καὶ Δέρβην*, quam cum Keilio (Analect. III, 2, p. 66. [opuscc. p. 360.] not. 8.) ad remotius *Λυκαονίας* vocabulum refertur. y) Ita rectissime Winerus (prol. in ep. ad Gal. p. 5.), Flattus (Vorlesungen üb. d. Brr. P. an d. Gal. u. Eph. p. 237 sq.) et Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 8. et in isag. in ll. N. F. p. 221.); cf. etiam Neander (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. K. etc. tom. I. p. 144. not.). z) Amyntae regnum Galatiam, Lycaoniam, Isauriam, Pisidiam, partes quasdam Pamphyliae, Ciliciam asperam, et multa, quae in Tauro posita erant, oppida et castella complectebatur; cf. Cellarius (notit. orbis antiqui, tom. II. l. III. c. V. §§. XIV—XVI.); Wernsdorffius (de republ. Galatarum, Norimb. 1743, 4. p. 177—181.); Mynsterus (l. all. p. 57.). a) Strabo (l. XII. p. 569. ed. Casaub. 2.) minus accurate, *totum Amyntae regnum* in provinciam versum esse, tradit; nam Pamphylia libertati restituta (cf. Dio, 53, 26.), Cilicia aspera Archelao Cappadoci commissa est (v. Strabo, l. XII. p. 534. l. XIV. p. 671.), neque praesidi Romano subditae sunt nisi Galatia cum Lycaonia (v. Dio l. l.), Pisidia (cf. Strabo, l. XII. p. 569.), atque, ut videtur, Isauria, quae pars habebatur Lycaoniae (ut e Strabone patet, l. XII. p. 568.: *τῆς δὲ Λυκαονίας ἐστὶ καὶ ἡ Ἰσαυρική*). *) Tacitus v. g. (hist. 2, 9.) Lycaoniam certe, Plinius (H. N. 5, 32.) nonnullos Pisidiae et Lycaoniae populos (in iisque Lystrenos, quos Paulus Act. 14, 6. 21. adiisse traditur), Ptolamaeus (geogr. 5, 4.) Lycaoniae et Pisidiae partes, atque Isauriam omnem ad Galatiam refert. Qui quidem quum hoc faciunt, Galatiae nomine sine dubio aut Amyntae regnum, aut, quod probabilius est, provinciam Galaticam intelligunt. b) In prolusione de Galatis, ad quos divus Paul. apost. litteras misit,

Meyerus c), sub Galatis illis, quibus P. has literas dederit, incolas Derbae et Lystrorum (quae Lycaoniae, vel, ut alii volunt, Isauriae oppida erant), **Paulus** Heidelb. d) non hos solum, sed et Antiochenos Pisidiae, **Mynsterus** e) praeter Lystrenos, Antiochenos ac Derbenses Isauriae quoque incolas, et alios forte populos Galaticos intelligendos esse rati, primam apostoli profectionem ad Galatas susceptam non diversam fuisse censuerunt ab ea, quae citatis Act. capitibus narretur f). Sed inde, quod quidam, dum Galatiae nomine sensu utuntur latiore (quo illud vel Amyntae regnum, vel provinciam Galaticam designat), eo vocabulo praeter Galatiam proprie dictam Lycaoniam quoque, Isauriam et Pisidiam complexi sunt, hinc, inquam, tantum abest, ut recte concludatur, etiam si *singulatim* hae terrae spectarentur, earum incolas Galatas vocatos esse, ut, ubi seorsim de iis verba fiunt, a Galatis eos distingui videamus g).

Itaque quum nulla, quae probabilis sit, ratione effici possit, Paulum iam ante id temporis spatium, de quo Act. 16, 6. mentio infertur, Galatas primum et adiisse et instituisse, iure nostro in eo perstamus, ut utrumque hac ipsa demum aetate factum esse dicamus.

Alterum, quo ap. in Galatiam pervenit, iter Act. 18, 23. *traditur*; unde eas, de quibus loquimur, literas non ante hanc peregrinationem conceptas esse sequitur. Qua de causa, quemadmodum eorum sententiam improbamus, qui eas inter itinera Act. 16, 6. et 18, 23. narrata scriptas esse putant h), ita multo magis displicet, quod **Calvinus** i), **Keilius** k), et qui cum Keilio faciunt l)

Nordhusae 1748, 4. inpr. p. 9 sq., et in progr., quo prolusionem suam de Galatis — ab obiectionibus doctissimorum virorum vindicare conatur, ibid. 1754, 4. (quam diss. inspicere mihi non licuit). c) In progr. de tempore, quo ep. ad Gal. conscripta sit, accuratius definiendo, Gott. 1827, 4. p. 4 sqq. (teste **Winero**, n. krit. Journ. tom. VII. p. 286.). d) Heidelb. Jahrbb. etc. 1827, part. 7. p. 638 sqq. e) Kl theol. Schften, p. 63. f) Similiter **Feilmoserus** (Einl. p. 341. ed. 2.), etsi non accuratius definit, quibus eam, de qua agimus, ep. destinatam esse credat, primum tamen, quo ap. in his literis, cap. 4, v. 13 sq. respiciat, iter idem esse putat, in quo ille secundum allata Actorum capp. Lystra et Iconium (Lycaoniae oppidum, non longe – id quod Feilm. urget – a finibus Galatiae proprie dictae situm) adierit. g) V. Act. 16, 6. cll. vv. 1 — 5. Ceterum cf., quae huic, de qua nunc diximus, opinioni **Rückertus** opposuit (Comment. üb. d. Brief Pauli an d. Gal., p. 297 sq.). h) Ita v. g. **Bensonius** (l. l. II, p. 138.), **Baumgartenius** (Ausl. d. Br. P. an d. Gal. p. 6.), **Semlerus** (in notis huic libro additis, p. 895.), quamquam alibi aliter sentit (cf. infra p. 138. not. q.), **Michaëlis** (Einl. II, p. 1195.), **Koppius** (prol. in ep. ad Gal. p. 8 sq.), **Storrius** (Pauli Br. an die Hebr. erl. p. LXV sq. ed. 2.), **Borgerus** (intptat. ep. ad Gal. prol. p. 29—36.), **Schmidtius** (Einl. I, p. 245.), **Mynsterus** (l. c. p. 71 sq.). i) In commentar. ad Gal. 2, 1. k) Analecten etc. III, 2, p. 55 sqq. [opuscc. p. 351 sqq.]: quamquam prius (in progr. de definiendo tempore itineris Pauli Hierosolymitani Gal. 2, 1. 2. commemorati, Lips. 1798. 4., quod, passim emendatum et auctum, serius [a. 1802.] insertum est in **Potti** syllogen commentt. theoll. III, p. 68 sqq. et in **Keilii** opuscula ed Goldhorn., p. 160 sqq. dubium esse negaverat, has literas post concilium apostolorum scriptas esse (cf. opuscc. p. 170.). l) Io. Chstian. **Fischerus** in progr. supra allato de tempore, quo ep. P. ad Gal. scripta fuerit; qui, Keilii institutione usus, hanc magistri sententiam prius Keilio ipso publice proposuit, **Kuin**-

opinantur, easdem iam ante apostolorum conventum (Act. c. 15.) exaratas esse.

Ad ipsam vero, qua haec ep. composita sit, aetatem accuratius constituendam aptissima sunt ex nostra quidem sententia, quae cap. 4, v. 18. leguntur. Ubi quia Galatae admonentur, ut *omni tempore, nec praesente solum apostolo* recte faciant, eos ad deteriorem, quam ante alterum eius adventum secuti fuerant m), agendi rationem *non*

---

oelius (prol. in Acta, p. XXIII.), C. Guil. Niemeyerus (in diss. cit. de temp., quo ep. ad Gal. scripta sit, accuratius definiendo), Th. Chr. Tychsenius (in excursu X. ad ed. 3. Koppiani in ep. ad Gal. commentarii, p. 149.), Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, part. 7. p. 636 sqq.). *Argumentis* autem Keilius (consentientibus plerumque iis, quos modo nominavimus) his fere utitur. Si literae ad Gal. datae, ita disputat, concilium Hieros. antecessissent, huius concilii et decreti ibidem facti (Act. 15, 23—29.) mentio in iis omitti non poterat, quia, quum hoc ipsum decretum de eadem re, de qua P. in ep. loquatur, ita factum esset, ut cum Pauli doctrina congrueret, hac ratione facile omnes adversariorum calumnias oppressisset. Sed quum Paulus Gal. 2, 6—9. apostolos in *omni re* secum consensisse professus sit, quid tandem opus erat diserta et concilii illius et decreti commemoratione? *Deinde* dubia de convenientia doctrinae Pauli et apostolorum reliquorum ne oriri quidem inter Galatas potuisse contendit, si decretum iis iam innotuisset, quod quidem non ita multo post concilium Hieros. ad eos perlatum esse, locus doceat Act. 16, 6. At neque hic locus, decretum revera cum Galatis communicatum esse probat, neque, si illud revera iis traditum fuisset, a fraudulentis istis, qui illos in errores induxerant, hominibus alienum fuisse videtur, quoquo artificio vel planissima apostolorum verba in suam detorquere sententiam. *Denique* Paulum in hac ep. de rituum Mosaicorum observatione multo liberius statuere dicit, quam eundem post concilium statuisse deprehendamus; id quod his demonstrare studet locis: Gal. 2, 3. 14 sqq. 5, 2. 3. cll. Act. 15, 28. 16, 3. 21, 20. 1 Cor. 9, 20. At eius rei causa non in mutato Pauli animo, sed in diversa eorum, quibuscum agebat, indole quaerenda est. Etenim ψευδαδέλφοις, quales erant, quos et in omni ep. ad Gal. data, et eo, de quo Gal. 2, 1 sq. verba facit, tempore impugnavit, qui malitiose pietatis specie Pauli auctoritatem infringere conabantur, ne minimum quidem concedebat, eiusmodi vero hominibus, qui pro animi imbecillitate illa, quae adhuc sanctissime coluerant, Mosis praecepta negligere non audebant, indulgendum esse ducebat. Ac, quod singulatim ad res Titi (Gal. 2, 3.) et Timothei (Act. 16, 3.) attinet, quorum alterum circumcidit, alterum non passus est circumcidi: Timothei circumcisio ideo potissimum necessaria videbatur, quia, quum *eius mater Iudaea* esset, maxime offendisset Iudaeos ad Christum convertendos, quod, qui pietatem sese docere vellet, ipse legis Mosaicae, *cui mater addicta fuisset*, ne illud quidem praeceptum observasset, quod Hebraei maximi faciebant; Titus autem *e gentibus oriundus* erat. Quod vero argumentum inde petitur, quod Paulus in exponendis rebus suis non ultra eam progrediatur aetatem, quae interposita fuerit inter itinera Act. cc. 11. et 15. descripta (Gal. 2, 1 sqq.), id quantum valeat, ex iis, quae p. 145 sqq. disserentur, apparebit.— Cf., quae contra haec Keilii argumenta Bertholdtius disputavit (l. l. VI, p. 2777 sqq.), Winerus (prol. in ep. ad Gal. p. 10.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 11 sqq., isag. in N. T. §. 53, 4. cll. l.: Eroerterung etc. p. 33 sq. not.). Ceterum iam Paleyius (hor. P. p. 169 sqq.), dum explicare studet, quidni ep. Galatis scripta (quam post concilium Hieros. exaratam censet) apostolorum decretum commemoretur, varia eorum protulit, quae huic, de qua modo diximus, sententiae recte opponuntur.

m) Galatas iam priusquam Paulus iterum se ad eos contulisset, in varios errores induci sese passos esse, etsi a nonnullis negatum est, tamen non solum ex hoc ipso apparet, quod ille eos tantummodo se praesente rectam ingressos esse viam innuit, sed et inde cognoscitur, quod cap. 4, v. 13—15., dum eam, quam prius secuti sint, rationem laudat, nonnisi id temporis in memoriam revocat, quo *primum* inter eos degerit. (Cf. Schottus, Eroerterung etc. p. 75 sq., Rückertus, Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 309.).

ita multo post eius discessum n) reversos esse apparet. Iam vero quum Paulus Galatia relicta Ephesum se contulerit o), ubi fere per triennium mansit, fieri non potuit, quin in tanto, quod Ephesum inter et reliquam Asiam intercedebat, commercio *mox* de mutatis Galatarum rebus acciperet. Quibus de causis *epistolam nostram brevi post adventum Pauli in Ephesiorum urbem,* i. e. aut a. 54. exeunte, aut a. 55. p) *conceptam esse* existimamus q).

---

n) Suspicari possis, idem ex his cap. 1. v. 6. verbis sequi: *θαυμάζω, ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ.* Sane ex hoc loco permulti, Galatas cito post eam, quam quisque epistolae proxime antecessisse putat, Pauli inter illos commorationem defecisse concludunt, ut Witsius (mel. Leid. p. 135.), ut Bensonius (l. c. II, p. 138.), Semlerus (prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 27. 47.), Ch. F. Schmidius (hist. ant. et vind. canonis etc. p. 585. 605.), Koppius (prol. in ep. ad Gal. p. 8 sq.), Blochius (chronotax. etc. p. 132.), Borgerus (intptat. ep. ad Gal. prol. p. 27 sq.), Bertholdtius (l. l. VI, p. 2769.), de Wettius (l. l. II, p. 232.), Winerus (prol. in ep. ad Gal. p. 12.), censor libri Koehleriani saepe commemorati in eph.: Leipz. Lit. Zeitg, 1831, fol. 35. p. 278 sq., Koehlerus (Annal. d. ges. Theol. etc. 1832, 2, 3, p. 235.), Neander (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 277. not. 1.); cf. etiam Hugius (l. l. II, p. 352.). Sed quamquam hanc statuendi rationem, argumentis permoti iis, quae Koehleri censor (in eph.: Leipz. Lit. Zeitg, 1831, l. all.) et Koehlerus (in l.: Annalen d. ges. Theol. etc., 1832, 2, 3, p. 238.) proposuerunt, praeferendam esse ducimus Schotti sententiae (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 11., Eroerterung etc. p. 74 sq.)—quam Koehlerus quoque prius tenuerat (Abfassgszt d. ep. Schften etc. p. 125 sq.) — ex qua apostolus eius temporis rationem habuisse creditur, quo primum doctores falsi inter Galatas orti fuerint, et opinioni eorum, qui eum ad illam aetatem respexisse arbitrantur, quo iidem ad sacra Christiana se converterint (Baumgartenium dico, Ausl. des Br. an d. Gal. p. 6., Keilium, Analect. etc. III, 2, p. 71. [opuscc. p. 363.], Mynsterum, l. c. p. 71., Paulum, Heidelb. Jahrbb. 1827, part. 7. p. 643., Hemsenium, l. l. p. 242. not. 22., alios): tamen, quae P. loco allato dixit, quia *animo commoto* dixit, non ita urgenda esse censemus, ut per ea non liceat longius temporis spatium inter ultimum apostoli a Galatis discessum et horum defectionem interponere. o) Act. 19, 1. cll. 18, 23. p) Si e loco Gal. 4, 10. (*ἡμέρας παρατηρεῖσθε, --- καὶ ἐνιαυτούς*) cum Michaële (Einl. II, p. 1196—1198.) et Koehlero (Annalen d. ges. theol. Lit. 1831, 2, 3, p. 248—250., 1832, 2, 3, p. 238.) concludi liceret, annum tum fuisse sabbaticum, hinc etiam literas nostras a. 54. aut 55. scriptas esse sequeretur; nam ab auctumno anni alterius ad eandem anni alterius aetatem Iudaeos ab agris colendis abstinuisse, ex iis certum est, quae p. 38. not. 1. exposita sunt. (Michaëlis tamen epistolam a. 49., quem perperam sabbaticum fuisse putat, Koehlerus a. 69., qui vere sabbaticus erat, scriptam esse arbitrantur.) Verum nihil obstat, quominus apostolum his verbis universe Galatis nimium legis Mos. studium in religiosa festorum omnium observatione conspicuum exprobrasse dicamus. Quamquam vix negaverim, non forte fortuna factum esse, ut Paulus, quum haec *anno* scriberet *sabbatico* (vel tempore certe ab eiusmodi anno proxime remoto), disertam inferret *annorum* mentionem, quos Galatae aut iam observarent, aut quos verendum certe esset, ne observare inciperent. q) Brevius iusto intervallum inter Pauli ex Galatia discessum et epistolae scriptionem ponere videntur, qui eam in ipso, quod ap. inde Ephesum fecit, itinere exaratam esse credunt, Ch. F. Schmidium dico (hist. antiq. et vind. can. etc. p. 585. 605.), Blochium (chron. p. 189.), Hugium (l. l. II, p. 354 sq.), Rückertum (Comm. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 312. 320.), quamquam hi duumviri, an in itinere, an Ephesi effecta sit, dubitant. Hac ipsa vero in urbe eam conceptam esse, nobiscum permulti statuunt, ut Claudius Antissiodorens., Petrus Damiani, Haymo, Anselmus Cantuar. (teste Semlero), Lud. Cappellus (in diss. de ordine epp. Pauli, addita historiae apost., p. 69.), Pearsonius (ann. P. p. 26.), Basnagius (ann. ad a. 58. §. XIII.), Caveus (antiquitt. apostt., vers.

Atque his quidem ideo praemissis, ut facilius inveniri liceret, quonam de itinere Paulus Gal. 2, 1 sqq. loquatur, est, quod ad hanc ipsam quaestionem nos iam accingamus.

Maximam autem esse constat virorum doctorum de hac peregrinatione sententiarum diversitatem, quippe qui eam *aut* eandem esse existiment, quae Act. c. 11, vv. 29. 30. c. 12, v. 25. *r*), *aut*,

---

Germ. [Lips. 1696, 4.], p. 877.), Witsius (mel. Leid. p. 135.), Ioach. Langius (de vita et epp. ap. Pauli, Hal. 1718, 4. p. 119.), Semlerus (l. c. p. 47.), Eichhornius (Einl. III, p. 85.), Bertholdtius (l. l. VI, p. 2769.), de Wettius (l. c. II, p. 231 sq.), Winerus (prol. in ep. ad Gal. p. 12.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 23., isag. in ll. N. F. p. 221. 225 sq., Eroerterung etc. p. 76.), Feilmoserus (l. all. p. 345.), Hemsenius (l. c. p. 242.), Goeschenius (in tab. temporum, quam suae N. Ti editioni (Lips. 1832, 8.] adiecit), alii; quorum nonnulli parum recte de seriore eius intervalli, quod ap. Ephesi exegit, parte cogitant. Magis etiam a veritate recedunt; qui P. hac urbe iam relicta Galatis scripsisse putant, ex quibus alii, ut Grotius (prol. in ep. ad Gal.), Hammondus — uti videtur — (in prol. ad ep. eand.), Millius (prol. in N. T. §. XXX sq.), Theilius, quamquam dubitans ille quidem (in Wineri et Engelhardti eph.: n. krit. Journ. etc. VIII, p. 176 sq., eadem fere aetate, qua literae ad Romanos datae sint, alii, ut Wallius (cit. Semlero, prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 22.) et Fabricius (cf. bibl. gr. l. IV. c. VII., ed. Harles. tom. IV. p. 802.), in ultimo Pauli itinere Hieros. eam effectam esse coniiciunt. Neque defuerunt, qui apostolum has literas tum, quum Romae (primum) in vinculis esset, concepisse existimarent. Ita v. g. auctor synopsis Athanasio tributae, Theodoretus, Euthalius, Oecumenius; quibus addendae sunt subscriptiones versionis Copticae et codicum plurimorum; eandem sententiam, serius a multis repetitam, nuper Schraderus defendit (l. c. p. 219 — 226.), refutatus ille quidem a Schotto (Eroerterung etc. p. 63 — 72.) et Rückerto (Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 316 — 318.). Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 125 — 132. coll. p. 163., Annal. d. ges. th. Lit. 1831, 2, 3, p. 245 — 251., 1832, 2, 3, p. 238 sq.) easdem in quarta, quam sibi finxit, Pauli captivitate Rom. compositas esse arbitratur; quam opinionem et ipsam Schottus (ibid. p. 41 — 47.) et Rückertus (eod. l. p. 318 sq.) refellerunt. Ceterum varias de tempore (et loco), quo ep. ad Gal. scripta sit, opiniones Semlerus recensuit (prol. in paraphr. huius ep. §§. 1. 4. 5.), Bertholdtius (l. l. VI, p. 2771 sqq.).

r) Calvinus (in comment. ad Gal. 2, 1.), Io. Tob. Maior (in annotatis ad Acta Ap. Ienae, 1647, 8. [laud. Gablero in eph.: neuest. theol. Journ. tom. II. part. 2. (1799) p. 223.]), Keilius (opuscc. p. 160 sqq., et in dissertationibus duabus, quibus sententiam suam contra adversarios defendit, quarum altera invenitur in Gableri ephem.: Journ. für auserlesene theol. Lit. tom. III. [1807] part. 1. p. 5 sqq. [contra Vogelium], altera in Keilii et Tzschirneri promt.: Analecten etc. tom. III. part. 1. p. 148 sqq. [contra Schmidtium]); censor Keilii (in ephem.: Jen. Lit. Zeitg. 1798, vol. IV. p. 319 sq.), Gablerus (neuest. theol. Journ. tom. II. [1799] part. 2. p. 210 sqq.), Rosenmüllerus (in schol. ad Gal. 2, 1.) Süskindius (l. l. I, p. 157 sqq.), quem fere sequi programma Tubingense pentecost. a. 1824., Winerus testatur (exc. II. ad comment. in ep. ad Gal., p. 151.), Bertholdtius (l. l. V, p. 2708. 2739 — 2741.), Heinrichsius (prol. ad Acta, p. 59.), Kuinoelius (prol. ad Acta p. XXV.), Iaspisius (in versione lat. epp. N. T. tom. I. p. 277 ed. 2.), Th. Chr. Tychsenius (ad calcem editionis 3. commentarii Koppiani in ep. ad Gal., p. 149.), C. Guil. Niemeyerus (in diss. allata de temp., quo ep. ad Gal. conscripta sit etc.), Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, part. 7. p. 644 sqq.), Guerikius Beitr. zur hist. krit. Einl. in's N. T. p. 80 — 84.), censor huius libri in eph.: Allg. Kirchenztg, 1830, th. Lit. Bl. n. 70., Küchlerus (l. l. p. 30 sqq.).

quae ibidem cap. 15, vv. 2—4. s), *aut*, quae c. 18, v. 22. t), *aut*, quae c. 21, vv. 15—17. v) commemoratur; a quibus alii ita dissen-

---

Flattus (Vorlesungen üb. d. Brr. P. an d. Gal. u. Eph., p. 45. not. ubi probabilius de itinere Act. c. 11. narrato, quam de eo, quod c. 15. memoratur, contra quam prius statuerat [cf. p. 44.] cogitari monet); Boehlius (üb. d. Zeit d. Abfassg. u. d. Paulin. Char. d. Brr. an Tim. u. Tit, p. 108 sqq.).— Eandem sententiam iam Tertullianum tenuisse, id quod Neander suspicatur (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 128. not.), e lib. contra Marc. I. c. 20. concludere vix ausim. s) Est haec sententia omnium antiquissima, quippe cuius vestigia iam apud Irenaeum (adv. haer. 3, 13.) inveniantur, eaque tanto virorum doctorum consensu approbata, ut ad Keilii usque aetatem paucissimi secus sentirent. Sed ab hoc inde tempore in varias partes ita discesserunt, ut par fere esset numerus eorum, qui cum Keilio de itinere Act. c. 11. exposito, et eorum, qui de profectione Act. c. 15. tradita cogitarent. Qua de causa non iuvat commemorare nisi eos, qui, postquam illa Keilii sententia in lucem prodiit (i. e. post a. 1798.), locum Gal. 2, 1 sqq. de itinere Act. c. 15. descripto explicuerunt. Sunt autem hi: Vogelius (in Gableri eph.: Journ. f. auserles. th. Lit. tom. I. part. 2. [1805] p. 249 sqq.), Haselaarius (de nonnullis Act. Ap. et epp. P. ad hist. P. pertinentibus locis, p. 88 sqq.), Borgerus (ad Gal. 2, 1.), Schmidtius (Einl. I, p. 192 sq., Chronol. d. Ap. Gesch. p. 132 sq.), Eichhornius (Einl. II, p. 61 sq. III, p. 31.), Ammonius (in censura Heinrichsiani in Act. Ap. commentarii, in eph. ab ipso editis: krit. Journ. d. neuest. theol. Lit. I, 3, p. 231 sq.), censor diss. Süskindianae saepe allatae in promt. a Lud. Wachlero edito: neue theol. Annalen, tom. I. p. 347 sqq.), Emmerlingius (prol. ad comment. in 2. ad Cor. ep. p. XXV. not.), Hildebrandus (Gesch. d. Ap. p. 207.), Mynsterus (l. l. p. 71.), vir quidam doctus in l. l. theol. Quartalschrift, 1820, part. 4. p. 579 — 590. cit. Schotto), Hugius (l. l. II, p. 310 — 312.), de Wettius (Einl. II, p. 218.), Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 154., bibl. Realwb. s. v. Paulus), Fellmoserus (Einl. p. 307 sq.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 16 sqq.; isag. in ll. N. F. p. 224 sq., Eroerterung etc. p. 12 sqq.), Hemsenius (l. l. p. 68 — 69.), Goeschenius (in tab. tempp., quam suae N. Ti editioni adnexuit, ad a. 52.); maxime probabilem hanc sententiam Flattus olim habuerat (Vorlesungen üb. die Brr. P. an d. Gal. u. Eph. etc. p. 44. [cll., quae supra not. r. monuimus]), neque secus Neander iudicat (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 130 — 133.). Apostolum loco nostro ita dicere de profectione Act. c. 15. tradita, ut simul rationem habeat itineris eius, de quo ibid. c. 11. verba fiunt, Blochius (chronotax. etc. p. 67. not. 25.) et Schottus (Eroerterung etc. p. 20 sq.), quamquam aliam uterque viam ingressus, suspicantur. — Ceterum eorum, qui ante Keilium hunc locum de itinere intellexerant Act. cap. 15. memorato, haud paucos laudarunt Spanhemius (de anno conv. P., in diss. hist. arg. quatern. p. 209.), Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 151.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 14 sq., isag. in ll. N. F. p. 225.), Rückertus (Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 326.). t) Tob. Dorncrellius (cit. Bengelio, ord. temp. p. 276.), Iac. Cappellus (in compendiosa in apostolicam historiam chronologica tabula, quae praemissa est Lud. Cappelli historiae apost., ad a. C. 52.), Whistonus (apud Semlerum, prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 87 sq.), Sal. van Tilius (in opere analytico, Bas. 1722, 4. tom. II. p. 588.), Hessius (Gesch. d. Ap. tom. I. p. 529 sqq., II. p. 311. ed. 4.), Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 8., Annal. d. ges. th. Lit. 1832, 2, 3, p. 235 sq.) —. Ceterum Chstph. Matth. Pfaffius (in diss. de apostolo Paulo, Tub. 1750, 4. p. 8.) ea quidem, quae Gal. 2, 1. leguntur, de profectione Act. c. 15. tradita, sed, quae ibid. vv. 7 — 10. narrantur, de itinere Act. c. 18. relato accipit; Rückertus (Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 333—336.), utrum Paulus iter descripserit hoc, quod Act. c. 15., an illud, quod ibid. c. 18. memoratur, diiudicari posse negat. v) Epiphanius (haer. 28, 4.).

tiunt, ut hoc iter a Luca omissum, atque *aut* inter Act. cc. 11. et 15. x), *aut* inter cc. 15. et 18. y), *aut* inter cc. 18. et 21. z) interponendum esse censeant; nec desunt, qui illud omnino vel ante*), vel post a) profectionem eam, quae Act. c. 15. refertur, susceptum esse arbitrentur.

Iam vero indagaturis nobis, quid de singulis his sententiis sit iudicandum, ut via ac ratione disputatio procedat, primum omnium ea, quae Gal. 2, 1 sqq. leguntur, cum iis comparanda videntur, quae Lucas apostolo in variis, de quibus ipse meminit, itineribus Hieros. accidisse prodit.

Paulus igitur se, divino obsecutum mandato, cum Barnaba et Tito Hierosolyma profectum, eam, qua gentiles imbueret, doctrinam cum Hierosolymitanis, et quidem privatim cum summis apostolis communicasse narrat, ne forte [si isti, eius doctrina minus accurate cognita, ei sese opponerent] irrita ipsius studia vel fuissent, vel futura essent. Atque [ab his] ne Titum quidem, quamquam e paganis oriundum, circumcidi coactum esse; fratribus vero non genuinis, libertatis Christianae adversariis [qui talia efflagitassent], fortiter se restitisse testatur. Ceterum tantum abfuisse, ut apostoli ii, qui maxima gauderent auctoritate, Iacobus, Petrus et Ioannes, quidquam in ea, quam ipse traderet, doctrina correxissent, ut, quoniam intellexissent, ipsum non secus a Deo destinatum esse, qui gentilibus evangelium afferret, ac Petro Iudaeorum institutio commissa sit, dexteras et ipsi et Barnabae in communionis testimonium dedissent, decrevissentque, ut, semet ipsis Iudaeorum salutem curantibus, Paulus et Barnabas paganos docerent, nec nisi hoc monuisse, ut ne pauperum immemores essent, cui quidem admonitioni se obtemperasse affirmat. His addit, quum Antiochiae fuisset, Petrum eodem venisse, quem, quia ob metum Iudaeo-Christianorum quorundam ab arctiore cum Ethnico-Christianis consuetudine, qua antea usus fuisset, se subduxisset, publice vituperaverit b). Lucas Paulum post iter Act. 9, 26 sqq. relatum, quod non differre vidimus ab eo, cuius mentio iniicitur Gal. 1, 18., *quater* Hierosolyma petiisse memorat. Atque in ea quidem peregrinatione, quae Act. 11, 29 sq. 12, 25. tangitur, Paulum et Barnabam, quum Agabus gravissimam, quae Iudaeam infestatura esset, famem praedixisset, ab Antiochenis hanc in terram missos presbyteris, quam illi collegissent, stipem tradidisse narrat. De itinere altero, quod ibid. 15, 2 sq. describit, haec

---

x) Beza (in adnot. ad Gal. 2, 1.), Basnagius (ann. ad a. 50. §§. IV—VI.), Paleyius (hor. P. p. 166 sqq.). y) Censor libri Koehleriani saepe citati in: Leipz. Lit. Zeitg, 1831, fol. 85. p. 276. z) Schraderus (l. l. p. 120 sqq.). *) Hanc sententiam reliquis praefert Weismannus (in diss.: usus et abusus censurae Petri Paulinae, Tub. 1745, 4. p. 8 sq., teste Flatto; Vorles. üb. d. Brr. P. an d. Gal. etc. p. 43 sq.). a) Chrysostomus (ad Gal. 2, 1.), Lutherus (in commentario in epist. ad Gal. ex praelectionibus eius collecto, ad cap. 2, v. 1.). b) In hac, cuius argumentum modo exposuimus, epistolae ad Gal. sectione plures inesse constat locos, in quibus interpretandis VV. DD. dissentiant. Quorum locorum qui alicuius sunt in quaestione nostra momenti, eos cur ita, quemadmodum explicuimus, intelligendos esse censeamus, tum, quum pro disputationis ordine de singulis singulatim agendum erit, demonstrare studebimus.

nobiscum communicat. Quum Paulus et Barnabas Antiochiae versarentur, quosdam e Iudaea venisse, qui gentiles Christi sacra amplexos, nisi circumciderentur, aeternam salutem adipisci negarent. Orta autem inter homines illos et Paulum Barnabamque contentione, hos cum aliis quibusdam, ut cognoscerent, quid apostoli de hac quaestione sentirent, missos esse Hierosolyma. Quo postquam advenissent, Pharisaeos nonnullos ad Iesu castra transgressos poposcisse, ut gentiles ad sacra Christiana conversi circumciderentur, et legem Mosaicam observarent. Sed coacto apostolorum concilio, quum P. et B. res inter ethnicos a se gestas exposuissent, Petri et Iacobi auctoritate decretum esse, ut nihil a Christianis, qui gentiles fuissent, exigeretur, nisi ut abstinerent a carnibus, quae diis essent immolatae, a sanguine, a carne bestiarum suffocatarum, et a scortatione; atque hoc quidem mandatum traditum esse Paulo et Barnabae, ut cum ecclesiis Syriacis et Cilicibus communicarent. De proximo, quod Paulum Hierosolyma fecisse dicit, itinere (Act. 18, 22.) nihil Lucas memoriae prodit, quam Christianorum coetum hac in urbe conditum ab apostolo esse salutatum. In ultima denique profectione (Act. 21, 15 sqq.), eum, habito cum Iacobo presbyterisque colloquio, et ceremoniis quibusdam Iudaicis per dies paucissimos observatis, in vincula datum esse narrat.

Iam vero apostolum de eo, quod modo commemoravimus, itinere locutum esse, uti alias per causas, ita per illud, quo ep. ad Gal. scripta est, tempus statuere non licet. Quid quod ne seriorem quidem peregrinationem, quam cuius mentio fit Act. c. 15., intelligi posse, sunt, quae nobis persuadeant. Omittimus, Barnabam, quem Paulus Gal. 2, 1. itineris sibi comitem fuisse testatur, brevi post tempus Act. l. l. traditum ab illo discessisse (Act. 15, 39.), neque ullum inveniri certum vestigium, ex quo eum apostoli in societatem rediisse discamus c); neque enim hinc, eum vere postea nunquam Paulo iterum se adiunxisse, satis certo concludere licet; hoc urgemus, quod apostoli Gal. 2, 7—9. agnovisse dicuntur, *Paulum et Barn. a Deo prae ceteris constitutos esse gentilium doctores*. Id enim illi, nisi forte iam prius perspexerant, non poterant quin tum certe intelligerent, quum hi duumviri ex magno isto, quod Act. cc. 13. et 14.

---

c) Neque enim recte cum Hofmanno (ad Pritii introd. etc. p. 260.) aliisque eo provocaveris, quod Marcus, cuius causa Barn. a Paulo discesserat (Act. 15, 37—40.) serius denuo inter Pauli socios receptus est (Col. 4, 10. Philem. 23. 2 Tim. 4, 11.), quippe qua ex re hoc unum non immerito concludi possit, Paulum cum Barnaba reconciliatum esse. Neque Koehlero assentimur, qui, quia haec, quae P. 1 Cor. 9, 11. 12. ita tradit, ut formis utatur primae personae num. plur. (ἡμεῖς—ἐσπείραμεν et q. s. rel.), propter v. 6. (ubi idem, ἢ μόνος ἐγὼ, dicit, καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι;) de apostolo et Barnaba simul intelligenda esse putat, Barnabam una cum illo Corinthi prima doctrinae Christianae semina sparsisse arbitratur (ep. Sch. p. 11.). Namque et Paulum haud raro formas illas, ubi de se solo agit, usurpare constat (v. Schottus in isag. in epp. ad Thess. p. 18 sq. et in l.: Annalen d. ges. Theol. 1833, 1, 1, p. 56 sqq.), neque ea est versiculi 11. cum 6. cohaerentia, ut rectius apostolum de se et Barn., quam de se solo dixisse statuamus. Ac, quod gravissimum est, per ea, quae Act. 18, 1—17. et 2 Cor. 1, 19. leguntur, ne licet quidem Barnabam primis Corinthiorum doctoribus adnumerare. — Ceterum cf. Schottus (Eroerterung etc. p. 64.).

narratur, itinere reduces iis exposuissent, quanto cum successu Deo iuvante per tot Asiae regiones gentiles instituissent, (v. Act. 15, 12.: ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τοῖς ἔθνεσι δι' αὐτῶν, cll. vv. 3. 4. et 14, 27.).

Quae quum ita sint, ex itineribus a Luca descriptis nonnisi duo restant, quae in disceptationem vocari possint. Iam si quaeritur, horum alterutrum num eiusmodi fuerit, de quo Paulus allato ep. ad Gal. capite dixisse recte existimetur: *plurima, quae hoc loco proferuntur, cum iis convenire videmus, quae Act. c. 15. memorantur. Primum* enim in epistola (2, 1.) praeter Barnabam Titus (non exclusis aliis [d])), in Actis (15, 2.) τινὲς ἄλλοι apostolum comitati esse traduntur. *Deinde* secundum Acta Paulus et Barn. presbyteris apostolisque enarrarunt, quomodo Deus ipsos in evangelio inter gentes propagando adiuverit (Act. 15, 4. 12.); Paulus: ἀνεθέμην, scribit, αὐτοῖς (i. e. iis, qui Hierosolymis erant) τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι (Gal. 2, 2.). Luca teste (Act. 15, 5.) Hierosolymis quidam prodierant Pharisaeorum sectae addicti, qui Christianos e gentibus ortos, nisi circumciderentur atque omnino legi Mosaicae obstringerentur, felicitatis aeternae participes fore negabant; Paulus adfuisse prodit παρεισάκτους ψευδαδέλφους, qui id egissent, ut Christianos legis eiusdem iugo submitterent (Gal. 2, 4.); quos quidem prae ceteris poposcisse, ut gentiles ad Christi sacra perducti circumciderentur, et per se patet, et e nexu perspicitur eo, qui versiculum 4. inter et 3. intercedit. Nihil tamen Pharisaeos illos effecisse, Lucas memorat, quia Petrus et Iacobus, consentientibus reliquis, qui ad eam quaestionem dirimendam convenissent, paganos ad Christum conversos omnibus fere ritibus Mosaicis liberandos esse censuissent (Act. 15, 7—21. 23—29.); Paulus: ἀλλ' οὐδὲ Τίτος, ait, ὁ σὺν ἐμοί, Ἕλλην ὤν, ἠναγκάσθη (ab apostolis) περιτμηθῆναι (Gal. 2, 3.) [e]). Ex apostolorum autem numero Petrum et Iacobum (quibus Ioannem addit) tum Hierosolymis fuisse, versiculo 9. docet [f]). — At si ea, quae de itinere propter famem suscepto novimus, cum eadem epistolae ad Galatas sectione contenderis, varia deprehendes, quibus impediaris, quominus ibi de itinere tam mature facto exponi credas. *Primum* enim apostolus tempore eo, de quo Galatis l. c. scribit, maiore iam florebat, quam Barnabas, auctoritate. Nam ut taceamus, quod minoris est, Paulum tunc non a Barnaba, sed Barna-

---

d) Nam ne Barnabae quidem ac Titi mentionem Paulus iniecisset, nisi horum partes quaedam fuissent in iis, quae l. l. retulit. e) Eam sequimur horum verborum interpretationem, ex qua Titus circumcisus esse negatur. Nam qui locum ita exponunt: *coactus* quidem Titus non est, ut circumcidi se pateretur; sed ψευδαδέλφοις tamen nonnullis nos accommodavimus; hi, inquam, statuunt, quod et apostoli consilio repugnat, neque defendi potest, nisi aut omissa v. 5. voce οὐδὲ haud dubie genuina (v. praeter alios Winerum ad h. l.), aut (quod Paulus Heidelb. fecit, Heidelb. Jahrbb. etc. 1827, part. 7. p. 645.) contorta verborum οὐδὲ πρὸς ὥραν explicatione. Cf. omnino Winerus ad l. f) Quibus in rebus narratio Act. c. 15. proposita cum iis conveniat, quae secundo epistolae ad Gal. capite leguntur, Moldenhawerus docuit (introd. in ll. can. V. et N. T. p. 416 sqq.), Henkius (in notis ad Paleyii hor. P. p. 422.), vir ille doctus in Wachleri l.: neue theol. Annal. I, p. 350 sqq., Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 159 sq.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 16 sqq., isag. in ll. N. F. p. 224 sq. Eroerterung etc. p. 12 sqq.), alii.

bam a Paulo comitem esse adsumtum (Gal. 2, 1.): apostolos ea aetate perspexisse legimus (Gal. 2, 7 sq.), Paulo aeque gentilium institutionem, ac Petro Iudaeorum curam a domino commissam esse. Iam vero Petrum prae ceteris Iudaeorum apostolum habitum esse, ut ex hoc ipso loco discimus, ita aliunde satis constat g). Ex quo patet, Paulum tanquam eum agnitum esse, quem Deus prae reliquis gentium apostolum esse voluerit. Barnabas autem licet et ipse ab apostolis tanquam paganorum doctor agnitus sit, ita tamen est agnitus, ut minoris, quam Paulus, duceretur. Nam Petrus et qui cum eo Hebraeos instituebant, Iacobus et Ioannes, cum Paulo et Barn. pepigisse traduntur, ut, quemadmodum ipsi Iudaeos, ita illi paganos erudirent (ibid. v. 9.). Quo quidem loco Iacobum et Ioannem, qui, etsi ex apostolis erant praestantissimis, tamen non tanta, quanta Petrus, auctoritate gaudebant, non secus cum Petro, atque cum Paulo Barnabam iungi videmus *). Sed tum, quum P. et B. eranum Hierosolyma ferrent, atque adeo ad illud usque tempus, quo Asiae minoris partes orientales lustrare coeperunt, Paulus Barnaba inferior erat; neque enim solum *a Barn. electus esse* traditur, qui eum tanquam socius adiuvaret (Act. 11, 25.), sed et eius nomen a Luca Barnabae nomini postponitur (11, 30. 12, 25. 13, 2. 7.); quid quod ultimus appellatur inter eos, qui tunc Antiochiae degebant, prophetas, quum Barnabae nomen primum occupet locum (13, 1.). Sed dum in illo versantur itinere, Paulus, quoniam pro ingenii excellentia primas in evangelio disseminando partes agere solebat (cf. 13, 9—11. 16—41. 45. 14, 9 sq. 12. [*αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου*] 19.), magis in dies auctoritate valere coepit; unde factum est, ut Lucas iam c. 13, v. 13. Paulum cum Barn. et Marco *τοὺς περὶ τὸν Παῦλον* diceret, eiusque nomen saepius (his tantum locis exceptis: 14, 12. 14. 15, 12. [25.]) anteponeret (cf. 13, 43. 46. 50. 15, 2. 22. 35.) *Praeterea* nec Paulus, nec Barnabas, priusquam ab itinere in Asiam minorem suscepto redierant, praecipui gentilium doctores haberi (cf. Gal. 2, 9 sq.) facile poterant. Nam etsi Paulus, postquam in Cilicia certe, ut videtur (Act. 9, 30. 11, 25. coll. 15, 23. 41.), paganos instituit, Antiochiae una cum Barnaba per integrum fere annum iisdem erudiendis operam dederat (Act. 11, 26. coll. vv. 20—22.), tamen ut illi prae reliquis, qui huic negotio incumbebant (cf. Act. 11, 20. 13, 1.), idonei crederentur ad evangelium paganis adnunciandum, nescio an hoc demum iter efficere potuerit, in quo et per tantum terrarum ambitum, et tam prospero cum successu gentiles edocuerant. Anni *denique* illi quatuordecim, qui Gal. 2, 1. commemorantur, tantam iis, qui de itinere cogitant ad famem sublevandam facto, difficultatem afferunt, ut magna eorum pars lectionem *δεκατεσσάρων*, totius illam quidem antiquitatis testimoniis firmatam, in *τεσσάρων* mutandam esse censeret h).

---

g) Cf. 1 Cor. 1, 12., ubi Christianos quosdam (sine dubio, qui legem Mosaicam strenue sequebantur) nomen sibi a *Petro* indidisse legimus. *) His addi possit, eadem aetate Paulum Petro ipsi publice se opposuisse (Gal. 2, 11 sqq.). Sed quamquam maxime probabilis est eorum sententia, qui hanc contentionem brevi post illud, quod Gal. 2, 1 sqq. describitur, iter accidisse censent (qua de re infra dicetur), tamen, quia illud non ita potest demonstrari, ut nihil dubitationis reliquum sit, hoc argumento uti noluimus. h) Iisdem fere argumentis Paulum l. c. de seriore, quam

Sed licet haec omnia eo valeant, ut, si quod Paulus isto loco iter retulit, quod a Luca memoriae proditum est, unum illud retulisse dicendus sit, quod Act. c. 15. exponitur: tamen, quia in egregio, quem supra declaravimus, utriusque narrationis consensu nonnulla inveniuntur, in quibus altera minus congruere cum altera videtur, dubitari queat, an maiore cum iure aliud quoddam, quod Lucas silentio transierit, iter intelligatur. Verum praeterquam quod eiusmodi coniecturam in summa demum necessitate admittere licet: sunt, quibus edoceamur, illud, de quo apostolus loquitur, iter, quemadmodum *non serius* factum est *aetate Act. c. 15. descripta* (v. p. 141 sq.), ita *nec prius* esse susceptum. Etenim si apostoli iam antea, Paulo sub ipsorum oculis Ethnico-Christianorum libertatem a lege Mosaica defendente *i*), se neque hac, neque alia in re ab eo dissentire et verbis et factis demonstrassent (Gal. 2, 3. 6 sqq.) *k*): quid, quaeso, lite serius de eadem quaestione inter Antiochenos mota (Act. 15, 1 sq.), magis est incredibile, quam hos, ut cognoscerent, quid apostoli ea de re sentirent, Paulum cum Barnaba aliisque Hierosolyma misisse? Nam etsi non prius, quomodo illo tempore ab apostolis statutum fuerit, accepissent; sine ulla dubitatione tum certe, quum contentio ista Antiochiae orta esset, a Paulo et Barnaba didicissent.

Res quum ita se habeant, *non possumus, quin secundo epistolae ad Gal. capite aliud quam Act. capite XV. iter Pauli Hierosolymitanum literis mandatum esse negemus l*).

---

quod Act. c. 11. narretur, loqui itinere, demonstrare studuerunt vir ille doctus in Wachleri l.: neue theol. Annalen. I, p. 351., Hugius (l. l. II, p. 311.), Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 7.), Hemsenius (l. all. p. 68.), Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 159.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 17., isag. in ll. N. F. p. 224 sq., Eroerterung etc. p. 15 sq.), Rückertus (Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 321 sq.). *i*) Cf. Gal. 2, 4. 5.: *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χ. Ἰ. - - - οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ.* Hermannus quidem (in progr. de Pauli epistolae ad Gal. tribus primis capitibus, Lips. 1832, 4. p. 6.) apostolum postremis huius versiculi verbis hoc sibi voluisse censet: se fratribus illis non genuinis (qui irrepsissent, ut observarent, quid doceret, quod eum doctrinam Iesu pro suo arbitrio diffingere suspicarentur), his, inquam, hominibus se ne horae quidem spatium *Iesu obsequio segniorem fuisse.* Sed hanc viri summi interpretationem nec satis certis niti in argumentis, neque cum Paulino dicendi usu ex omni parte convenire (quippe ex quo voluntaria illa, quam Christiani Iesu ac Deo praestant, obedientia non ὑποταγή, sed ὑπακοή vocetur), Rückertus demonstravit (Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 344.). *k*) Praeterea ad locum Gal. 2, 11 sqq. provocare e re nostra esset, ubi P. se circa eandem (ut verisimillimum ducimus) aetatem, de qua v. 1 sqq. egerat, in ipsa Antiochenorum urbe Petro publice exprobrasse tradit, quod illam gentilium libertatem non agnoscere videretur; verumtamen ab huius loci usu propter eam, quam p. 143. not. * attulimus, causam abstinere maluimus. *l*) Obiter quaerendum videtur, annon forte cum Blochio et Schotto statuere liceat, Paulum Gal. 2, 1. peregrinationem ad apostolorum concilium susceptam ita commemorasse, ut simul aliquam certe itineris cum eranο Antiochenorum facti rationem haberet. Ac Blochius quidem (chronotax. p. 67 sq. not. 85.) voce *πάλιν duas, quas ap. μετὰ Βαρνάβα* susceperit, profectiones innui putat (hoc fere sensu: post annos XIV secundum, quod cum B. feci, iter Hier.

Neque tamen ab hoc loco discedere nobis licet, nisi, quibus argumentis ii, qui secus statuunt, et suas tueantur sententias, et nostram impugnent, in quaestionem vocaverimus. Atque haec disputatio ut ordine progrediatur, ante omnia de argumentis dicendum est *eorum, qui Paulum allato epistolae ad Gal. loco iter Act. c. 11. expositum describere putant.*

Primum igitur Paulum, si Galatis persuadere vellet, se ab apostolis nec institutum esse nec correctum, commemorato proximo, quod post conversionem ad Christi sacra Hierosolyma fecerit, itinere (Act. 9, 26. Gal. 1,18.) ita ad tertium (Act. 15.) transire potuisse negant, ut secundum (Act. 11.) prorsus negligeret [m]). Iam vero Blochius quidem et Schottus, Paulum hoc iter nequaquam omisisse, sed Gal. 2, 1. peregrinationem et tertiam et secundam indicasse, nullo tamen, ut vidimus *), iure, arbitrantur. Alii eum, priusquam ad conventum apost. proficisceretur, nonnisi *semel* Hierosolymis fuisse coniecerunt, eaque de causa Lucam in eo, quod de *duabus* loquatur peregrinationibus antea hanc in urbem susceptis, erroris insimulandum duxerunt. In quibus Schmidtius [n]) Paulum, quoniam ille, dum Gal. 1, 18. sese neget statim post suum ad Iesu castra transitum Hierosolyma petiisse, Lucae aperte repugnet, ut qui eum, quum Christi disciplinam amplexus Damasci vitae discrimen adiisset, illam in urbem migrasse referat (Act. 9, 25 sq.): hanc, inquam, ob causam apostolum non eo tempore, de quo Lucas hoc ipso loco agat, sed tum demum, quum Antiochenorum stipem attulerit (Act. 11, 30.), primum Hierosolyma venisse putat; quae opinio quam sit improbabilis, ex iis, quae supra [o]) disseruimus, satis, opinor, perspicitur. Aliam ingressus viam de Wettius [p]) profectionem Act. c. 15. memoratam, et hanc, quae ibid. c. 11. describitur, unam eandemque fuisse credit, quam

---

ingressus sum). Constat autem, Barnabam et in ea, quae Act. c. 11., et in hac, quae ibid. c. 15. memoratur, peregrinatione Paulo comitem adfuisse. At tum demum ferri explicatio ista posset, si P. antea de alio, quod cum eodem fecisset, itinere Hieros. meminisset. Schottus (Erörterung etc. p. 20 sq.), postquam monuit, verba: *διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν* ita reddi posse: *intra* annos XIV, *πάλιν* vero non solum de ea re dici, quam *semel iteratam*, sed et de ea, quam *saepius repetitam* cogitemus, totum versiculum sic intelligi posse coniicit: posthac, labentibus annis XIV (qui a meo ad Christi castra transitu effluxerant), Hierosolyma redii (non: *semel* redii) cum Barn. (Act. 11, 30.), deinde, Tito etiam in societatem adsumto (Act. c. 15.). At hoc si P. sibi voluisset, prorsus non potuisset, quin haec itinera additis certe, qualia sunt: *ἔπειτα δὲ, πάλιν δὲ*, vel quae sunt similia, distingueret, quorum accessio quam necessaria fuisset, Schottus etiam se agnoscere eo indicavit, quod ita vertit: „*dann* auch zugleich vom Titus begleitet." Inutilis praeterea fuisset itineris alterius mentio, nisi ap. pauca certe, quae eo in itinere evenissent, commemorasset. Ceterum V. D. ipse hanc interpretationem talem habet, quae non omnis expers sit dubitationis. — Quid vero fuerit, quod Pfaffium (diss. de ap. Paulo, p. 8.) moveret, ut Gal. 2, 1. de tertio, quod Lucas apostolum post conversionem Hierosolyma fecisse narrat, itinere (Act. c. 15.) intelligeret; pactum vero illud, de quo Gal. 2, 7—10. verba fiunt, in itinere quarto (Act. c. 18) initum esse crederet, ipse non declaravit. *m*) Ita Keilius (in Gableri Journ. f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 12 sq.), Süskindius (l. c. I, p. 159—161.), Niemeyerus (l. c. p. 15 sqq.), Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, part. 7. p. 644.), Boehlius (l. all. p. 108. not.). *) Not. l. *n*) Chronol. d. Ap. Gesch. p. 133. *o*) P. 127. *p*) L. c. p. 205. 215.

quidem Lucas, diversis usus in contexenda hac historia fontibus, in duo dispescuerit itinera. Quod si ponitur, illud quoque concedendum est, iter Act. cc. 13. et 14. traditum non differre ab eo, de quo 15, 41 — 16, 5. verba fiunt. Sed tanta est eorum, quae in his peregrinationibus accidisse narrantur, discrepantia (nam, ut pauca afferamus exempla, in altero itinere Pauli comites Barnabas et Marcus fuisse dicuntur, in altero Silas et Timotheus; nihil prorsus commune habent, quae 15, 41. et quae 13, 4 — 14, 4. leguntur, et q. s. rel.), tanta, inquam, in his est discrepantia, quae nullo modo cum de Wettio a mera negligentia derivari queat. Praeterea, quae 15, 38. 16, 1—5. exposita sunt, ne poterant quidem evenire, nisi *antecessissent,* quae 13, 13. 14, 6 sqq. memoriae produntur. Ammonius *q*) denique aut omnem de eo itinere, quod P. cum erano Antiocheno susceperit, narrationem ab errore scriptoris repetendam, aut ita statuendum existimat, Paulum discessisse quidem Antiochia, ut cum Barnaba pecunias illas Hierosolyma ferret, sed impeditum, quominus in hanc urbem perveniret, Tyri vel Caesareae mansisse, unde eum Barnabas, cum Marco reversus, Antiochiam reduxerit. Iam etsi haec, quae ultimo loco prolata est, sententia et reliquis, quas modo recensuimus, opinionibus, et alteri, quam idem vir doctissimus ad difficultatem removendam proposuit, coniecturae simplicitate quadam praestat — facilius enim Lucas, si quod Paulus iter Hieros. iniisset quidem, neque vero perfecisset, quam si prorsus non esset ingressus, in eum potuisset errorem induci, ut illud factum esse crederet — : tamen, si id, de quo agimus, dubium *salva Lucae fide* dirimi possit, hanc rationem praeferendam esse nemo negaverit. Itaque num vere apostolo iter secundum silentio transire non licuerit, est, quod in disceptationem vocemus.

Ac prima quidem specie haud parum commendari videtur eorum sententia, qui, quum Paulo non tam, quoties *Hierosolymis*, quam quoties *cum apostolis* sit versatus, commemorandum fuisse censeant, itineris istius mentionem ideo omitti potuisse existimant, quod ille tum apostolorum nullum convenerit *r*). Neque enim Lucas nisi *presbyteros* dicit, quibus P. et B. Antiochenorum eranum tradiderint (Act. 11, 30.), et suspicari liceat, apostolos omnes propter persecutionem eadem fere aetate ab Agrippa I. motam fugisse; nam Petrus, ut ex Act. 12, 17. discimus, quum Hierosolymis cederet, praeter *τοὺς ἀδελφοὺς* solum Iacobum (domini fratrem), quem ne fuisse quidem apostolum credimus, de rebus suis certiorem reddi iussit. Sed quia non satis constat, an Paulus ipso vexationis illius tempore Hierosolymis fuerit, et quia, si vel Iacobum solum ibi invenisset, tamen, quoniam ille apostolis non inferior habebatur, in hoc quoque itinere apostolum aliquem convenisse dici poterat: rectius, opinor, hac coniectura missa, num res alia ratione expediri queat, indagabimus.

Duo potissimum erant, de quibus Paulus Galatis persuadere vellet: primum, se suam sacrorum Christianorum cognitionem

q) In diario ab ipso edito: krit. Journ. etc. I, 3, p. 235. *r*) Ita Pearsonius (ann. Paul. p. 14. 19.), Spanhemius (hist. eccl. a Ch. nato, etc. opp. t. I. p. 535.), Whitbyus (in oper. bibl. anglic. tom. XV. p. 686. vers. Germ., teste Keilio, opuscc. p. 166. not. 9.), Bensonius (l. l. tom. II. p. 4.), Michaëlis (ad Act. 11, 30.), Hemsenius (l. l. p. 56 sq.), non refragante Schotto (Eroerterung etc. p. 18.).

apostolis non debere, deinde, nihilominus se neque alia in re, neque in eo, quod gentiles a lege Mos. liberandos esse doceat, a placitis apostolorum dissidere, sed fuisse adeo, quum rectius Petro de hac ipsa re sentiret. Ac priorem quidem huius disputationis partem ita absolvit, ut declararet, se post triennium demum, quam Christo nomen dedisset, Hierosolyma migrasse, neque alium ibi vidisse apostolum, quam Petrum, ac praeterea Iacobum, domini fratrem, neque amplius dies XV apud Petrum mansisse, urbe vero relicta in regiones se contulisse longe a sede apostolorum remotas. Ex quibus quum intelligeretur, eum iam initio, nullo Christi discipulo in consilium vocato, per longius temporis spatium evangelium disseminasse, satis patebat, eum suam rei Christianae notitiam non hausisse ex apostolorum institutione; neque erat, quod in hac re demonstranda diutius moraretur. Qua de causa si in eo, quod proxime insecutum est, itinere Hieros. nihil accidit, quo alterum illud, quod probaturus erat, se nulla in re dissentire ab apostolorum doctrina, ostendere posset, quid tandem huius itineris mentionem inferret s)? At, inquiunt, paucis certe ei indicandum erat, se ne tum quidem apostolorum disciplina usum esse, ne forte adversarii id, quod primo in itinere factum non esset, in secundo evenisse coniicerent. Sed si Paulus metuisset, ne tam suspiciosi essent Galatarum animi, in iis etiam, quae cap. 1. vv. 17—23. leguntur, accuratius versatus fuisset. Quid enim? nonne, si quis haec morosius excutere voluisset, in eam potuisset suspicionem perduci, ut Paulum vel per dies illos XV varia a Petro et Iacobo didicisse, vel, quum Damasci, et in Arabia, et in Syria Ciliciaque degeret, apostolorum unum vel alterum ad eum venisse crederet t)? — Quae si recte disputata sunt, ex *loci nostri consilio* probari non posse apparet, Paulum cap. 2. de eo dixisse itinere, quod Act. 11, 30. memoratur. Sed ad alia, quibus hanc sententiam defendere student, argumenta nos convertamus.

Provocant igitur ad particulam *πάλιν* (Gal. 2, 1.), quam, etsi non per se, at hoc tamen nexu idem ac *τὸ δεύτερον* significare contendunt v). Ita enim apostolum rerum suarum descriptionem instituere,

---

s) Süskindius quidem (l. c. I, p. 163 sq.) fieri non potuisse contendit, quin apostoli iam in itinere secundo, oratione, uti par fuerit, ad Pauli doctrinam conversa, suum ei assensum praeberent. Sed haec argumentatio si recte se haberet, idem iam primo in itinere a Petro et Iacobo factum esse sequeretur; quod quis tandem crediderit Paulum in describendis itineris illius rationibus (Gal. 1, 18. 19.) silentio praeteriturum fuisse? Causa potius quadam singulari (uti vir ille doctus in Wachleri Annalen etc. I, p. 334. bene observat) opus erat, ut accuratius de Pauli doctrina quaereretur; quam quidem itineris secundi aetate adfuisse, quis est, qui demonstraverit? t) Cf. Theilius (n. krit. Journ. tom. VIII. p. 174.), Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 156.), Rückertus (l. c. p. 324.). — Ceterum ex iis, quae modo exposita sunt, perspicitur, facilius etiam apostolo iter illud omittere licuisse, quod post secundum iter Hieros. in orientales Asiae minoris partes fecerat (Act. cc. 13. 14.). Itaque minus recte Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, part. 7. p. 654.) et Guerikius (Beitr. etc. p. 83 sq.) ei, quam nos defendimus, sententiae opponunt, proxime ante narrationem eam, quae Gal. 2, 1 sqq. inveniatur, profectionem commemorari ad *Cilices* susceptam, quorum terram P. in ea peregrinatione, quae iter tertium proxime antecesserit, ne intraverit quidem. v) Keilius (opuscc. p. 165., et in Gableri Journ.

ut ostendat, se statim post conversionem *non migrasse Hierosolyma*, aliquanto serius *primum*, ac, tempore longiore interposito, *denuo* iter in hanc urbem suscepisse; qua quidem in expositione vocula *πάλιν* ita referatur ad iter primum, ut non possit designare nisi iter *proxime* insecutum. •At quum *πάλιν*, ut illorum plurimi concedunt, *per se* non *proximam* alicuius rei *iterationem*, sed omnino *repetitionem aliquam* denotet, neque Pauli consilium (id quod modo intelleximus) hoc secum ferret, ut *singula*, quae in urbem sanctam fecisset, *itinera deinceps enarraret:* non video, quidni iter illud, quod commemorato itinere primo se *πάλιν* iniisse tradit, aeque *unum ex iis*, *quae serius fecit*, atque *hoc*, *quod proxime post suscepit*, haberi possit. Neque vox *ἔπειτα* (2, 1.), quam praeterea Küchlerus *x*) urget, quidquam ad rem facit, quippe qua nonnisi hoc indicetur, peregrinationem Gal. c. 2. relatam *post iter* 1, 21. *proditum* susceptam esse, an vero *proxime post* suscepta sit, non accuratius definiatur.

Porro maxime a veri specie alienum censent, Petrum et Barnabam, quum vix, ipsis operam suam adiungentibus, decretum ab apostolis factum esset de Ethnico-Christianis legi Mosaicae non subiiciendis (Act. 15, 23—29.), ac Petrus singulari oratione hanc illorum libertatem egregie defendisset (Act. 15, 7—11.), contra suam ipsorum persuasionem et contra decreti apostolici auctoritatem ab arctiore gentilium commercio se subduxisse, et Paulum, quum Petrum hanc ob causam increparet, neque inconstantiae illum, neque decreti neglecti admonuisse (Gal. 2, 11—21.) *y*). Hanc difficultatem nequaquam ita diluere studebimus, ut cum aliis *z*) ea, quae de Petro et Barnaba Gal. 2, 11 sqq. narrantur, prius gesta dicamus, quam haec, quorum mentio fit cap. ineunte; nam quia ex omni loco, Paulum res suas secundum temporum seriem digessisse apparet, haec quoque eodem, quo tradita sunt, ordine se excepisse arbitramur *a*). Illud potius

---

f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 12.), Süskindius (l. l. I, p. 158 sq.), Guerikius (Beitr. etc. p. 80 sq.), Küchlerus (l. all. p. 31.). Cf. etiam Boehlius (l. all. p. 108. not.). *x*) L. c. p. 30. *y*) Ita Keilius (opuscc. p. 169 sq., in Gableri Journ. f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 23 sqq.), Gablerus (neuestes theol. Journ. II [1799], 2, p. 216.), Süskindius (l. l. I, p. 165 sqq.), Niemeyerus (l. c. p. 9.), Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, 7, p. 637.), Küchlerus (l. c. p. 33.). Cf. praeterea Calvinus (ad Gal. 2, 1.). *z*) Ita iam Augustinus (ep. 19.), chronicon Alex. (p. 548. 550. ed. Raderi), Grotius (ad Act. 2, 11.), Semlerus (prol. in paraphr. ep. ad Gal. §. 14., quamquam in paraphrasi ipsa, minus sibi constans, locum 2, 11. sic reddit: „accidit — ut Petrus aliquo tempore *post res Hierosolymis gestas* veniret Antiochiam"). Atque hi quidem Gal. c. 2. idem, quod Act. c. 15., iter referri existimant; Küchlerus vero (l. c. p. 30. 35. 41.), etsi, quae Gal. l. l. narrantur, accidisse putat in itinere Act. c. 11. exposito, tamen contentionem inter Petrum et Paulum ortam antecessisse arbitratur rebus Gal. 2, 1—10. traditis.— Ceterum Tertullianus quoque, quum (adv. Marc. I, 20.) Paulum, quo tempore haec inter ipsum et Petrum agerentur, *neophytum* ferventem fuisse dicat, litem illam itinere Hieros. 2, 1 sqq. memorato priorem habere videtur; neque enim facile eum, qui iam per annos certe XIV Christi partes secutus esset, *neophytum* appellasset. (Aliter de hoc loco Semlerus et Neander statuunt; cf. p. 129. not. h., p. 139. not. s.). *a*) Goeschenius (in tabula chronol., quam suae N. Ti editioni adiunxit, ad a. C. 52. et 55.), quamquam Gal. c. 2. et Act. c. 15. de eodem itinere Hieros. exponi censet, dubius tamen est, utrum Paulus

urgebimus, quod Petrus (Barnabae enim ratio haberi nulla potest, quia *Petri et reliquorum*, qui adfuerint, *Iudaeorum exemplis a recta via abductos esse* dicitur [2, 13.]), quod Petrus, inquam, quomodocunque de itinere Gal. 2, 1 sqq. narrato statuatur, inconstantiae absolvi nequit. Etenim idem iam ante secundam Pauli profectionem Hierosolymitanam, arctiorem gentilium consuetudinem Iudaeis licitam esse, viso coelesti monitus, docuerat (cf. Act. 10, 1—11, 18.); idem haud ita multo antequam ex itinere Gal. 2, 1 sqq. exposito Antiochiam redierat, eo, quod nulla in re Pauli doctrinam correxerat, et quod eundem tanquam gentium apostolum agnoverat (Gal. 2, 6—9.), eius sententiam de ritibus Mosaicis non observandis probaverat; idem, priusquam τινὲς ἀπὸ Ἰακώβου venerant, commercio ethnicorum usus, quid eadem de re sentiret, facto demonstraverat. Verumtamen, inquiunt, si haec post conventum apost. accidissent, Paulus Petro haud dubie exprobrasset, quod contra *decretum hoc in concilio factum* egisset. At huic illum decreto vere repugnasse, quam maxime dubitamus. Primum enim apostoli nihil aliud constituisse traduntur, quam *paganos* ab observandis omnibus fere praeceptis Mosaicis liberandos esse; quae quatenus *Iudaeo*-Christianis vel omnibus, vel iis certe, qui inter gentiles Iesu addictos versarentur, sequenda essent, tum ne quaesivisse quidem videntur. Deinde, etsi fieri potuisse concedimus, ut Petrus eo, quod cum paganis συνεσθίειν nolebat, horum nonnullos contra, quam decretum illud ferebat, ad amplectendos Iudaeorum mores permoveret, tamen, *hoc tum iam factum esse,* nemo docuerit; nam Gal. 2, 3. nonnisi de *Barnaba* et *Iudaeis reliquis* agitur, et, quae v. 14. leguntur: τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις Ἰουδαΐζειν; de eo, *quod fieri poterat,* intelligi licet [b]).

Deinde in eo sese offendere monent, quod inter eas res, quae Hierosolymis tum gestae dicantur, neque *concilium* [c]) commemoretur, neque *decretum apostolorum* [d]). Tantum enim abesse, ut conventus *publici* vestigium reperiatur, ut nonnisi *privatim* inter Paulum et apostolos actum esse appareat (Gal. 2, 2.: *ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι· κατ᾽ ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι*). At quid? si P. enarrato, quod privatim cum apostolis summis habuerat, colloquio facilius, quam relatis, quae in concilio publico accidissent, demonstrabat, apostolos nulla in re ab ipsius doctrina dissentire, nonne recte, conventus publici mentione omissa, de illo tantum colloquio tradidit? Sed ne abesse quidem a loco nostro omne publicae disceptationis indicium censemus; nam ex interpretatione ea,

---

Petrum reprehenderit, quum ex hac ipsa peregrinatione, an, quum ex itinere Hieros. quarto Antiochiam reversus esset. Sed quoniam vix credibile est, Barnabam ea aetate, quae Act. 18, 22. attingitur, in Pauli societate fuisse, hanc litem ad illud potius tempus referimus, quod ibid. 15, 30—39. describitur. *b*) Ceterum si vel fuisset in ista agendi ratione, quod non convenisset cum decreto apostolorum, gravius haud dubie Paulus eam rem Petro exprobrabat, si eam ab ipsa doctrinae Christianae natura alienam, quam si decreto illi contrariam esse ostendebat. Cf. Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 157 sq.). *c*) Ita Keilius (opuscc. p. 163., in Gableri Journ. f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 15.), Guerikius (l. mem. p. 84.), Küchlerus (l. c. p. 33.). Cff. etiam Paulus (Heidelb. Jahrbb. l. all. p. 645.) et Boehlius (l. c. p. 108 sq. not.). *d*) Sic Paulus (ibid. p. 647.), Küchlerus (l. c. p. 33.).

quae simplicissima est, P. verbis: *ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον — —, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι*, haud obscure innuit, se suam evangelii tradendi rationem *non tantum κατ' ἰδίαν, neque cum solis τοῖς δοκοῦσι* communicasse [e]). Ac videtur P. eam ipsam ob causam, quod intelligeret, fore, ut sua sibi doctrina *publice* exponenda esset, antea *privatim* de eadem re cum apostolis egisse; hoc enim modo cavebat, ne, si qua forte in re illis vituperandus videretur, coram presbyterorum coetu (Act. 15, 6.) vituperaretur, eoque ipsius auctoritas labefactaretur [f]). — Quod vero nullam iniecit *decreti apostolici* mentionem, quo facto luculentissime ostendere potuisset, quantopere apostoli secum consentirent, id parum habet momenti; nam quum illos in omni omnino re assensum sibi praebuisse, v. 6. docuisset, quid tandem praeterea opus erat commemorare, eos de gentilium libertate ab observanda lege Mosaica non aliter quam se ipsum statuisse [g])?

Porro itineris Act. c. 11. narrati et *ansam* et *consilium*, et *varia, quae eam peregrinationem insecuta sint*, egregie cum iis convenire dicunt, quae in ep. ad Gal. c. 2. referantur. Etenim *ansam* itineris, quam Agabus, teste Luca (Act. 11, 28.), eo praebuerit, quod *διὰ τοῦ πνεύματος* famem praedixisset in Iudaea grassaturam, Gal. 2, 2. verbis: *ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν*, indicari censent [h]). Sed praeterquam quod omnino, si quis *κατ' ἀποκ.* fecisse aliquid dicitur, non potest facile intelligi nisi revelatio illi concessa, de quo agitur [i]): nostro loco P. de eiusmodi monitu divino loquitur, *quo perductus fuerit, ut doctrinae suae rationem cum Hierosolymitanis communicaret*; neque enim aliam ob causam haec, de quibus quaeritur, verba adiecisse putandus est, quam ut ostenderet, se ad eam, quam Deus ipse sibi tradidisset (Gal. 1, 13. 16. cll. 1.), doctrinam illis proponendam (atque ita eorum quasi iudicio subiiciendam), nisi iussu coelesti commotus esset, non fuisse profecturum. Haec vero quam parum in illam quadrent *ἀποκάλυψιν*, quae Agabo evenit, quis est, quin videat? At, inquis, si res ita se habet, Paulus Gal. c. 2. non solum de secundo, sed ne de tertio quidem itinere Hierosol. disseruit; neque enim Lucas (Act. 15, 2.) eum *coelesti obsecutum mandato*, sed *legatum ab Antiochenis* hoc iter adiisse narrat. Sed parvi est, quae hac in re inest difficultas; quam quum alii alia ratione tollere studuerint [k]), rectissime diluisse ii videntur, qui *ad voluntatem*

---

e) Quod Guerikius (l. c. p. 84. not.) observat, apostolo, si hoc sibi voluisset, scribendum fuisse: *ἔτι δὲ κατ' ἰδίαν*, id non concedimus; neque enim P. in antecedentibus *diserte publicam* evangelii expositionem commemoraverat, sed simpliciter, se doctrinam suam Hierosolymitanis tradidisse, narraverat. f) Cf. Winerus (ad Gal. 2, 2.), Neander (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. Kirche etc. tom. I. p. 146., potissimum not. 2.). g) Cf. p. 136. not. 1. h) Ita Keilius (opuscc. p. 167 sq., in Journ. f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 20.), Rosenmüllerus (in schol. ad Gal. 2, 2.), Küchlerus (l. l. p. 32. 40.). i) Uti Gablerus ipse (neuest. theol. Journ. tom. II. [1799] part. 2. p. 211 sq. 215., Journ. f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 20. not.) et Guerikius (l. l. p. 82. not. 142.) bene monuerunt. k) Io. Frid. Grunerus (in commentat. de itinere Pauli Hierosolymitano ad Gal. 2, 1., inserta eius misc. sacr. fasc. I., Ienae 1750, 4. p. 5 sq.) verba *ἀνέβην — ἀποκάλυψιν* ita reddit: „profectus autem sum *ad declarationem*

Antiochenorum accessisse coniecerunt *significationem divinam*, Lucae ignotam, quae apostolum permoverit, ut illorum precibus cederet l).— *Deinde* ad primarium itineris secundi *consilium*, quod Lucas Act. 11, 29 sq. in eo posuerit, ut Antiochenorum eranus ad pauperes Hieros. afferretur, Gal. 2, 10. verbis his respici existimant: *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν* m). Quae si diserte hunc exprimerent sensum, petiisse apostolos, ut P. et Barn. pauperum memores esse *pergerent* n), probabilius sane in secunda profectione Hier., quam in tertia prolata esse crederentur. Sed quum simpliciter hanc contineant admonitionem, ut ne pauperum illi obliviscerentur: neutram sententiam iis vel infirmari posse vel confirmari, nulla est dubitatio. Quis vero est, cui Keilius o) persuadeat, in verbis etiam sequentibus: *ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι*, vestigium inesse stipis tum a P. ad Hierosolymitanos perlatae, quippe quae ita possint intelligi: „quemadmodum hoc ipsum facere *modo studueram*"? — Addit Küchlerus p), cum verbis Gal. 2, 9. positis: *ἵνα ἡμεῖς μὲν εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν*, egregie illud convenire, quod Paulus, ab itinere Act. c. 11. narrato Antiochiam reversus, in Asiam minorem ad ethnicos edocendos se contulerit. Sed nonne idem de iis quoque itineribus valet, quae profectionem Hier. *tertiam* sunt insecuta? — Itineris *denique* a Petro Antiochiam facti (Gal. 2, 11.) vestigium Gablerus q) inveniri putat Act. 12, 17., ubi Lucas de hoc apostolo, *ἐπορεύθη*, ait, *εἰς ἕτερον τόπον*. Sed neque diserte Petrus tum Antiochiam migrasse dicitur, neque est, quod nos impediat, quominus eum post concilium Hieros. eandem urbem petiisse existimemus. — r)

---

petendam"; Nort. Knatchbullus (in adnott. in ll. N. T. subiectis Io. Doughtaei analectis ss. Amst. 1693, 8. p. 95.) eadem de *rumore quodam*, sive fama, sive verbo, sive epistola *ad Paulum perlato* accipit; quos bene Keilius (opuscc. p. 163.) refutavit. Neque cum Eichhornio (allg. Bibl. d. bibl. Lit vol. VI. p. 28.) et Schleusnero (in lex. N. T. s. v. *ἀποκάλυψις*) monitum illud de *ipso Antiochenorum decreto* intelligi posse, per se patet. — Hermannus (de P. ep. ad Gal. trib. prim. capp. p. 6.) verba: *κατὰ ἀποκ.* ita reddit: „*explicationis causa*, i. e. ut patefieret inter ipsos, quae vera esset Iesu doctrina". Sed neque hanc interpretationem admitti licere, Rückertus demonstravit (l. l. p. 343.).
l) Sic Grotius, Semlerus, Michaëlis, Koppius, Borgerus, Winerus, Flattus, ad Gal. 2, 2., Lud. Cappellus (hist. ap. append. p. 54.), Henkius (ad Paleyium, p. 425 sqq.), vir ille doctus in Wachleri Annal. etc. I, p. 353., Hemsenius (l. l. p. 89.), alii.
m) Ita Keilius (opuscc. p. 167. et in Gableri Journ. f. aus. th. Lit. III, 1, p. 18.), Süskindius (l. c. I, p. 168.), Bertholdtius (l. l. V, p. 2710.), Paulus (l. c. p. 646.), Guerikius (l. all. p. 82.), Küchlerus (l. c. p. 32.), Boehlius (l. mem. p. 109. not.). n) Perperam Süskindius (l. c.), ut hunc verbis sensum vindicet, ad Io. ev. 4, 50. provocat, ubi haec: *ὁ υἱός σου ζῇ*, reddi vult: „filius tuus *vivere perget*". — o) In Gableri Journ. f. auserl. th. Lit. III, 1, p. 19.). p) L. l. p. 32. q) Neuest. th. Journ. II [1799], 2, p. 216. Cf. etiam Küchlerus (l. c. p. 35.). r) Ceterum cf., quae contra hanc, quam modo in quaestionem vocavimus, de itinere Gal. 2, 1 sqq. tradito sententiam Vogelius dixit (l. c. p. 252 sqq.), vir ille doctus in Wachleri Annalen etc. I, p. 349 sq.), Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 155 sqq.), Flattus (Vorlesungen üb. d. Brr. P. an d. Gal. etc. p. 35 sqq.), Hemsenius (l. c. p. 54 sqq.), Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 16 sq., in isag. in ll. N. F. p. 224., Eroerterung etc.

Atque haec fere sunt, quibus probare student, Gal. 2, 1 sqq. non aliam, quam Act. 11, 30., indicari peregrinationem. In quibus diiudicandis dum operam collocamus, simul plurima eorum argumenta in disceptationem vocavimus, qui illo epistolae ad Gal. loco profectionem inter itinera Act. c. 11. et c. 15. memorata intermediam referri putant. Qui quum ab illis eo dissentiant, quod Gal. 2, 1 sqq. talia inveniri agnoscunt, quae non quadrent in secundum Pauli iter Hier., tamen, ut hoc loco iter indicari doceant et diversum ab eo, quod Act. c. 15. describitur, et prius susceptum, iisdem fere, atque isti, argumentis utuntur. Neque multum discrepant, quas Weismannus, ut omnino de priore, quam quod Act. c. 15. narratur, itinere cogitandum esse demonstret, rationes affert. Eo enim hi et ipsi provocare solent, quod incredibile sit, Petrum et Barnabam tantae fuisse inconstantiae, ut concilio peracto eam inirent agendi rationem, de qua P. Gal. 2, 11 sqq. loquatur, et, si res vere ita se habuisset, Paulum iis non opposuisse apostolorum decretum *s*); deinde, quod iter ipsum *κατὰ ἀποκάλυψιν* sit susceptum *t*); denique, quod inter ea, quae tum Hierosolymis gesta dicuntur, non *publicus* commemoretur conventus, sed colloquium *privatim* cum apostolis habitum *v*). His Basnagius *x*) praeter alia, quae levissima sunt, addit, diversum fuisse itineris eius, quod epistolae loco laud., et illius, quod Act. c. 15. referatur, *consilium*; alterum enim Paulum fecisse „ab Antiochena ecclesia legatum de comprimendo tumultu, quem caecus ceremoniarum amor hac in urbe movisset", alterum, „ut apostolis, qui versabantur Hierosolymae, exponeret evangelium, quod praedicabat apud gentes." At quum falsi illi Antiochenorum praeceptores haud dubie in defendenda rituum necessitate Pauli potissimum placita impugnassent, hic eo ipso, quod cum apostolis suam docendi rationem communicavit, occasionem iis praebuit controversiae illius recte et iudicandae et dirimendae. — Ceterum quod Basnagius et Paleyius arbitrantur, id, de quo agimus, iter post profectionem eam, quae Act. cc. 13. et 14. narratur, susceptam esse, improbabilius etiam est Bezae sententia, qui idem antea factum esse coniicit; nam P. et Barn. ea, quae in peregrinatione illa Asiatica acciderunt, in conventu demum apostolorum Hierosolymitanis tradiderunt (Act. 15, 12. cll. vv. 4. 8. et 14, 27.). — *y*)

His expositis sequitur, ut ad *eos* transeamus, *qui hoc*, de quo quaeritur, *iter post concilium illud factum esse existimant.* Ac Lutherus quidem, quem peregrinationem omnino hoc conventu seriorem intelligere vidimus, quum sic disputet: Actorum narrationem ita se habere, ut concilium Hieros. prius, quam elapso tanto, quantum Gal. 2, 1. indicetur, post Pauli conversionem intervallo

---

p. 16 sqq.), Rückertus (l. all. p. 323 sqq.). *s*) Ita Beza (ad Gal. 2, 1.), Basnagius (ann. ad a. 50. §. V.); similiter Weismannus (teste Flatto, l. all. p. 43 sq.) *t*) Cf. Beza (ibid.), Basnagius (ad a. 50. §. IV.), Paleyius (l. c. p. 166 sq.), Weismannus (ap. Flattum, l. c. p. 43.). *v*) Sic Beza (ibid.), Paleyius (l. c. p. 167.). *x*) L. c. §. IV. Nec multum discrepat Weismannus (ap. Flatt. p. 43.). *y*) Praeterea cf., quae Paleyio Henkius opposuit in notis, quas libri Paleyiani versioni germanicae adnexuit, p. 221 sqq.

collocari possit, eiusmodi affert argumentum, quod quam sit ambiguum, facile apparet *).

Ex iis autem, qui iter nostrum *certo* cuidam, quod apostolorum conventum exceperit, *tempori* assignant, primus nobis occurrit vir ille doctus, cui de *itinere* cogitandum videtur *brevissime post suscepto*. Qui quidem ita disserit: Christianorum eorum, qui tenaciter ritibus Mosaicis adhaesissent, odium in Paulum, quum iam ante concilium illud sese exseruisset, postea nequaquam esse exstinctum (cll. Act. 21, 20—22.). Horum igitur nonnullos, Paulo ex urbe sancta reverso, Antiochiae turbas movisse, eoque effecisse, ut P. et Barn. denuo Hierosolyma tenderent. Neque tamen, quibus innixus argumentis ita statuat, exposuit. Sed quibus tandem cunque permotus sit rationibus: ridiculum fere fuisset, si Paulus, vix ab apostolis redux, propter eandem, quam illi modo diremissent, controversiam denuo tantum iter ingressus esset.

Ad eam vero sententiam quod attinet, ex qua *iter* intelligitur *Act.* 18, 22. *relatum:* in diiudicandis, quae ad eam stabiliendam afferuntur, ita sumus versati, ut, praecipua Koehleri ratione habita, qui maxime omnium in ea defendenda elaboravit, reliquorum argumenta, quae nobis quidem innotuerunt, si memoratu non indigna haberemus, quibus locis aptissimum videretur, adiiceremus. *Primum* igitur V. D. (p. 20. *a*)) monet, Paulum in ep. ad Gal. hoc agere, ut contra adversarios auctoritatem suam apostolicam ostendat, ac doctrinae suae et rationem exponat et originem divinam tueatur; quibus demonstrandis neque iter secundum aptum fuisse contendit, quippe in quo ei ne consilium quidem fuerit cum apostolis de doctrina sua colloquendi; nec vero iter tertium, utpote quod a Paulo tanquam *Antiochenorum legato* susceptum sit ad defendenda *eiusmodi placita*, *quae ab omnibus* [?] *paganorum doctoribus recepta et ipsis Iudaeae ecclesiis* [?] *probata fuerint* (Act. 11, 18.), non, ut veritatem demonstraret *eorum, quae suae doctrinae peculiaria essent*. Sed ut alia taceamus, quae in his minus recte disputata videntur, nullo modo concedimus, profectionem Act. c. 15. descriptam ideo, quod P. eam susceperit *ab Antiochenis legatus*, non fuisse eiusmodi, quam afferre potuisset ad declarandam *auctoritatem suam apostolicam*; quid est enim, quod nos impediat, quominus illam potissimum ἀποκάλυψιν, cuius mentio fit Gal. 2, 1. in causa fuisse credamus, ut, quod Antiocheni cupiebant, id Paulus exsequeretur, ita ut non tam *ab Antiochenis*, quam *a Deo ipso missus esse* recte diceretur *b*)? Neque intelligimus, quidni ex eius re fuerit, peregrinationem commemorare, in qua non de iis actum esset, quae ipsius doctrinae peculiaria, sed quae ei cum aliorum sententiis communia essent; quid enim? nonne Gal. 2, 1 sqq. quam maxime in eo versatur, ut, quem

---

z) Chrysostomus, quem in eadem, ac Lutherum, de hoc itinere sententia fuisse memoravimus, cur ita statuat, ipse non docuit. *a*) Eius libelli locos afferimus, cui titulus est: Abfassgszt d. epist. Schften etc. *b*) Ceterum eadem de causa neque illud, quod et Koehlerus (p. 24.) et Hofmannus (ad Pritium, p. 259.) argumentum inde petunt, quod P. Act. 15, 2. ab Antiochenis missus, sed Gal. 2, 1. iussu divino permotus in viam se dedisse narratur, ullius esse momenti apparet. Cf. supra p. 150 sq.

nonnulli negaverant, doctrinae suae cum placitis apostolorum *consensum* tueatur? — *Addit* Koehlerus (p. 20 sq.), Paulum Gal. 2, 2. per evangelium a se inter gentes propagatum intelligere doctrinam de sacrorum libertate, *quatenus illa Christianis per salutarem Iesu mortem comparata sit.* Prius enim apostolum hanc paganorum libertatem non a Christi morte, sed, ut alios doctores (v. g. Petrum, Act. 11, 17. 15, 9 sqq.), inde petiisse statuit, quod gentiles non secus ac Iudaei donis spiritus sancti ornentur (cf. p. 27.). Iam vero novam istam doctrinam Paulo traditam esse dicit per ἀποκάλυψιν quandam (Rom. 16, 25 sq. 1 Cor. 2, 10. Gal. 1, 12. Eph. 3, 12. [potius 3 sqq.]), quae quidem non prius ei contigerit, quam post concilium apostolorum, quoniam alioquin haud dubie Iacobo in ipso illo concilio ethnicorum libertatem limitibus includenti (Act. 15, 19. 20.) Christi ipsius auctoritatem opposuisset. Atque hoc quidem concedimus, doctrinae a Paulo secundum Gal. 2, 2. cum apostolis communicatae partem primariam egisse de Christianis a lege Mos. liberandis, in eoque loco defendendo illum prae ceteris ad mortem, quam Christus pro omnibus obierit, provocasse; sed eum accepta demum post concilium Hieros. significatione divina ad hanc doctrinam comprobandam illo uti coepisse argumento, vix cuiquam persuadeatur. Nam si vel Paulus iis, quos K. attulit, locis se per ἀποκάλυψιν didicisse testaretur, *illam paganorum libertatem a Iesu morte esse derivandam* (quamquam hoc ne locis quidem Eph. 2, 3 sqq., et Gal. 1, 12., nedum iis, qui ex epp. ad Rom. et ad Cor. petiti sunt, diserte dici, nemo est, quin videat *c*)): tamen non haberemus, cur de alia cogitaremus institutione coelesti, quam quae apostolo tum, quum primum ad Iesu sacra transiret, contigerit (Gal. 1, 16.). Certe, ut ἀποκάλυψιν intelligamus conventum Hieros. seriorem, nequaquam eo permovemur, quod Paulus hoc in concilio ethnicorum libertatem a Iacobo circumscribi passus est; nam quum ille hac sola de causa paganis praecepta quaedam Mos. iniunxisse putandus sit, ut ne dissidium oriretur inter Iudaeos et gentiles ad Christum transgressos: profecto Paulus, si ei sese opposuisset, prorsus alienus fuisset a sapientia illa atque humanitate, qua alias (v. g. 1 Cor. cc. 8. et 9.) gentiles docuit, concordiae causa aliquid cedendum esse de libertate Christianis permissa. Ceterum quod K. Paulum ante concilium paganorum libertatem ita tuitum esse contendit, ut ad dona spiritus sancti provocaret his aeque ac Iudaeis impertita, id nonnisi in coniectura positum est. — *Porro* idem e formis numeri *singularis* Gal. 2, 2.: ἀνέβην, ἀνεθέμην, κηρύσσω, τρέχω, ἔδραμον, siquidem conferantur cum formis numeri *pluralis* Act. 15, 2—4. 15. obviis, patere existimat, Paulum *auctorem* fuisse profectionis in ep. ad Gal. traditae, unde eum hoc iter nec prius, quam post Barnabae digressum (Act. 15, 39.), nec tanquam Antiochenorum legatum iniisse concludit. Sane P. itineris auctorem fuisse largimur; non tam illo K. argumento permoti (intererat enim apostoli, ex

---

c) Nam Eph. 3, 3 [illegible] se divinitus edoctum esse dicit, *salutem a Christo effectam ad* [illegible] *quoque pertinere*; Gal. 1, 12. *evangelium Galatis* [illegible] *se allatum* [illegible] institutionem coelestem refert, nulla nec libertatis paganorum [illegible] observandis Iudaeorum ritibus, nec mortis Iesu mentione iniecta. Ceteri vero loci prorsus a re alieni sunt.

iis, quae tum gesta essent, *suas potissimum res* excerpere), quam quia P. Barn. comitem elegerat; sed, quomodo inde sequatur, hoc iter post illum B. discessum factum esse, non perspicimus. Qua vero ratione nobis hoc, quod Lucas apostolum ab Antiochenis ad conventum Hieros. missum esse refert, conciliandum videatur cum iis, quae ipse Gal. 2, 1. memorat, supra iam declaravimus. — Concilii tempore, ita V. D. *pergit* (p. 21 sq.), Paulus Barnaba inferior erat, eiusque nomen in literis concilio peracto scriptis Barnabae postponitur (Act. 15, 25.); quomodo igitur tum vel Paulus sibi ipse primum inter gentium doctores locum vindicare, vel apostoli hunc ei honorem concedere poterant, id quod factum esse legimus in itinere Gal. c. 2. narrato (v. 7.)? Sed quid sit, quod nos moveat, ut iam in itinere Act. cc. 13. 14. exposito Paulum maiorem, quam Barnabam, auctoritatem consecutum esse arbitremur, supra (p. 143.) ostendimus; quod vero Act. 15, 25. Paulus post Barn. nominatur, in eo summam apostolorum humanitatem agnoscimus; nam Barnabas ante P. ad Christi castra transierat; eidem variorum beneficiorum auctor fuerat (Act. 9, 27. 11, 25.), et prius Paulo de ecclesia Antiochena (ad quam epistola erat deferenda) bene meruerat. — *Porro*, e loco Gal. 2, 7—10. intelligi, K. monet, convenisse inter apostolos, ut Barnabas et P. gentibus, Iacobus vero, Petrus et Ioannes Iudaeis evangelium traderent, ac Paulum *prae ceteris* paganorum rebus esse praepositum. At concilii tempore duumviros illos summis istis apostolis inferiores habitos esse, quippe qui nec in literis a concilio profectis apostoli dicantur, nec soli, sed cum Iuda et Sila Antiochiam missi sint, quibus iniunctum fuerit, ut ea, quae Hierosolymis decreta essent, et ipsi facienda curarent. Verumtamen Silam et Iudam minoris, quam P. et Barn., auctoritatis fuisse, satis inde apparet, quod Silas brevi post a Paulo itineris socius electus est (Act. 15, 40.); neque ea, quam K. fingit, de causa missi illi videntur, sed ut apostoli mox comperirent, quid per decretum Antiochiae effectum esset — P. enim et B. post longius demum intervallum rediturі erant —, et quia ad convincendos Pauli et Barnabae adversarios, quos verisimile erat neque his, neque iis, qui una cum P. et B. Hierosolyma petierant, solis fidem habituros esse, necesse erat, aliquos Hierosolymitanorum legatos adiungi, qui apostolorum sententiam uberius explicarent. Quod vero P. et Barn. ne apostoli quidem vocantur, in eo non est, cur offendamus; quid enim *opus erat*, eos illa in epistola *hoc praecipue nomine* appellari? — Maxime autem sententiam suam iis confirmari K. existimat, quae Rom. 15, 19. leguntur: ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον. Quo loco formam: πληροῦν τὸ εὐαγγέλιον significare censet: doctrinam tradere perfectam, et perfectiorem quidem, quam tempore eodem alii eam tradiderint. Doctrinam istam perfectiorem in eo positam fuisse, addit, quod P., institutione usus divina, missis opinionibus praeiudicatis, rem Christianam (secus atque apostoli reliqui fecerint) penitus solverit Iudaismi vinculis. Eiusmodi igitur de re Paulum dicere putat, quae, quia ei *peculiaris* fuerit, ad aetatem pertinuerit *eius discessum a Barnaba insecutam*. Ac, quoniam apostolus ab hoc inde digressu, donec ad Rom. scriberet, nonnisi illo in itinere Hierosolyma adiit, quod Act. 18, 18 sqq. describitur, eam

Pauli inter Hierosolymitanos commorationem, quae Rom. 15, 19. (verbis his: ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ) indicetur, eandem esse arbitratur, quae Act. l. c. memoretur. Iam vero quum eandem doctrinam perfectiorem in itinere Gal. c. 2. tradito a Paulo apostolis expositam esse credat, hoc ipsum iter ab eo differre negat, quod Act. 18, 18 sqq. narretur. Quae quidem argumentatio, praeterquam quod variis laborat vitiis, de quibus disserere longum est, hoc uno tota concidit, quod πληροῦν neque reliquis, qui allati sunt, locis eo, quo K. opinatur, sensu dicitur, neque Rom. 15, 19., ubi πληροῦν τὸ εὐαγγέλιον est: evangelium in omnes partes diffundere, disseminare (voll, vollständig ausbreiten). — Neque ullius est momenti, quod idem petit argumentum e verbis Gal. 2, 5. obviis: ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς *d*). Ex quibus apparere putat, tum, quum apostolus iter iniret Gal. c. 2. memoratum, Galatas iam pridem Christo nomina dedisse; quod quia illi post concilium demum fecerint, l. l. peregrinationem intelligendam esse conventu isto seriorem. Sed Paulus, quum illa aetate fratribus non genuinis haud dubie ideo se opposuisset, ut sacrorum libertas non iis tantum, qui tum essent, sed omnibus omnium temporum Christianis incolumis servaretur, in literis ad Galatas datis recte: „vestra," ait, „causa sacrorum libertatem defendi", etsi tum, quum hoc faceret, Galatae nondum ad Iesu castra transierant. — Difficultates *denique* in temporum ratione positas, ad quas praeterea et Koehlerus *e*) et alii *f*) provocant, non esse tales, quae iure urgeantur, ex iis patebit, quae mox de computando, qui Gal. 2, 1. indicatur, annorum numero disserentur. — Quid vero dicamus de Hessii argumentatione, qui, praelata, quae Act. 18, 7. invenitur, lectione Τίτου ὀνόματι Ἰούστου, Paulum non prius, quam Corinthum adiisset, ergo post concilium Hieros., in Titi cognitionem venisse ratus, criminationibus, quibus eum Iudaei ubique terrarum propter arctissimam cum homine illo gentili consuetudinem insectati sint, permotum esse censet, ut iter Gal. c. 2. relatum ad apostolos susciperet *g*)? Quamquam idem alibi *h*) huius itineris caussam in eo quaerit, quod Paulus, quum inprimis Corinthi paganis plus concessisset, quam per decretum apostolorum licuisset (1 Cor. 10, 25.), hac de re cum apostolis agendum esse operae pretium duxerit. Quae quidem omnia in coniecturis niti incertissimis, nemo non intelligit. — *i*)

Ad Schraderum progredimur, qui ea, quorum mentio infertur Gal. 2, 1 sqq., in illa accidisse putat peregrinatione, quam tempori Act. 19, 20. et 21. descripto interponendam esse statuit. Nam perfecto, quod apostolum Epheso per Macedoniam, Corinthum

---

d) Annalen d. ges. Theol. etc. 1832, 2, 3. p. 235 sq. *e*) Ibid. p. 241. *f*) Hofmannus (ad Pritium, p. 259 sq.), Iac. Cappellus, ut videtur, (in tab. chronol., Lud. Cappelli historiae apostolicae praemissa, ad a. 52.). *g*) Gesch. d. Apostel, I, p. 529 sqq. II, p. 311. cll. I, p. 474. ed. 4. *h*) Ibid. I, p. 531. *i*) Praeterea cf., quae Koehlero Schottus (Eroerterung etc. p. 22—39.) et I. F. Wurmius (üb. d. Zeitbestimmungen im Leben des Ap. P., in Tüb. Zeitschft f. Th. 1833, 1, p. 52 sqq.; quia quidem dissertatione ab hoc demum inde loco uti mihi licuit) opposuerunt, et quae de Hessii sententia Flattus disputat (Vorles. üb. d. Brr. P. an d. Gal. etc. p. 48.).

atque Cretam in Ciliciam suscepisse coniicit, itinere eum Nicopoli, huius ipsius terrae oppido, una cum Barnaba in illis regionibus invento, et cum Tito, quem Creta ad se arcessivisset, Hierosolyma migrasse arbitratur. Itaque ut iter Hieros. tertium diversum esse demonstret ab eo, quod Gal. c. 2. narratur, *primum* (p. 72.) difficultates appellat e temporum ratione petitas, in quarum expositione quia eiusmodi est aut auctoris ipsius aut typothetae error, ut hunc locum intelligere plane non possimus, statim ad reliqua transeamus argumenta. Luca igitur teste praecipuum itineris consilium hoc fuisse dicit (p. 77.), ut P. cognosceret, num apostoli legem Mosaicam gentilibus imponendam esse censerent; secundum ep. ad Gal. eum non ideo profectum esse, ut de *singulo quodam loco* cum apostolis ageret, sed ut *totam*, quam hucusque ethnicis tradidisset, *doctrinam* eorum iudicio committeret [k]). At praeterquam quod per se improbabile est, Paulum omnia ac singula, quae inter gentes doceret, apostolis tradere voluisse: haud dubie, modo *id, quod hac in doctrina principale esset*, cum iis communicasset, recte, ἀνεθέμην αὐτοῖς, inquit, τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι. Iam quum totius Pauli doctrinae fundamentum in eo positum sit, quod felicitas aeterna tantummodo per fidem Christo habitam, nec per τὰ ἔργα τοῦ νόμου paretur (Rom. 3, 28. Gal. 3, 16. al.): apostolus eo ipso, quod de necessitate rituum Mos. egit, de summa doctrinae suae disceptavit. — Luca auctore, ita Schr. *pergit* (p. 77.), itineris causa eo continebatur, quod a Christianis nonnullis, qui brevi ante Hierosolymis Antiochiam venerant, de observatione legis Mosaicae lis erat excitata; secundum ep. illam eo, quod verendum erat, ne, qui irrepsissent, falsi fratres efficerent, ut vana esset omnis, quam P. in propaganda re Christ. operam vel collocasset, vel collocaturus esset. Sed nonne homines isti, quum id agerent, ut legis Mos. observationem Christianis ad salutem necessariam esse demonstrarent, ipsum doctrinae Pauli fundamentum evertere studebant? — *Inde* (p. 77 sqq.) V. D. monet, in literis a concilio Hierosi datis (Act. 15, 23—29.) nihil eorum attingi, de quibus illo tempore, quod in ep. ad Gal. respiciatur, quam maxime quaesitum sit, i. e. num P. recte doceret, et a Deo constitutus esset ethnicorum apostolus; in hac vero ep. vice versa nullam inferri literarum illarum mentionem. Sed quid erat, quod Hierosolymitani literis istis immiscerent, quae Antiocheni eos non interrogaverant? Et quid tandem mirum, Paulum, quum privatum, quod cum praestantissimis Iesu discipulis habuisset, colloquium, neque publicum, a quo illud apostolorum scriptum profectum est, conventum

---

k) Etsi itineris illius consilium hoc fuisse concedimus, ut P. doctrinam suam apostolis exponeret, tamen id, quo Schr. ad hanc sententiam defendendam utitur, argumentum non possumus, quin improbemus. Sic enim ille p. 74.: „der Zweck dieser Reise sei gewesen eine Aufdeckung (*ἀνέθ. δὲ κατὰ ἀποκ.*) des bisher von ihm unter den Heiden verkündigten Evangeliums vor den Christen zu Jerusalem, besonders vor Iacobus, Petrus und Iohannes". Sed si vel *uno* alio N. T. loco ullo consilium indicaret, et ἀποκάλυψις de alia quoque diceretur significatione, quam quae *divinitus* fiat: quomodo tandem per hoc vocab. *simpliciter* positum *doctrinae* declaratio intelligi posset? Cf. Rückertus ad l. (Simillimam esse vidimus, quam Hermannus [de ep. ad Gal. trib. pr. capp. p. 6.] protulit,

enarraret, hanc scriptionem non commemorasse? — Quidni vero apostolum (id quod Schr. p. 79 sq. non secus atque Koehlerus urget) conventus Hieros. tempore minoris auctoritatis fuisse concedamus, quam ea aetate, quae Gal. c. 2. describitur, supra (p. 143.) iam exposuimus. — Neque illud Schradero (p. 79.) concedimus, Lucam cum Paulo in eo dissentire, quod hic doctrinae suae quidquam ab apostolis additum esse neget (Gal. 2, 6.), ille varia eidem adiecta esse indicet, de cavendo εἰδωλοθύτων usu, et sanguine, et bestiarum suffocatarum carne et scortatione (Act. 15, 29.). Quis enim, quaeso, crediderit, Paulum non iam ante concilium paganos monuisse, ut et caste viverent, et, ne fratribus imbecillioribus offensioni essent, a nonnullis eiusmodi rebus abstinerent, quae vetitae essent in lege Mosaica? — *Deinde* (p. 79 sq.) de pecunia in usum pauperum in Iudaea degentium colligenda (Gal. 2, 10.) ne cogitari quidem potuisse censet, quo tempore P. in eo fuerit, ut novos conderet coetus. At nonne concilio peracto eas quoque ecclesias lustraturus erat, quae iam dudum constitutae erant in Syria, Cilicia, Lycaonia (Act. 15, 30. 41. 16, 1.)? — *Praeterea*, qui eo tempore, quod Act. c. 15. commemoretur, orti demum sint ψευδάδελφοι, eosdem illa aetate, de qua Gal. c. 2. verba fiant, totam rem Christianam in discrimen dedisse, Schr. (p. 80.) observat. At si vel largiremur, non prius eiusmodi deceptores exstitisse, tamen miros nos nequaquam haberet, quod, quum illi ex prodiissent, res Christiana in summo periculo versata dicatur; quippe quorum opinionibus de necessitate legis Mosaicae doctrina, principalis de salute a Christo solo repetenda labefactaretur. — Nec (p. 81.), quod Paulus secundum Gal. 2, 3. Titum non passus est circumcidi, secundum Act. 16, 3. Timotheum ipse circumcidit, nobis persuadet, ut de magno, quod rem utramque intercesserit, spatio cogitemus; qua de re supra (p. 136. not. l.) contra similem Keilii opinionem iam disseruimus. — Luca *denique* teste Paulum *cum Barnaba* in Antiochenorum urbem reversum *post paucos dies* hinc abscessisse contendit (ibid.), secundum ep. ad Gal. *Petrum* quoque comitem fuisse, et *diutius* hos omnes Antiochiae degisse, quoniam longiore demum tempore interiecto illi Iacobi asseclae advenerint, qui litem de lege servanda denuo movissent; praeterea Lucam nihil referre de controversia Gal. 2, 11 sqq. memorata. At primum omnium, Petrum cum P. et B. simul Antiochiam venisse, nec probavit Schr. [l]), nec probare poterit; neque enim, si res ita se habuisset, Gal. 2, 11., ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, sed: ὅτε δὲ ἤλθομεν σὺν τῷ Π. εἰς Ἀντ., vel simili ratione, scribendum erat. Deinde, Iacobi asseclas post longius venisse intervallum, nusquam legitur. Per tempus vero non minimum Paulum et Barn. a concilio Hierosol. reduces, antequam iter continuarent, Antiochiae versatos esse, e verbis apparet Act. 15, 33.: ποιήσαντες δὲ χρόνον. Nam, quae v. 36. commemorantur ἡμέραι τινὲς, non integrum illud spatium, sed hanc eius partem denotant, quae effluxerat, ex quo Iudas (cum Sila?) Hierosolyma redierat (v. 33.). Nulla denique in eo inest difficultas, quod Lucas disceptationem Gal. 2, 11 sqq. traditam praeteriit; quis enim nescit, eundem alia multa, quae ad Pauli res

huius loci explicationem; cf. p. 151. not. k.). l) Probare autem studuit p. 126.

spectant, silentio transmisisse? — Atque his quidem rationibus, iter Gal. c. 2. expositum et differre ab eo, quod Act. c. 15. narretur, et serius factum esse, demonstrare V. D. studuit. Cur vero illud eodem anno, quo scripta sit 2. ad Cor. epistola (i. e. inter itinera Act. cc. 18. et 21. relata) susceptum esse credat, et quibus de causis haec sententia nobis reiicienda videatur, supra (p. 81.) declaravimus m).

Ad Epiphanii denique opinionem quod attinet, qui *Gal. c. 2. et Act. c. 21. de eodem itinere dici* putat, eam neque auctor ipse vel uno tuetur verbo, et, loco utroque vel semel collato, quam illa sit perversa, facile intelligitur.

Iam vero profligatis eorum argumentis, qui iter Gal. 2, 1 sqq. descriptum aliud esse censent, quam de quo Act. c. 15. verba fiant: quum nesciamus, an nihil restet, quo opus sit ad defendendam sententiae nostrae veritatem, ad quaestionem accedamus eam, quae est *de sensu verborum: διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν* (Gal. 2, 1.).

Prima autem specie eo adduci queas, ut praepositionem *διὰ* duplici modo reddi posse censeas, tum: *„intra"*, tum: *„post"*; utramque enim rationem et usus fert n), et loci nostri cohaerentia per-

---

m) Ceterum cf. ea, quibus omnem hanc Schraderi argumentationem impugnarunt Schottus (Eroerterung etc. p. 22—33. cll. p. 47—63.) et I. F. Wurmius (Tüb. Ztschft f. Th. 1833, 1, p. 50 sqq.). *n*) Praepositionem *διὰ* genitivo addito haud raro idem esse, quod *intra*, exempla abunde docent, qualia sunt Act. 5, 19. 16, 9. al.; qui quidem sensus quomodo connexus sit cum significatione *penetrandi*, *permeandi*, quae in hac praep. principalis est, facile est intellectu. Neque minus certus est is huius vocabuli usus, quo praepositioni *post* respondet; cf. v. g. Herodot. 7, 30.: *ποταμὸς διὰ σταδίων κη πέντε ἀναφαινόμενος*; 7, 198.: *ἀπὸ δὲ τούτου διὰ εἴκοσί κου σταδίων ἄλλος ποταμός*; Diod. Sic. 5, 28.: *τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι — καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν*; Aelian. V. H. 13, 42.: *οἰκίσαι — Μεσσήνην δι' ἐτῶν τριάκοντα καὶ διακοσίων*; Philo, de vita contempl. p. 894., postquam therapeutas nonnullos per triduum cibo abstinere dixit, *τινὲς*, pergit, *οὕτως ἀνευφραίνονται, — — ὡς καὶ πρὸς διπλασίονα χρόνον ἀντέχειν, καὶ μόλις δι' ἓξ ἡμερῶν γεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας*. Ex N. T. cf. Mc. 2, 1. Act. 24, 17 Quamquam ex populari quadam negligentia interdum non hoc sibi volunt, aliquid *praeterlapso*, sed *exeunte* aliquo *intervallo* accidisse; cf. v. c. Pseudo-Ignat. ad Trall. c. 9., ubi Iesus *διὰ τριῶν ἡμερῶν* in vitam rediisse traditur; neque negaverim, in nonnullis eorum, quos supra allegavimus, locorum non minus negligenter hanc praep. dictam esse. (Ceterum [id quod iis, quae p. 122. disputata sunt, addi velim] eadem ratione vocabulo *μετα* non solum, aliquid *praeterlapso* aliquo *tempore*, sed et *extrema eius parte* evenisse, indicatur; cf. Mc. 8, 31. Ios. Ant. 1, 12, 2. 6, 6, 2. al.). Atque hic particulae *διὰ* usus cum significatu vocabuli primario eatenus cohaeret, quatenus hic subest sensus: *penetrato*, *transacto* aliquo intervallo. (Bene Winerus, Gramm. des N. T. Sprachidioms, p. 326., hanc Herodoti [3, 157.] formam confert: *διαλιπὼν τὰς συγκειμένας ἡμέρας*.) — Ad Theilii sententiam quod attinet, qui (in Wineri et Engelhardti n. krit. Journ. VIII, p. 176.) *διὰ* hoc sensu tum poni credit, quum quid describatur tanquam eventus studiorum, in quibus quis per id, de quo verba fiant, spatium versatus sit, ad hanc, inquam, sententiam quod attinet, tantum abest, ut idoneis illa comprobari queat argumentis, ut cum nonnullis eorum, quae attulimus, exemplorum non facile conciliari posse videatur. Strothius (ad Eus. H. E. 2, 17. et in Eichhornii Repert. f. bibl. u. morgld. Litt. IV, p. 41 sq. not.), ubicunque praep. illa sensu vocabuli *post*

mittere videtur; unde factum est, ut, quum plerique eam per voc. „*post*" transferrent, tamen non deessent, qui „*intra*" vertendam putarent, Oederum o) dico, quem Rambachius p) sequitur, Theilium q), Schottum r). Sed re accuratius perpensa, est, quod his ipsis non immerito opponatur. Nam ut primum de Schotto dicamus, is, apostolum Gal. 2, 1. et secundum et tertium iter Hier. respexisse ratus (cf. p. 145. not. l.), verba nostra sic intelligit: labentibus (qui meam ad Christum conversionem proxime secuti sunt) annis XIV cum Barnaba, deinde, adsumto etiam Tito, Hierosolyma tetendi. Ac posterius quidem illud iter exeunte hac annorum serie susceptum esse credit; quae sententia, etsi non necessario, facillime tamen ex hac interpretatione sequitur. Verum apostolum l. c. *duas simul tetigisse profectiones*, nullo, ut vidimus, modo concedi potest. Oederus autem, Rambachius, Theilius locum ita exponunt: *intra hos XIV annos* (vel, quod Theilio certe praeterea placet: *intra annos XIV integros*) denuo Hierosolyma profectus sum; quibus explicationibus admissis P. exeunte hoc annorum numero non iter illud Hieros. iniisse, sed ep. nostram scripsisse putandus est. At si ap. hunc verborum sensum esse voluisset: intra *hos* XIV annos, scripturus potius erat: *διὰ τούτων τῶν ιδ´ ἐτῶν*, sin vero locus ita reddendus esset: labentibus *integris* XIV annis, P. hoc dicere videretur, se interea nonnisi semel Hierosolymis fuisse, id quod cum iis pugnaret, quae aliunde de eius rebus novimus. Accedit alia quaedam difficultas: Paulus enim annorum numeros huic rerum suarum descriptioni aut nulla de causa adiecit, aut ideo adiecit, ut appareret, se iam dudum praecepta Christiana tradidisse, antequam vel omnino cum apostolis convenerit, vel de doctrina sua cum iis egerit. Verum loco sic, ut illi volunt, intellecto, quoniam non perspiceretur, quanto temporis spatio praeterlapso P. cum apostolis de placitis suis disseruisset, annorum notatio prorsus supervacanea fuisset. Atque his de causis non

---

usurpetur, hanc eius vim esse putat, ut aliquid, quod simile sit ei rei, quae *διά τινος διαστήματος* evenisse dicatur, intra omne hoc spatium accidisse negetur. Cui ut assentiamur, neque ulla in ipsa huius particulae natura causa inest, neque loci nostri ratio permittit, ubi *διά*, ut infra docebitur, sensu praepositionis *post* accipiendum est. Nam sive anni illi XIV ab adscensione Christi in coelum, sive a Pauli transitu ad Iesu sacra numerentur, sive ab anno primi, quod ille post hanc animi mutationem Hier. fecit, itineris (cf. p. 161.): *secunda* certe, quam eodem suscepit, peregrinatio interposita erit. Nisi forte cum Koehlero (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 23.) Paulum hoc sibi voluisse censueris: *postquam* per annos XIV Hierosolyma non adii ita, ut doctrinam meam cum apostolis communicarem, in viam me dedi ad eam rem exsequendam. Sed quam maxime dubitamus, annon hanc explicandi rationem admittere liceat; quominus enim verba: *καὶ ἀνεθέμην αὐτ. τὸ εὐάγγ., ὃ κηρ. ἐν τ. ἔθν.*, tam arcte cum verbis: *πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱερ.*, connectamus, partim eo impedimur, quod altera sententia nimium ab altera remota est, partim eo, quod Paulus, quum in itinere Gal. 1, 18. narrato non commemorasset, *se placita sua apostolis exposuisse*, h. l. dicere non poterat, se *iterum ad doctrinam suam illis tradendam Hier. petiisse.* — Cf. omnino Winerus l. all. et quos hic ibidem laudavit. o) In syntagmate dissertt. p. 545 sq. (teste Wolfio, in cur. ad Gal. 2, 1.). p) In commentar. ad Gal. 2, 1. (cit. Rückerto ad h. l.). q) N. krit. Journ. VIII, p. 174 sq. r) Eroerterung etc. p. 20 sq.

possumus, quin ad eorum partes nos convertamus, qui locum ita reddunt: „*post* annos quatuordecim."

De *termino* autem, *unde hi anni numerandi sint*, viri docti itidem dissentiunt, aliis eos ab anno adscensionis Christi ducentibus *s*), aliis a Pauli ad Christi castra transitu *t*), aliis ab anno primi, quod ille, postquam Christum colere coepit, ingressus est, itineris Hierosolymitani, vel itineris brevi post in Syriam et Ciliciam suscepti *v*).

---

s) Ita chronicon Alexandrinum (p. 550. ed. Raderi), Regino Prumiensis (in chronic. p. 3. ed. cit.), Petrus Lomb. (teste Rückerto, Commt. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 321.), Lud. Cappellus (hist. ap. append. p. 56. [nisi τεσσάρων pro δεκατεσσάρων legi concedatur]), Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, part. 7. p. 645. 650.). Plures ita statuere, Semlerus auctor est (prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 68.). *t*) Sic Beda, auctor glossae ordinariae (ad Gal. 2, 1.), Thomas Aquinas, Gaietanus, Pererius, Baronius, Estius, laudante, qui idem statuit, Calovio (bibl. illustr. ad Gal. 2, 1.), Calvinus (ad Gal. 2, 1.), Tob. Maior et Tob. Dorncrellius (teste Bengelio, ord. temp. p. 276.), Iac. Cappellus (compendiosa in apost. hist. chron. tab. ad a. C. 52.), Spanhemius (de anno conv. Pauli, in diss. hist. arg. quatern. p. 209.; in chronol. sacra part. II. c. 20. [opp. tom. I. p. 246.]; in hist. eccl. a Chr. nato etc., opp. tom. eod. p. 535.), Pearsonius (l. l. p. 17 sq.), Ben. Marshallus (in tab. chronol., laud. Semlero, prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 68.), Io. Conr. Dannhawerus (in diss.: διατύπωσις concilii Hieros., Argent. 1690, 4. p. 5.), Biscoeus (Erlaeuterg d. Ap. Gesch., vers. Rambachianae [Lips. 1751, 4.] p. 255, 264.), Baumgartenius (ad Gal. 2, 1.), Semlerus (prol. in paraphr. ep. ad Gal. p. 71.), Lorenzius (ann. Paul. p. 86.), Höfmannus (ad Pritii introd. p. 259 sq.), Keilius (in ed. 2. progr. de defin. temp. itin. Pauli Hieros. etc. [opusc. p. 171.], in Gableri ephem.: Journ. f. aus. th. Lit. III, 1, p. 12.), Gablerus (neuest. theol. Journ. II [1799], part. 2. p. 209.), Vogelius (l. l. p. 251.), Eichhornius (Einl. II, p. 61 sq. III, p. 31.), Ammonius (in ephem. ab ipso editis: krit. Journ. etc. I, 3, p. 234.), Süskindius (l. l. I, p. 172—175.), Schmidtius (Chronol. d. Ap. Gesch. p. 137 sq.), Neander (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. K. etc. tom. I. p. 145.), Schottus (Eroerterung etc. p. 21. 105—108.), al. Ex iis, quibus τεσσάρων scribendum videtur, appellandi sunt Bertholdtius (l. l. V, p. 2711. 2715.), Kuinoelius (prol. in Acta p. XXV.), Guerikius (Beitr. etc. p. 84 sq. not. 144. 146.). *v*) Ita Hieronymus (comment. ad Gal. 2, 1.), Lutherus (comment. in ep. ad Gal. ex praelectionibus eius collecto, ad Gal. 2, 1.), Usserius (ann. m. ad a. C. 52.), Henschenius (in Actis SS. Iun. tom. V. p. 402.), Io. Clericus (hist. eccl. tom. I. p. 364 sq.), Lightfootus (opp. t. II. p. 76. 801.), Hottingerus (chronotax. hist. et epp. P., in pentade diss. bibl. chron. p. 326 sq.), Sal. van Tilius (op. analyt. t. II. p. 589.), Io. Dav. Leonhardus (in diss. de decreto concilii Hieros., Jenae 1725, 4. p. 14.), Hebenstreitius (de Iudaeo Roma exule, p. 8.), Bengelius (ord. temp. p. 276.), Strothius (in Eichhornii Repertor. d. bibl. u morgld. Litt. IV, p. 41.), Schutzius (in scholiis in ep. Paulli ad Gal., Gerae 1784, 4. [progrr. III] ad Gal. 2, 1.), auctor vers. germ. ep. ad Gal. in Henkii promt. n. Magaz. f. Religionsphil. etc. II, p. 1 sqq., nota ad Gal. 2, 1., Morus (acroas. in epp. P. ad Gal. et ad Eph., ad Gal. 2, 1.), Keilius (in ed. 1. progr. de defin. temp. it. P. Hieros. etc.), Koppius et Borgerus (ad Gal. 2, 1., ubi hanc sententiam reliquis certe probabiliorem habent), vir ille doctus in Wachleri n. th. Annal. I, p. 857., Mynsterus (kl. theol. Schften, p. 73.), Hugius (l. l. II, p. 315.), Winerus (exc. II. in ep. ad Gal. p. 154.), Schraderus (l. l. p. 49.),

Atque ii quidem, qui (difficultatibus permoti e sua temporum computatione oriundis) hos annos a Iesu discessu ex his terris numerandos esse arbitrantur, quoniam rem eiusmodi a Paulo respici putant, quam ille in iis, quae antecedunt, ne indicaverat quidem, sine ulla dubitatione falluntur. Quod vero ad eas, quae reliquae sunt, statuendi rationes attinet, utraque profecto habet, quo defendatur. Nam ut primum de ea agamus, ex qua P. annos illos XIV ab anno primi itineris Hier., vel itineris Syriaci proxime insecuti numerasse creditur, ipso illa sententiarum ordine haud parum commendatur; nam quum apostolus in eo versetur, ut *varia, quae deinceps fecerit, itinera describat*, sane simplicissime ille annorum numerus *ab aetate itineris eius, quod proxime erat commemoratum*, duci videtur [x]). Praeterea ἔπειτα Gal. 2, 1. positum aperte ad iter Syr. 1, 21. narratum respicit [y]), πάλιν vero ad profectionem Hier. 1, 18. relatam, quae eodem fere tempore suscepta est [z]). Neque tamen haec ita se habent, ut istam sententiam unice veram esse doceant. Nam quoniam Pauli intererat, e rebus suis demonstrare, se, *quamdiu Christum coleret*, nec didicisse ab apostolis, quae ad rem Christianam pertinerent, nec doctrinam suam ab illis correctam esse: nonne in promtu erat, de his ita disserere, ut rerum singularum tempora *ab ea duceret aetate, qua primum ad Iesu sacra se convertisset?* Deinde quemadmodum verba: ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσ. (1, 18.) sic respiciunt ad illa: οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσ. (1, 17.), ut hoc triennium optime ab eo numeretur tempore, quo P. sese negaverat Hierosolyma petiisse, i. e. quo primum Christo nomen dederat: ita inter haec quoque verba: ἔπειτα διὰ ιδ´ ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσ. (2, 1.), et quae 1, 17. leguntur, non male eum dixeris nexum esse, ut anni illi XIV non minus recte ab eodem termino computentur. Neque scio, an cum aliqua veri specie eadem ratio intercedere credatur inter haec: ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγ., ὃ κηρ. ἐν τ. ἔθν. (2, 2.), atque illa: οὐ προςανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι. Ceterum de

---

Koehlerus (l. l. p. 22 sq. et in l.: Ann. d. ges. th. Lit. 1832, 2, 3, p. 241.), Hemsenius (l. l. p. 101. not. 24. cll. p. 32. 56.), Rückertus (ad Gal. 2, 1. cll. p. 327 sq.). Ex iis, qui τεσσάρων legi volunt, adde L. Cappellum (hist. ap. append. p. 56 sq.), Grotium (ad Gal. 2, 1.), Heinrichsium (prol. in Acta, p. 61.), Emmerlingium (prol. in 2. ad Cor. ep. p. XXV.), Küchlerum (l. l. p. 37. cll. 29.), Schottum (isag. in ep. ad Gal. p. 21., isag. in ll. N. F. p. 196.), Wurmium (Tüb. Ztschft f. Theol. 1833, 1, p. 62. cll. p. 58. et Bengelii Arch. etc. IV, 1, p. 42.). — Utrum ab itinere primo, an a conversionis aetate anni illi XIV ducendi sint, dubitant Rosenmüllerus (schol. ad Gal. 2, 1.), de Wettius (l. c. p. 214.), Feilmoserus (Einl. p. 306 sq.), Theilius (n. krit. Journ. VIII, p. 175., quamquam praelata ea sententia, cuius fautores not. t. recensuimus). x) Cf. inpr. Hugius (l. l. II, p. 315.). y) Cf. Koppius (ad Gal. 2, 1.). z) Sic Hugius (l. l.), Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 21. not.), Schraderus (l. c. p. 49.), Koehlerus (Annal. d. ges. th. Lit. 1832, 2, 3, p. 241.). — Ceterum perperam, annos istos XIV ab anno primi itineris Hieros. numerandos esse, nonnulli ex illa vi praep. διὰ concludunt, quam Strothius observasse sibi visus est (cf. p. 159 sq. not. n.), Keilium dico (de defin. temp. it. Hier. Gal. 2, 1. commem. ed. 1.), Koppium (l. c.), Koehlerum (Abfassgszt d. epist. Schften, etc. p. 22 sq.).

vocabulis ἔπειτα et πάλιν nihil obstat quominus sic statuatur: altero (*universe* designari, *iter Hieros. serius factum esse peregrinatione Syriaca*, altero *simpliciter itineris Hieros. repetitionem* indicari, verbis autem: διὰ ιδ' ἐτῶν doceri, *quanto post Pauli ad sacra Christiana conversionem* nova illa profectio suscepta fuerit. Quae quum ita sint, locum nostrum ita comparatum esse patet, per quem diiudicare non liceat, utrum anni illi XIV ab eo sint tempore ducendi, quo P. Iesu sacra amplexus sit, an ab eo, quo primum Christianus Hierosolyma et Syriam Ciliciamque adierit.

Iam vero si vel hic annorum numerus non expletus habetur (cf. p. 159. not. n.), eius initium, quoniam Paulus, ut vidimus (p. 114.), non serius anno 51. Hierosolyma ad apostolorum conventum profectus est, serius anno 38. collocari nequit. Itaque P. *non serius aut hoc ipso anno, aut eo, qui triennio prior erat*, i. e., quia hoc quoque triennium minus integrum esse poterat (v. not. modo all.), *anno certe 36., Christi disciplinae se commisit; primum* autem, quod post transitum ad Iesu sacra fecit, *iter Hier. non serius aut anno 38., aut triennio abhinc praeterlapso*, i. e., si illud vel prorsus expletum fuisse existimaveris, *non serius anno 41., suscepit.* Sed haec quum satis ambigua sint, an accuratius definiri possint, age indagemus.

Ac primum quidem nihili est ea temporis nota, quam nonnulli Gal. 1, 19. invenisse sibi videntur. Ubi quum P. se in itinere illo, quod ex Arabia redux Hieros. fecerit, ex apostolis solum Petrum, ac praeterea Iacobum, Iesu fratrem, conspexisse testetur, Iacobum maiorem, Zebedaei filium, tum iam supplicio affectum fuisse concludunt *a*). Quae si recte se haberent, Paulus non prius anno 43. exeunte, vel anno 44. ineunte in iter illud Hier. se commisisset, neque ante a. 40. *b*) ad Christi castra transgressus esset. Sed praeterquam quod has ipsas res biennio certe prius evenisse modo diximus: si quid ista argumentatio valeret, reliquos etiam apostolos, quos P. Hierosolyma reversus non vidit, tum iam mortuos esse sequeretur *c*); quod quidem falsissimum esse, quis est, qui nesciat? Quamquam neque eorum argumentatio placet, qui Zebedaei fil. illa aetate adhuc in vivis fuisse inde colligunt, quod alioqui non necesse fuisset Iacobum alterum distinguere additis: τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου *d*); nam si vel Iac. maior fato iam functus fuisset, Paulus propter lectores, quos probabile esset huius rei tempus non accuratius nosse, Iacobum alterum cognomine illo insignire poterat.

---

a) Lud. Cappellus (hist. ap. append. p. 50.), Emmerlingius (prol. in 2. ad Cor. ep. p. XX.). *b*) Quamquam Cappellus, quia Iacobum iam a. 42. interiisse opinatur, Paulum a. 39. sacra avita reliquisse putat. *c*) Cappellus quidem inde, quod Iacobum, utpote ecclesiae Hier. praesidem, hac in urbe degere necesse fuerit, concludit, eum tum diem supremum iam obiisse; sed veteres Iacobum, *Iesu fratrem*, neque *eum, qui Zebedaei filius erat*, coetui Hieros. praefuisse tradunt. *d*) Sic Bertholdtius (l. c. V, p. 2706.), Kuinoelius (prol. in Acta, p. XXIII.), Hugius (l. l. II, p. 521 sq.), Koehlerus (l. c. p. 18.), Schottus (isag. in ll. N. F. p. 195.).

Multo maioris in quaestione nostra momenti haud paucis visus est *locus 2. ad Cor. ep. c. XII. vv. 2—4.* e), ubi apostolus *sibi* f) *insignem quandam ἀποκάλυψιν ante annos quatuordecim* g) oblatam esse narrat; etsi, quatenus haec faciant ad ea, de quibus agimus, tempora definienda, varie disputant. Alii enim apostolum ad illud respicere arbitrantur, quod ei, quum in via Damascena ad amplectenda sacra Christiana invitaretur, contigerit, vel ad visiones quasdam, quibus eum statim post, inprimis intra triduum illud, quo oculorum usu caruerit, ornatum esse coniiciunt h); alii ecstasin intelligunt eam, quae Paulo, quum Damasco Hieros. rediisset, in templo evenisse traditur (Act. 22, 17 sqq.) i); quamquam nec de-

---

e) Hunc locum ita, ut ad temporis potissimum rationes spectarent, singulatim exposuerunt Io. Chstph. Harenbergius (de XIV annis Paulinis ad illustranda loca 2 Cor. XII, 2. Gal. II, 1. pro definiendo conscriptae alterius ad Cor. ep. anno, in bibl. Bremensi, class. VII. p. 886 sqq.), Keilius (de Paulo πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων ἁρπαγέντι ἕως τρίτου οὐρανοῦ καὶ εἰς τον παράδεισον ad locum 2 Cor. XII, 1—7. Lips. 1816, 4., quae quidem commentatio recusa est in eius opuscc. acadd. p. 318 sqq.), Theilius (n. krit. Journ. VIII, p. 169 sqq.). Praeterea cf. inpr. Emmerlingium (prol. in 2. ad Cor. ep. p. XV sqq.), Schottum (Eroerterung etc. p. 98 sqq.). f) Paulum h. l. de alio quodam loqui, cui visum illud contigerit, Ge. Lud. et Guil. Oederus (pater et filius), J. E. Ch. Schmidtius, J. G. F. Leunius putarunt, teste Keilio (opuscc. p. 320 sq.), qui eam opinionem post alios bene refutavit (ibid. p. 322 sqq.). g) Πρὸ ἐτῶν ιδ΄. Hoc ex usu loquendi nihil aliud esse, quam: anno, antequam haec scriberentur, XIV. vel tempore annum XIV. *paululum* antegresso, nemo nescit. Perperam igitur Harenbergius (bibl. Brem. VII, p. 892.) spatium intelligit, quod hunc numerum quadriennio antecesserit. Neque Schottus placet, qui (Eroerterung etc. p. 104. cll. p. 107. 108.), quum ecstasin illam probabiliter in a. 40. conferendam ducat, alteram vero ad Cor. ep. a 56. scriptam esse censeat, de intervallo cogitat annorum XVI. h) Damasus, Thomas Aquinas, Nicol. Lyranus, Lud. Cappellus, Hugo Grotius, Alph. Tostatus, Ildephons. Giro., Guil. Caveus, Oederus uterque, Car. Chr. Lud. Schmidtius (testibus Oleario, in diss.: P. in parad. raptus, Lips. 1689, sect I. §. III., Keilio, l. c. p. 333 sq. not. 30.), Keilius (in diss. mem. inpr. p. 335 sqq.), Emmerlingius (l. c. p. XVI sqq.), Bretschneiderus (Handb. d. chstl. Dogmat. I, p. 249 sq. ed. 3., ubi hanc sententiam maxime certe verisimilem indicat), Matthaeius (d. Religionsgl. d. Ap. Iesu, I, p. 610 sqq. laud. Schotto), Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 19., isag. in II. N. F. p. 193 sq.; quamquam serius sententiam mutavit; cf. not. k.), Theilius (l. c. p. 171.); etsi is quidem dubitat, utrum res huc, an ad ea, quae Act. 22, 17. traduntur, referenda sit), al. Quamquam ex his paucissimi (ut Bretschn., Theil.) apostolum de eo loqui putant, quod ipsi prope Damascum apparuit; plurimi ea intelligunt, quae illi, quum per triduum coecus esset, contigisse volunt; nonnulli (ut Keil., Schott., atque, uti videtur, Emmerl.— cf. inpr. l. c. p. XVI.—) eum et haec, et quae in via Damasc. acciderint, respexisse putant. i) Spanhemius, Lightfootus, Herwartus, Harenbergius, Doddridgius, Bensonius, Bosius, Hezelius, Seilerus (citt. I. I. Bosio, in diss.: P. in tert. coel. raptus, Lips. 1740, 4. p. 36., et Keilio, l. all. p. 334. not. 32.), Iac. Cappellus (in compendiosa in apost. hist. chronol. tab., ad a. C. 42.), Basnagius (ann. ad a. 42. §. VII.), Lorenzius (ann. P. p. 82 sq.), Biscoeus (Erlaeuterung d. Ap. Gesch., vers. germ. p. 256.), Blochius (chronotax. etc. p. 202.), W. F. Rinckius (d. Sendschreiben der Kor. an d. Ap. P. u. d. dritte Sendschr. Pauli an d. Kor. etc., Heidelb. 1823, 8. p. 100.), Schraderus (l. c. p. 55—57.). Ceterum Schottus (Eroerterung etc.

sunt, qui, dum rem in itinere Arabico *k*), aut circa tempora ea, quae Act. 12, 1. 2, *l*), vel quae ibid. 14, 9, *m*) describuntur, aut post conventum Hieros. *n*) accidisse putant, loci nostri hanc esse rationem censent, ut in annis conversionis Pauli et primi, quod idem Christianus Hierosolyma fecit, itineris constituendis vel nihil vel parum utilitatis praebeat.

Illi igitur, qui Paulum h. l. memorare censent, quae ei tum, quum ad Christum se converteret, evenissent, praeter nonnulla, quae levissima sunt, his fere utuntur argumentis. *Primum*, ipsum Pauli consilium eiusmodi quid de se narrandi, quod honorificum fuerit *o*), et accuratam temporis definitionem *p*), neque exiguam in re, quae tanto ante acciderit, describenda diligentiam *q*) efficere dicunt, ut non possimus, quin hanc *ἀποκάλυψιν* talem fuisse credamus, cuius memoria pro summa, qua illa excelluerit, praestantia firmissime eius animo inhaeserit. Atque hoc ipsum valere monent de significationibus istis coelestibus, quae Paulo in itinere Damasceno contigerint, et de his, quas intra triduum illud, quo coecus fuerit, ei contigisse verisimile sit. Sed ut alias, quibus haec sententia laborat, difficultates nunc omittamus: quid tandem obstat, quominus alio quoque tempore apostolo visionem tam eximiam concessam fuisse censeamus, cuius recordatio alte eius menti infixa esset, et qua gloriari h. l. recte posset? Saepius enim *ὀπτασίας* et *ἀποκαλύψεις* cum eo communicatas esse, et aliunde constat, et ex hoc ipso loco intelligitur (12, 1.). *Addunt*, mentione fugae, quam Damasco capessivisset, vixdum infecta (11, 32 sq.), apostolo facile primam, qua Christum coluerit, aetatem in memoriam revocari potuisse *r*). Sed neque hoc argumento aliud quid demonstratur, quam, sententiam illam, nisi quid iure opponi queat, certe non improbabilem esse. Observatum est praeterea *s*), et nostro loco, et Act. 26, 19. (ubi de specie ea, quae Paulo Damascum proficiscenti apparuit, verba fiunt) *ὀπτασίας* vocabulum inveniri. Sed quid hoc ad rem, quum verbum illud tam late pateat, ut visum et *extrinsecus oblatum* et *sola mente in*

---

p. 100—102.); et Wurmius (Tüb. Zeitschft f. Theol. 1833, 1, p. 41—41.) hanc sententiam ea, quam not. anteced. commemoravimus, probabiliorem habent; eidem certe anno, quo res Act. 22, 17 sqq. narrata acciderit, Whistonus *ἀποκάλ.* nostram tribuendam putat (ap. Semler. prol. ad paraphr. in ep. ad Gal. p. 81.). Atque ex his nonnulli, ut Spanhemius, Lightfootus, Basnagius, Bensonius Lorenzius hanc sententiam cum sua temporum computatione ita student conciliare, ut, quae Act. l. c. referuntur, ea (parum recte, cf. p. 126 sq.), in *secundo* demum Pauli itinere Hieros. accidisse statuant.
k) Welsius, Heumannus, Leutweinius, cit. Keilio (ibid. not. 31.). *l*) Pearsonius, Ioach. Langius, Moldenhawerus, Baumgartenius, teste Keilio (ibid. not. 33.), Baronius (ann. ad a. Claud. 2. §. LXXXIX.), Labbeus (chronol. I, p. 151.), Tillemontius (mém. I, 2, p. 552.), Witsius (melet. Leid. p. 42.), Feilmoserus (Einl. p. 390.). *m*) Usserius aliique, ut Keilius docet (ibid. not. 34.). *n*) Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 22, 131.). *o*) Cf. Emmerlingius (l. c. p. XVI.). *p*) Ita Keilius (l. all. p. 336.), Theilius (l. l. p. 171.). *q*) Sic Theilius (ibid.). *r*) Ita Keilius (ibid.), Schottus (isag. in ll. N. F. p. 194.). *s*) Ab Emmerlingio (ibid.).

ecstasi perceptum denotet? Ac revera in 2. ad Cor. ep. ὀπτασίαν dici nonnisi *animo perceptam*, partim ex eo sequitur, quod P. ipse nescivit, utrum illa sibi ἐν σώματι, an ἐκτὸς τοῦ σώματος evenerit, partim inde, quod in *paradisum* se raptum esse memorat, id quod de *corporis* raptu accipi non posse, non est, quod commemoretur. In Actis autem de visione *externa* agitur; nam utcunque Lucas in describendo, quem res illa in Pauli comitibus habuerit, effectu secum pugnet, vel pugnare certe videatur (Act. 9, 7. cll. 22, 9. [26, 13.]), tamen *hos etiam* aliquid *sensisse*, eoque *consternatos esse*, nulla est dubitatio *t*). Sed haec nonnisi contra eos valent, qui Paulum l. n. de mira illa, quae ei in itinere Dam. obvia facta est, specie loqui arbitrantur. Quid igitur, si aliam dixerit ὀπτασίαν, eamque tum oblatam, quum statim post conversionem per triduum oculis captus esset? Sane per hoc temporis spatium aliquam ei ecstasin *potuisse* obvenire, facile largimur, quippe qui huic eum rei et subita illa animi mutatione *v*) et ieiunio diuturno (Act. 9, 9.) *x*) maxime obnoxium reddi potuisse nullo modo negemus. Revera autem hac aetate visiones ei obiectas esse, Keilius e locis Act. 9, 12. 26, 16. disci observat *y*). Verum ut taceamus, Act. 26, 16. nihil commemorari de visis Paulo *intra triduum illud* offerendis; ut omittamus, inde, quod Act. 9, 12. *Ananias* Paulo per hoc triduum ἐν ὁράματι apparuisse traditur, non sequi, eodem illi tempore *alia, quae similia essent*, contigisse: tota ista argumentatione, ὀπτασίαν in 2. ad Cor. ep. descriptam ex iis fuisse, quibus Paulus illa aetate impertitus fuerit, nequaquam efficitur. Quin imo, ne apostolum ad visionem vel hoc intervallo, vel tum, quum Christianos vexaturus in itinere Damasceno versaretur, obiectam respexisse credamus, temporum ratio vetat. Nam quum P. epistolam ad Cor. secundam in itinere Act. 20, 1. 2. relato conceperit (cf. p. 53.), i. e. a. 57. (v. p. 114.), annus abhinc XIV. tertius est vel quartus et quadragesimus epochae Dionysianae; Paulum vero non serius anno 38. Christum sequi coepisse, supra docere studuimus *z*).

Neque aliter de eorum sententia iudicandum est, qui ecstasin intelligi volunt Act. 22, 17 sqq. narratam, quam Paulo tum, quum Damasco Hierosolyma rediisset, accidisse vidimus *a*). Nam et argumentis illi utuntur, quae, quemadmodum cum nonnullis eorum, de quibus modo disseruimus, fere congruunt, ita et ipsa nihil valent

---

t) Cf. Fritzschius (diss. I. de nonnullis posterioris Pauli ad Cor. ep. locis, Lips. 1823, 8. p. 58 sq.). — Bretschneiderus quidem (l. c.) et Schottus (isag. in ll. N. F. p. 193.) Paulo in via Damascena speciem *externam*, ad quam ecstasis *interna* accesserit, apparuisse censent; sed et in coniecturis haec sunt posita, et, si recte se haberent, nullo tamen modo comprobari posset, hanc ecstasin eandem fuisse, quae 2 Cor. l. l. memoratur. *v*) Cf. Keilius (ibid. p. 337.). *x*) V. Emmerlingius (l. c.). *y*) L. all. *z*) Difficultates in temporum ratione positae effecerunt, ut ex iis, qui huic, quam modo examinavimus, sententiae favent, alii, ut Lud. Cappellus (cf. p. 161.), Theilius (de quo v. p. 160.), singulares quasdam illorum, qui Gal. 2, 1. memorantur, annorum XIV computationes inirent, alii, Keilium dico, Emmerlingium, Matthaeium, Schottum (cf. p. 128.) et Rinckium, ibidem pro δεκατεσσάρων scribendum esse ducerent τεσσάρων. *a*) Cf. p. 126 sq.

ad demonstrandam rei veritatem [b]), et, admissa hac statuendi ratione, Paulus anno demum 40. vel 41. Iesu discipulis sese adiunxisse putandus esset [c]). — In reliquis vero sententiis examinandis, quoniam illae aut a meris coniecturis, aut ab ea, quam quisque sequitur, temporum computatione pendent, neque omnino ullius sunt in quaestione nostra momenti, non est, quod immoremur.

Ceterum ex his omnibus apparet, Paulum l. n. *ecstasin* dicere *non alibi literis mandatam,* quae ei anno 43. vel 44. aut in Cilicia, aut in Syria, aut in Palaestina videtur oblata esse.

Propius, opinor, ad inveniendam, qua P. Iesu sacris se addixerit, aetatem accedemus, si intellexerimus, *quantum fere temporis inter hanc rem et Christi discessum ex his terris effluxerit.* Quod quidem nequaquam arctioribus includendum esse limitibus, argumentis demonstratur non contemnendis. Etenim priusquam Stephanus obiret (Act. 7, 54 sqq.) [d]), magis in dies creverat apostolorum fama, ita ut non Hierosolymitani solum, sed et ii, qui in regione vicina habitabant, aegrotos ad eos ferrent (5, 15. 16.), et synedrium, postquam verbis eos admonuit, ut a propaganda Christi doctrina desisterent (4, 18. 21.), poenis eos terrendos duceret (5, 40.); Christianorum autem numerus a parvis initiis (1, 15.) sensim (2, 41. 47. 4, 4. 5, 14.) ita adauctus erat, ut apostoli impares essent curandis omnibus, qui Hierosolymis essent, pauperibus (6, 1-6.), ac vel sacerdotes permulti ad Christum colendum se convertissent (6, 7.). Praeterea Lucas eo, quod in omni hac sectione (c. 1-7.), rebus singulis enarratis, identidem adiicit, qualia quoque tempore Christianorum instituta fuerint et qualis vivendi ratio, singulas quasdam aetates distinguit, haud dubie maioribus minoribusve intervallis a se invicem remotas [e]). Nec sine probabilitate argumentum addideris ex Pauli rebus petitum. Etenim licet ille Hierosolymis educatus fuerit (Act. 22, 3.), tamen tantum abest, ut Iesum, quamdiu

---

b) Nam partim hanc ecstasin, *utpote qua P. diserte gentilium apostolus declaratus esset*, haud dubie eius memoriae quam maxime impressam fuisse monent (cf. Schottus, Eroerterung etc. p. 101.), partim eo provocant, quod, quum l. nostrum proxime antecedat narratio de insidiis apostolo Damasci structis (11, 32 sq.), in promtu sit, ecstasin intelligere hanc rem brevi insecutam (v. Schottus l. c., Schraderus l. all. p. 56 sq., qui hoc argumentum singulari quadam ratione exornavit; cf. supra p. 81.). c) Haud pauci eorum, qui 2 Cor. l. c. ecstasin respici putant Act. 22, 17 sqq. relatam, ut difficultates effugerent a temporum ratione oriundas, varias, quae displicent, vias ingressi sunt, ut Spanhemius, Lightfootus, Basnagius, Bensonius, Lorenzius (v. p. 165. not. i.); Harenbergius et Schottus (cf. p. 164. not. g.); Schraderus (v. p. 81.), nec non Wurmius, nuper ad defensores lectionis *τεσσάρων* (Gal. 2, 1.) transgressus (Tüb. Zeitschft f. Th. 1833, 1, p. 60 sqq.). d) Ex instituti nostri ratione capite demum sequenti de anno Stephani fatali, deque aliarum quarundam rerum temporibus, quorum indagationem huic disputationi statim adnectemus, dicendum erat; sed quoniam hac via inita quaestio ea, quae est de anno conversionis P., recte absolvi nequit, de illis rebus hoc loco disserere satius duximus. e) Simili utuntur argumentatione Basnagius (ann. ad a. 37. §. X.), Spanhemius (de anno conv. P. ed. laud. p. 199 sqq.), vir ille doctus in Wachleri n. theol. Ann. I, p. 347 sq.), Küchlerus (l. l. p. 10 sqq.), Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 18 sq., isag. in ll. N. F. p. 194., Eroerterung etc. p. 79 sq.). Cf. etiam Beda (retract. in Act. Ap., ad c. VIII.).

in his terris degisset, se vidisse unquam diserte testetur, ut, quibus locis de domino a se conspecto loquitur, illud indicet tempus, quo ille iam discesserat *f*); tantum abest, ut se eum audivisse unquam commemoret, ut, ubicunque se ab eo edoctum esse tradit, ad eius ἀποκάλυψιν (coelestem illam quidem) provocet. Quae quoniam maxime miranda essent, si P. Iesum inter homines versantem vidisset atque audivisset, summa ille cum veri specie post Iesu demum reditum in coelum Hierosolyma venisse *g*), aut, si forte prius advenisset, ad Christi usque mortem tenerae admodum aetatis fuisse *h*) existimabitur. Prorsus enim commentitia eorum est coniectura, qui eum, antequam Christus in publicum prodiret, in patriam discessisse, post eius mortem Hierosolyma repetiisse opinantur *i*). Iam vero, Paulum sacris Iudaeorum disciplinis egregie eruditum esse, ex ipsius scriptis luculenter apparet; itaque quum ad Christianos vexandos se accingeret, i. e. quum Stephani caedi interesset, eum iam plures per annos Gamalielis institutione usum *k*) et aetatem puerilem dudum egressum esse *) sequitur. Atque ex his omnibus, *Stephanum haud exiguo post Christi discessum tempore obiisse*, vix dubium esse perspicitur. — Sunt autem, quibus e rerum Iudaicarum, quales tum fuerint, rationibus accuratius, quando Stephanus interierit, definiri posse videatur. Etenim Iudaeos, quamdiu Romanis usi sint praesidibus, iure gladii ita caruisse observant, ut iis hos, qui propter crimina civilia capitis rei essent, prorsus non permissum esset supplicio afficere, at iis vero, qui propter sacra violata secundum legem Mos. interficiendi essent, confirmata demum a procuratore sententia hanc poenam sumere liceret. Iam quum in narratione de Stephani caede nulla neque praesulis Romani, neque poenae, quae criminis auctoribus irrogata sit, mentio fiat, eo illam tempore commissam esse arbitrantur, quo is, qui provinciam regebat, tam miti esset erga Iudaeos animo, ut hos legem istam nonnunquam impune migrasse haud incredibile sit.

---

f) 1 Cor. 9, 1. 15, 8. Paulum de Christo in via Damascena a se conspecto agere, ex ipso horum locorum cum iis, quae quemque antecedunt, nexu intelligitur. Quae vero 2 Cor. 5, 16. leguntur: *εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν, ἀλλὰ νῦν οὐκέτι γινώσκομεν*, de cognitione externae Christi formae accipi nequeunt, quippe ex qua interpretatione Paulus minoris duxisset, se Christum vidisse, quam per locum 1 Cor. 9, 1. concedere licet. Quin, accuratius perpensa verborum cohaerentia, apostolus hoc dicere videtur: se, etsi prius in sua de Christo sententia humilem quandam statuendi rationem secutus sit (quatenus v. g. eum rerum Iudaicarum instauratorem, externaeque Iudaeorum felicitatis auctorem habuerit), nunc tamen ab ea opinione recessisse. *g*) Ita Küchlerus (l. l. p. 12.), Schottus (in progr.: isag. in ep. ad Gal. p. 19., isag. in ll. N. F. p. 194., Eroerterung etc. p. 81.); maxime omnium verisimile habet Hemsenius (l. c. p. 7.); cf. praeterea Hildebrandus (Gesch. d. Ap. Iesu etc. p. 141 sq.). *h*) Cf. Wurmius (Tüb. Zeitschft f. Theol. 1833, 1, p. 33.); quamquam is neque alteram illam sententiam improbat. *i*) Ita Heumannus (in comment. theol. de illuminatione Sauli caeca pietate ferventissimi, Ien. 1741, 4. §. IX.); similiter Koehlerus (Annal. d. ges. Theol. etc. 1832, 2. 3, p. 239 sq.). Cf. etiam Bensonius (l. l. I, p. 155 sq.). *k*) Ita Küchlerus (l. l. p. 11 sq.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 19., isag. in ll. N. F. p. 194., Eroerterung etc. p. 80 sq.). *) Sic Wurmius (l. c. p. 33.).

Quod quidem in Pilatum cadere negant, quippe qui homo fuerit in Iudaeos severus et crudelis l); post eius discessum maiorem talis facinoris opportunitatem oblatam esse existimant, Vitellio, Syriae propraetore, Iudaeam quoque gubernante m), qui non uno exemplo n), qua fuerit erga Iudaeos benevolentia, comprobasset o). Sed quamquam vera esse largimur, quae illi de limitibus ils observant, quibus Romani ius gladii Iudaeorum circumscripserint p), tamen, quod inde concludunt de tempore, quo Stephanus occisus sit, id recte concludi negamus. Atque hoc quidem non urgemus, quod tumultuaria fuerit Stephani caedes, ut qui, licet iudicium rite haberi coeptum esset, tamen, media in defensione interruptus, a plebe irruente lapidibus fuerit petitus; quid enim? nonne talis etiam turba gravem merebatur poenam? Alia sunt, quibus facinus illud non minus probabiliter ad Pilati tempora, quam ad aetatem insecutam referri demonstratur. Praesides enim ii, quibus imperatorum ira timenda erat, interdum subditorum animos ita sibi studebant conciliare, ut varia iis etiam praeter ius fasque concederent q). Iam vero quum Pilatus, postquam plura commisit crimina, maxime vereretur, ne quando eorum apud Tiberium accusaretur r), quidni eum talia nonnunquam

---

l) Cf. Ios. Ant. 18, 3, 1. 2. 4, 1. B. I. 2, 9. 2—4. Philo legat. ad Cai. p. 1033 sq. (Luc. 13. 1.). m) Quamquam Iudaeae procuratores Syriae propraetoribus suberant (v. Ios. Ant. 18. 4. 2. 20. 6, 2. B. I. 2, 12, 6. cll. Ant. 17, 12, 5. 18, 1, 1.), hi tamen nonnisi in iis, quae maximi erant momenti, Iudaeorum rebus se immiscebant (cf. Ios. Ant. 18, 1, 1. [2.], 19, 1, 1.). At, Pilato digresso, quum nullus nec a Tiberio, nec a Caligula procurator in Iudaeam legatus esset (nam neque Marcellus, quem Vitellius post Pilati abitum eo misit ἐπιμελητὴν τοῖς Ἰουδαίοις γενησόμενον [Ios. Ant. 18, 4, 2.], nec, quem dehinc Caligula genti imposuit, Marullus ἱππάρχης ea, qua procuratores, potestate pollebat, ac, quod nostra inprimis interest, neuter gladii iure instructus erat; cf. Lardnerus, l. I, p. 145—150.), hac, inquam, aetate varia eorum, quae procuratorum erant, a Vitellio, post a Petronio, Syriae praesidibus, administrabantur (v. Ios. Ant. 18, 4, 3. 5, 3. cll. 18, 2, 2.; Ant. 18, 4, 3. cll. 20, 1, 1. 2). n) V. Ios. Ant. 18, 4, 3. 5, 3. o) Ita Michaëlis (Einl. II. §. 169.), Marshius (Anmkgg. u. Zuss. zu Michaël. Einl. etc. t. II. p. 77 sq. vers. Rosenm.), Kuinoelius (prol. in Acta, p. XX.); similiter Eichhornius (Einl. II, p. 47 sq.). p) Fuerunt quidem, qui Iudaeis procuratore inconsulto capitis supplicio eos afficere licuisse contenderent, qui sacra ita violassent, ut ex lege Mos. hac poena digni essent. Ita v. g. praeter Lightfootum, Io. Ben. Carpzovium, Thom. Goodwinum, Ottonem, Ch. Ben. Michaëlem, Wolfium, quos Hartmannus affert (d. enge Vbindg des A. Ts mit d. N., Hamb. 1831. 8. p. 209 sq.), Seldenus (de synedr. l. II. c. XV. §. XI.), Biscoeus (Erlaeuterg d. Ap. Gesch. p. 82—151.), Krebsius (obss. Flav. ad Io. 18, 31.), Süskindius (l. c II, p. 306 sq.). Sed rectius se habere eam, quam ipsi secuti sumus, sententiam, argumentis gravissimis prae ceteris demonstrarunt Zach. Huberus (diss. iurid. et philol. Franeq. 1702. l. I. diss. I., teste Biscoeo, l. c. p. 82.), Lardnerus (l. l. I, p. 46 sqq.), Hartmannus (l. all. p. 210—216.); cff. praeterea Io. Gottl. Carpzovius, Relandus, Ikenius ab Hartmanno (ibid. p. 209.) laudati, Kuinoelius (ad Mt. 26. 68. Io. 18, 31.), Lückius, Tholuckius Olshausenius (ad eund. ev. Io. loc.), al. q) Cf. inprimis, quae de Flacco, Aegypti propraetore, Philo tradit in libro, qui inscribitur: in Flaccum, inpr. p. 968. Neque alia de causa factum videtur, ut Felix turbas a Ios. Ant. 20, 8, 8. narratas non curaret. r) V. Philo, leg. ad Cai p. 1034. cll. ev. Io. 19, 12 sqq.

Iudaeis indulsisse suspicemur, quibus se gratiam ab iis initurum sciret s)? Etsi, seriori etiam tempori Stephani interitum tribui posse, nequaquam dubitamus; non quia Vitellius benigno erat in Iudaeos animo — nam quae legibus repugnabant, ea minime omnium is permisisse putandus est, cuius virtus in regendis provinciis a Tacito *) laudatur —, sed quia, quum initio, rebus Parthorum occupatus, diu ne esset quidem in Syria t), deinde, ubi rediit, plerumque Antiochiae degeret, nimis erat ab Hierosolymis remotus, quam cui omnes vel minimas turbas adnunciatas esse probabile sit v). Accedit, quod synedrium haud dubie pro virili cavit, ne illud, de quo loquimur, facinus ad praesidis aures perveniret. — Sunt praeterea incertae quaedam de tempore, quo Stephanus perierit, veterum traditiones x); quas nullius esse in hac disputatione momenti, sponte intelligitur.

Quae quum ita sint, in eo perstamus, ut *inter Christi discessum et Stephani caedem aliquot certe annos interiectos fuisse verisimillimum ducamus* y).

---

s) Huic sententiae non posse illud iure opponi, quod Pilatus tandem a Iudaeis accusatus est, Flacci (cf. Philo in Flacc. p. 983 sqq.) et Felicis (v. Ios. Ant. 20, 8, 9.) exempla docent. *) Ann. 6, 32. t) Cf. Tac. Ann. 6, 32—38., Ios. Ant. 18, 4, 4. 5., Suet. Cal. 14. Dio 59, 27. Sane hi in definiendo belli Parthici tempore inter se discrepant; nam Tacitus, Iosepho consentiente, illud Tiberio vivo (et quidem, ut ex c. 38. apparet, secunda, postquam Vitellius provinciam adiit, aestate, i. e. a. 36.) finitum esse narrat; Suetonius et Dio Cassius eius exitum ad Caii tempora referunt. Sed fide digniores sunt Flavius et Tacitus, quippe quorum aetas a rebus illis minus fuerit remota. Ceterum utracunque narratio praeferatur, Vitellius *post* Pilati abitum (quem anno 35. exeunti, vel a. 36. in. tribuendum esse infra docebitur) extra fines Syriae degisse dicendus erit. v) In his exponendis maxime secuti sumus Lardnerum (l. l. I, p. 154—163.). x) Duplex potissimum de hac re traditio invenitur, altera Euthalii et multorum, qui in regionibus occidentalibus degerunt, scriptorum, qui quidem Steph. brevi post Christi adscensionem obiisse statuunt, altera eorum, qui inter utramque rem plures annos interiectos fuisse existimant, Pseudo-Evodium dico (in epistola, cui titulus: φῶς, ap. Niceph. H. E. 2, 3.), Hippolytum Thebanum (teste Glyca, annal. part. III. p. 227. ed. Paris.), qui septennium interponunt, Ioëlem (in chronogr. compend. p. 163. ed Paris.), qui Stephani caedem ad Caii tempora refert, auctorem chronici Alex. (p. 546. ed. Rad.), qui eam in anno Claudii primo collocat. De qua computationis diversitate singularis est Semleri sententia, in prol. ad paraphr. ep. ad Gal. §§. 15—17. — Praeterea Tertullianus (apologet. c. 21.), quem Eusebius (H. E. 2, 2.), Orosius (hist. 7, 4.), alii sequuntur, Tiberium acceptis a Pilato literis, quibus Iesu reditus in vitam aliaque eiusdem miracula describerentur, retulisse narrat de Christo inter deos recipiendo, quum vero senatus restitisset, vetuisse, ne quis Iesu asseclas accusaret. Quae si vera essent, prima Christianorum vexatio (quae Stephani mortem excepit) non sine probabilitate post Tiberii obitum collocaretur. Sed quia et Tiberium illud consilii cepisse, et senatum ei repugnasse, prorsus est incredibile, quid sit de ea narratione sentiendum, quae in his tanquam in fundamentis nititur, sponte patet. His obiter addendum videtur, *diem Dec.* 26. a nonnullis (ut a Baron., ann. ad a. Tib. 18. §. CCCI sq. aliisque) *Stephani diem fatalem* haberi, quod eo die viri illius memoria celebratur. Qui quidem mos iam a secc. inde IV. et V. obtinuit (cff. Greg. Nyss. homil. de S. Steph. opp. ed. Paris. 1638. t. III. p. 354. Augustin. serm. 314. ed. Ben. t. V. part. I. p. 878.); quamquam, an inde originem duxerit, quod fama hoc die Stephanum *periisse* ferret, incertum est. y) Iniuria permulti Stephanum brevi post Christi adscensionem occi-

Stephano autem mortuo non minimum effluxisse censemus intervallum, donec P. Damascum sese conferret; non quia ille in ea narratione, quae est de ultimis Stephani fatis, *νεανίας* (Act. 7, 59.), quo vero loco de hoc itinere Damasceno verba fiunt, *ἀνὴρ* vocatur (Act. 9, 13.) *) — maxima enim in his vocabulis inest ambiguitas —, sed quia, antequam Damascum proficisceretur, non Hierosolymis solum, sed et aliis in locis Christianos persecutus esse traditur (Act. 26, 11.) a).

Quae si recte sunt disputata, summa cum probabilitate a Christi abitu ex his terris, donec Paulus eius sacris initiaretur, tantum temporis praeterlapsum esse concludimus, ut hanc ipsam rem ab anno 38., quo eam serius collocari non posse intelleximus, quam proxime abfuisse, non immerito suspicemur. Atque huic sententiae non levis aliunde accedit confirmatio. Paulus, quum per triennium rei Christianae operam dedisset, non serius anno 41. Hierosolyma, hinc post dies XV Tarsum migravit b), ubi, quia non prius anno 43. (cf. p. 49.) a Barnaba Antiochiam ductus est, biennium certe exegit. Iam vero Barnabas, si Tarsum multo serius, quam biennio, ex quo P. eo se contulerat, praeterlapso intrasset, vix eum adhuc invenisset. Neque enim apostolum nostrum, quo fervebat studio evangelium quam latissime diffundendi, facile multo diutius ibi mansurum fuisse verisimile est, praesertim quum eum, ex quo Christo nomen dedit, *nusquam ultra triennium moratum esse* videamus c). Qua de causa, *quo quisque propius iter illud Tarsense ab a.* 41., eoque ipso *Pauli ad* [illegible]

---

disse credunt. Quorum in numero Koehlerus est, qui (Ann. d. ges. th. Lit. 1832, 2, 3, p. 239.) sententiae suae argumenta partim in istis Stephani verbis: *οὐ νῦν ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς γεγένησθε* (Act. 7, 52.), partim in eo invenisse sibi visus est, quod doctrina salutaris ad Samaritas, quamquam proxime a Iudaea remotos, mortuo demum Steph. perlata sit (Act. 8, 5 sqq.). Sed eo, qui ex Act. c. 7. petitus est, loco, quum opponatur *maiorum aetas*, vocabulo *νῦν* non tam, *quod proxime ab illa oratione aberat tempus*, quam, *quod tum agebatur aevum*, designari certum est. Ad alterum vero argumentum quod attinet, praeceptores Christianos initio ita videmus Hierosolymis haesisse, ut non prius, quam vexatione orta *discedere coacti essent*, aliis in regionibus docerent. Itaque quo longiore tempore praeterlapso saevire persecutio coepit, eo illos serius ad Samaritas instituendos se convertisse sequitur. *) Uti Spanhemius v. g. statuit (de anno conv. P. §. XIX.). a) Multi spatium brevissimum inter Stephani caedem et Pauli ad sacra Christiana transgressum effluxisse putant; eamque sententiam Koehlerus (Ann. d. ges. th. Lit. 1832, 2, 3, p. 239.) ita tueri studet, ut propter locum Gal. 1, 22. inter rem utramque aliquod Iudaeorum festum interpositum fuisse neget. Sed praeterquam quod haec loci illius verba: *ἤμην δὲ ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας ταῖς ἐν Χριστῷ* vix ita urgenda sunt, ut ne unus quidem vel alter eorum, qui his coetibus adscripti erant, apostolum aliquando vidisse putandus sit: quis dubitaverit, plurimos eorum, qui extra Hierosolyma habitabant, Christianorum, quamdiu P. hac in urbe Iesu asseclas persequeretur, metu impeditos esse, quominus eam vel temporibus festis intrarent? b) Hoc iter apostolum aliquot demum mensium spatio perfecisse, incertissima est Hemsenii coniectura (l. c. p. 40.), quippe qui, eum tum in Syria aliquamdiu docuisse, ex loco Gal. 1, 21., sed nullo iure, concludat. c) Neque tamen ex eo, quod Lucas nihil eorum, quae P. Tarsi fecerit, refert, eum per brevius intervallum hac in urbe mansisse collegerim; fieri enim poterat, ut Lucas, quemadmodum de Pauli commoratione in Arabia, ita de iis, quae ille Tarsi egisset, nihil compertum ha-

sacra Christiana transitum propius ab a. 38. abfuisse d) *statuerit, eo,* opinor, *minus a vero aberrare dicendus erit.* —

Quae vero in hac temporis definitione inest ambiguitas, ad eam tollendam num quid faciant, *quae 2 Cor. XI, 32 sq., Act. IX, 23 sqq. traduntur,* dispiciamus. Quibus ex locis, *Paulum Damasco cessisse,* discimus, ut insidias effugeret, quas ipse sibi ab *Aretae regis ethnarcha,* Lucas ei a *Iudaeis Damascenis* structas esse testatur e). Sed antequam hanc narrationem ad usus nostros applicare liceat, quaerendum est, in quodnam vitae apostoli spatium fuga illa sit conferenda.

Paulus Damascum *bis* reliquit, *primum,* quum statim post transitum ad Iesu sacra in Arabiam migraret, *deinde,* quum triennio post Hierosolyma proficisceretur (Gal. 1, 17 sq.); unde factum est, ut alii f) eum tum, quum *primum,* alii g), quum *iterum* Damasco digrederetur, insidias illas fugisse existimarent. Nos, ut hanc, quam ultimo loco memoravimus, sententiam praeferamus, eo potissimum movemur, quod Lucas, quae de hac fuga refert, tam arcte cum narratione de itinere illo Hier. connectit, ut Paulus Damasco relicta statim Hierosolyma petiisse existimandus sit.

---

beret. Multo minus cum Lorenzio (ann. P. p. 74.) ex eadem re concludere licet, Paulum tantillum temporis in Cilicia traduxisse, cuius in computandis eius annis ne ratio quidem habenda sit; vix enim dubium est, quin apostolus hac aetate eas, de quibus Act. 15, 23. 41. verba fiunt, ecclesias Cilicienses condiderit; quam in rem quis non videt tempus haud minimum impendendum fuisse? — Schraderus (l. c. p. 59 sqq.) apostolum sex fere menses Tarsi degisse putat, quia, quum illa aetate perparum commercii inter varios, qui extra Iudaeam constituti fuerint, coetus Christianos intercesserit, Barnabas spatio longiore praeterlapso suspicari non potuerit, se Paulum Tarsi adhuc inventurum esse. At quantulumcunque commercii tum inter Christianos fuerit, tamen illi non omni caruerunt mutua consuetudine; nihil igitur obstat, quominus Barnabam post biennium vel triennium, quam P. Tarsum migraverat, ab uno alterove, ubi ille versaretur, accepisse statuamus. Cf. etiam, quae Schradero Schottus (Eroerterung etc. p. 84 sq.) et Wurmius (Tüb. Ztschft f. Th. 1833, 1, p. 34.) opposuerunt. Praeterea singularis est Pearsonii (ann. P. p. 10 sq.) sententia, qui Paulum Tarso in Syriam transgressum per triennium ibi docuisse, ac, priusquam Barnabas Tarsum veniret, illuc rediisse opinatur. d) Ceterum eadem de causa Barnabae iter Tarsense, eius commoratio inter Antiochenos, Agabi vaticinium, initium famis, quae Claudio imperante Iudaeam pressit, Pauli et Barnabae iter cum stipe Antiochenorum Hierosolyma susceptum, quae quando acciderint, paululum ambigendum esse, cap. II. vidimus, maiore cum veri specie temporibus *prioribus,* quam *serioribus,* assignantur. e) Singulatim de his narrationibus egerunt I. G. Heynius, in dissertt. II de ethnarcha Aretae Arabum regis Paullo apostolo insidiante, Vitemb. 1755, 4., et I. E. I. Walchius, de ethnarcha Iudaeorum Damascenorum Paullo insidiantium, Ien. 1757, 4., quae commentatio recusa est in eius dissertt. in Acta Ap. vol. II, n. III. f) Cellarius (dissertt. acc. VII, p. 153. ed. Walch.), Bertholdtius (l. c. V, p. 2702. 2733 sq.), Kuinoelius (prol. in Acta p. XXII.), Olshausenius (ad Act. 9, 23—25.), alii. g) Keilius (Analecten etc. III, 1, p. 146.), Heinrichsius (ad Act. 9, 22 sq.), Eichhornius (l. l. III, p. 24 sq.), Süskindius (l. all. II, p. 310.) Hugius (l. l. II, p. 312.), Emmerlingius (prol. in 2. ad Cor. ep. p. XX.), Küchlerus (l. l. p. 19. 21.), Hemsenius (l. c. p. 22.), Neander (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. K. etc. I, p. 116 sq.), alii. — Koehlerus, qui apostolum *ter* Damasco abiisse putat, de discessu *secundo* cogitat (l. c. p. 47. cll. p. 3.).

Ad *Aretam* vero quod attinet, cuius ethnarcha s. procurator *h*) Paulo insidiatus est, *Arabum* eum regem fuisse, nomen ipsum prodit (حارث, حرث) multis Arabum principibus commune *i*). Neque dubitan-

---

h) Quamquam ἐθνάρχου vocabulo omnino is designabatur, qui gentem aliquam regeret, usus tamen ferebat, ut inferior haberetur ethnarchae, quam regis dignitas (cf. inpr. Ios. Ant. 17, 11, 4. B. I. 2, 6, 3.); quid quod plurimos eorum, qui hoc nomine appellabantur, ab aliis magis minusve pependisse invenimus. Quae quidem his illustrare iuvat exemplis. Ethnarchae dicti sunt *Simon*, Iudaeorum princeps (1 Macc. 14, 47. 15, 1. 2. Ios. Ant. 13, 6, 6.), qui nemini quidem subditus, tamen (inprimis ratione habita Syrorum regis, a quo prius pependerat) minor videbatur, quam qui rex vocari posset (quamquam ex eius successoribus Aristobulus I., et qui hunc secuti sunt usque ad Hyrcanum II., regio sese titulo ornare non dubitarunt); *Hyrcanus II.* (Ios. Ant. 14, 10, 2. 3. al.) et *Archelaus* (cf. id. ibid. 17, 11, 4. B. I. 2, 6, 3. al.), qui Iudaeos ita regebant, ut ipsi Romanis subessent; *Asander*, qui sub Pharnace rege Bosporo praeerat, serius ab Augusto huius terrae rex constitutus (Lucian. Macrob. c. 17.); eodem nomine *summus Iudaeorum Alexandrinorum magistratus* denotabatur, qui horum res sub Aegyptiorum regibus et sub Romanorum imperio secundum leges patrias administrabat (Ios. Ant. 19, 5, 2. Strabo ap. eund. ibid. 14, 7, 2.), cuius generis magistratum alibi quoque (v. g. Antiochiae, Ios. B. I. 7, 3, 3.), sed ἄρχοντος vocabulo dictum, deprehendimus; adde *Aegyptiorum ethnarchas*, quorum singuli singulis Aegypti partibus a Romanis imponebantur (Strab. l. XVII. p. 798.). Cff. Heynius (de ethn. Aretae I, §. II sqq.), Winerus (bibl. Realwtb. ed. 2. s. v. Ethnarch.). *Arabum ethnarcha* praeter locum nostrum nullus usquam commemoratur; itaque facile adduci quis possit, ut cum Cocceio (comm. in ep. ad Cor. tom. V. opp. p. 443., Walchio teste), cum Walchio (in diss.: antiquitates Damascc. ex Act. VIIII, 1-25. illustratae, Ienae, 1757, 4. [recusa illa quidem in eius dissertt. in Acta Ap. vol. II. n. II.] §. XV.; de ethn. Iud. Dam. §§. VI—IX.) et Rosenmüllero (schol. ad 2 Cor. 11, 32.) Paulum de ethnarcha sive archonte *Iudaeorum Damascenorum*, qui illis ab Areta praepositus fuerit, loqui arbitretur. Sed quum ἐθνάρχου appellatio, quamquam *plerumque* de praefectis *Iudaeorum* usurpata, tamen non *his solis* propria esset, Paulo, si hoc sibi voluisset, diserte, eum *Iudaeorum* ethnarcham fuisse, commemorandum erat. Neque inde, quod nulla alibi mentio invenitur ethnarchae Arabum (Nabataeorum — his enim Aretas noster praeerat; v. p. 174. —), nullum apud hos fuisse, qui eo nomine vocaretur, magistratum, recte concluseris. Erat enim haec regiminis Nabataeorum ratio, ut gentis totius res procurator quidam moderaretur, cui, quia reges plerumque de negotiis publicis parum solliciti erant, fere omnis regni administratio permitti soleret (cf. inpr. Strabo, l. XVI. p. 781.). Is etsi vulgo ἐπίτροπος nominabatur (Strab. l. c. p. 780. 781. Ios. B. I. 1, 24, 6.), tamen, quia nationem universam gubernabat, recte ἐθνάρχης quoque dici poterat; quemadmodum Asander nunc ἐπίτροπος (cf. Dio 42, 46.), nunc ἐθνάρχης (v. Lucian. l. c.) Βοσπόρου appellatus est. Itaque in ea sumus sententia, ut l. n. verisimiliter totius Nabataeorum gentis procuratorem intelligi credamus; quamquam non negamus, siquidem Damascus et regio adiacens tum Aretae paruit (qua de re infra dicetur), de eo cogitari posse, qui singulae huic ditioni impositus fuisset. Nullo autem modo cum Syro interprete faciendum est, qui *ducem exercitus* (ܪܫ ܚܝܠܐ) vertit; nam etsi ethnarchae rei quoque militari praeerant, tamen nequaquam hanc solam curabant. *i*) Cf. regum Arabum indices a Pocockio propositos in specim. hist. Ar., inpr. p. 58. 70. 76—79., et scriptorum Graecorum locos a Wetstenio ad 2 Cor. 11, 32. allatos. Neque tamen omnium hoc nomen fuisse, recte contra Scaligerum Pocockius asserit (ibid. p. 77.). (Mira est Olearii opinio, qui [in notis mss., teste Wolfio in curis ad 2 Cor. l. l.] verba: ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα

dum est, quin h. l. idem ille Aretas sit intelligendus, qui Tiberio imperante atque ultra Tiberii tempora *Nabataeorum* regno praeerat *k*); idque non solum propter nominis et temporis convenientiam, sed et quia Aretae ethnarcha *Damasci* Paulum persecutus est; ab ea enim urbe proxime remoti erant Nabataeorum fines, quippe qui *Coelen Syriam* tangerent *l*), cuius caput Damascus erat.

Sed haec ipsa ethnarchae potestas, qua ei Damascenorum urbem φρουρεῖν (v. 2 Cor. l. c.), i. e. eius portas custodia militari munire *m*) licuit, unde et quando orta sit, est, de quo iam disceptemus. Triplex autem est virorum doctorum de hac re sententia. Alii enim Damascum regibus Arabum, quamquam (id quod nonnulli addunt) ita, ut una cum toto Nabataeorum regno Romanis subesset *), paruisse existimant *n*); alii hanc urbem, soli Romanorum imperio pridem subditam, ad tempus ab Arabe occupatam esse censent *o*); alii,

---

τοῦ βασιλέως ita interpretatus: Areta, imperatoris (Romani) ethnarcha, nomine Areta magistratum quendam Damascenorum, Romano quidem imperio subditorum, sed suis legibus utentium, designari coniecit; non ille memor, nominis illius casum primum non dici Ἀρέτα, sed Ἀρέτας) *k*) Ios. Ant. 18, 5, 1. 2. Quid quod iam sub Augusto regnum auspicatus videtur, siquidem probabiliter idem habetur, qui sub extrema Herodis M. tempora Obodae successit (Ios. Ant. 16, 9, 5.); certe, quo tempore Aretas noster bellum cum Herode Antipa gessit, i. e. ultimo Tiberii anno, satis eum aetate provectum fuisse, ex eo patet, quod Antipas, quum aliquot annis ante illius filiam repudiaret, iam χρόνον πολὺν matrimonio cum ea coniunctus fuerat (Ios. Ant. 18, 5, 1.). Cf. Heynius (de ethnarcha Aretae etc. II, §. VI.). *l*) Nabataeorum regnum ad septentrionalem usque Palaestinae partem et ad Coeles Syriae fines pertinuisse, e Dionysio periegeta apparet, qui (v. 787 sq.) Nabataeos habitasse dicit ad declivia Libani, et ex Ios. Ant. 13, 5, 10. 15, 5, 1. 18, 5, 1. *m*) Φρουρεῖν πόλιν est: urbem praesidio militari munire vel contra impetus hostiles (Herodian. 7, 12. 8, 3. Ios. Ant. 14, 11, 3. Iudith. 3, 6. 3 Esr. 4, 56. al.), vel ne quis ex ea elabatur (ita praeter h. l. apud Ios. Ant. 15, 7, 10.). Ceterum nostro loco de *portis custodia militari clausis*, neque cum Schleusnero (in lex. N. T. s. v. φρουρέω), Süskindio (l. c. II, p. 314 sq.), Schotto (in versione loci 2 Cor. 11, 32.), aliis de *tota urbe copiis circumdata* cogitandum esse, partim inde patet, quod alioquin apostolus, per murum demissus, milites effugere non poterat, partim ex iis, quae Act. 9, 24. narrantur, intelligitur. *) Arabes enim Nabataei, anno a. C. n. 63. ab Aem. Scauro, Pompeii duce, ad foedus cum Romanis ineundum coacti (Ios. Ant. 14, 15, 1. cll. Scauri numo ap. Eckhel. l. c. V, p. 131.) — quamquam Plutarchus (Pomp. 41.) et Orosius (hist. 6, 6.) Pompeium ipsum eos domuisse tradunt — abhinc principibus quidem indigenis, sed qui a Romanis pendebant, utebantur (Ios. Ant. 16, 9, 4. 10, 9., cll. Strab. l. XVI. p. 779.), donec Traianus, postquam Corn. Palma, Syriae praeses, eos devicit, eorum regnum in provinciam converteret. *n*) Ita Erasmus (annot. ad 2 Cor. 11, 32.), Baronius (ann. ad a. Tib. 20. §. IV.), Tillemontius (mém. I, 2, p. 520.), Caveus (antiqq. apost. p. 340. vers. Germ.), Ioach. Langius (de vita et epp. ap. P. p. 15.), Cellarius (l. l. p. 153., de quo v., quae p. 175. not. z. dicentur), Witsius (melet. Leid. p. 23.), Bensonius (l. l. I, p. 215. not.), Eckhelius (doctr. num. vet. III, p. 330.), al. *o*) Sic Guil. Iamesonius (in spicilegiis antiquitt. Aegypti atque ei vicinarum gentium, Glasguae 1720, 8. p. 152., teste Wolfio in cur. ad 2 Cor. 11, 32.), Heynius (de ethnarcha Aretae, II, §§. VII—X.), Walchius (de ethn. Iud. §. IV.), Michaëlis (Einl. I, p. 56 sqq.), Rosenmüllerus (schol. ad 2 Cor. l. c.), Meyerus (l. l. p. 326 sq.), Eichhornius (l. l. II, p. 48—51.), Schmidtius (Chronol. d. Ap. Gesch., p. 136.), Bertholdtius (l. l. V,

Damascum ne tum quidem, quum P. inde fugeret, Arabum in potestate fuisse rati, varias protulerunt coniecturas, quibus explicarent, quid fuerit, quod ethnarchae nihilominus eius exitus custodire liceret *p*). Atque de his sententiis ut recte iudicari possit, paucis dicendum est de ea ratione, quae illa aetate Damascenos inter et Nabataeos ac Romanos intercesserit.

Damasceni, Seleucidarum imperium diu experti, quum Antiochus XII. (anno a. C. n. 85.) obiisset, Aretae cuidam, Nabataeorum regi, sponte et se et Coelen Syriam omnem tradiderunt *q*). Mox tamen cum tota Syria Tigrani, Armeniae regi *r*), hinc Antiocho XIII., quem Lucullus Syris imposuerat *s*), paruerunt, donec eorum urbs a Lollio et Metello, Pompeii ducibus, caperetur *t*). Quo facto ager Damascenus una cum Syria reliqua *v*) a Pompeio in provinciae formam redactus (a. 64. a. C. n.), iisdem, quibus illa, praesidibus Romanis subesse coepit *x*). Post, ubi Damascus per breve temporis spatium Cleopatrae cessit, cui Antonius Coelen Syriam dono dederat *y*), non Arabum *z*), sed Romanorum in potestatem rediit. Nam et numi supersunt hac in urbe cusi, quibus Augusti, Tiberii, Neronis atque aliorum, qui hos insecuti sunt, imperatorum imagines et nomina sunt impressa *a*), et Tiberio Caesare Damascenos litem aliquam Flacci, qui Syriae praeerat, iudicio commisisse accepimus *b*).

Ex quibus quoniam certum est, in errore versari, qui Damascum tum, quum P. ethnarcham fugeret, iam dudum Arabi subiectam fuisse

---

p. 2702 sqq.), Kuinoelius (prol. in Acta, p. XXI.), Hugius (l. l. II, p. 312 sqq.), G. I. Planckius (Gesch. des Chstenths in d. Per. seiner ersten Einführg etc. t. II. p. 86.), Winerus (bibl. Realwtb. s. vv. Aretas et Paulus, et in exc. II. in ep. ad Gal. p. 154.), Emmerlingius (l. c. p. XIX.), Koehlerus (l. l. p. 58.), Schottus (isag. in ep. ad Gal. p. 20., isag. in ll. N. F. p. 195., Eroerterung etc. p. 92—98.), Feilmoserus (Einl. p. 308.), Hemsenius (l. l. p. 19 sq.), Neander (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. Kirche etc. t. I. p. 117 sq. not. 2.), Olshausenius (ad Act. 9, 23—25.), Matthiesius (Erklaerg des Br. P. an d. Gal., Gryphisw. 1833. 8., ad Gal. 2, 1.); neque prorsus repugnant Süskindius (l. mem. II, p. 310—314.) et Wurmius (ll. not. p. afferendis.). *p*) Ita Olearius (in notis mss. cit. Wolfio, l. all.), Süskindius (l. l. II, p. 315 sq.), Wurmius (in Bengelii Archiv etc. IV, 1, p. 36 sqq., et in Tüb. Ztschft f. Th. 1833, 1, p. 25 sqq.). *q*) Ios. Ant. 13, 15, 2. Huc Iustinus martyr (dial. c. Tryph. ed. Paris. 1551 fol. p. 87.) et Tertullianus (adv. Marc. 3, 13.) respicere videntur, quum Damascum, antequam Syriae provinciae adderetur, ad Arabiam pertinuisse memorant. *r*) Tigrani, quem Syri ipsi ad regnum vocaverant (Iustin. hist. 40, 1., cll. Plut. Lucull. 14.), Damascum quoque subditam fuisse, diserte numi testantur ap. Eckhel. (doctr. num. III, p. 247.). *s*) Appian. bell. Syr. c. 49.; Iustin. hist. 40, 2. Ceterum Damascum quoque huic regi subiectam fuisse, etsi nusquam diserte legitur, inde tamen recte concluditur, quod Iustinus Syriacum *Tigranis* regnum in eum collatum esse indicat. *t*) Ios. Ant. 14, 2, 3. *v*) Appian. b. Syr. c. 50., b. Mithr. cc. 106. 118., Liv. epit. l. CI., Vell. Pat. 2, 37. Plut. Pomp. c. 39. *x*) Ios. Ant. 14, 4, 5. 9, 5. *y*) Ios. Ant. 15, 3, 8., cll. numis ap. Eckhelium (l. c. III, p. 330.). *z*) Cellarius quidem (diss. acadd. VII, p. 153.) Aretae, Obodae regis successori (quem vix ab Areta nostro diversum haberi posse vidimus [p. 174. not. k.]), quum Arabiae *et Damasci* regnum usurpasset, ab Augusto illud confirmatum esse contendit; sed Iosepho teste (Ant. 16, 9, 4. 10, 9.) haec nonnisi de Arabia valent. *a*) Cf. Eckhelius (ibid. p. 331.). *b*) Ios. Ant. 18, 6, 3.

censent *), ad indagandam eorum sententiam nos convertamus, qui hanc urbem Romanorum in manu fuisse, sed circa illam aetatem c) aliquamdiu

---

*) Horum in numero non eos solum ponimus, qui p. 174. not. a. allegati sunt, sed et Heynium, quem not. o. commemoravimus, qui ex eo, quod Syriae propraetores primum *Damasci* (Ios. Ant. 14, 2, 3. B. I. 1, 6, 2. 3.; Ant. 14, 9, 5. B. I. 1, 10, 8.; Ant. 14, 11, 7. B. I. 1, 12, 1.), serius, idque ex Vari certe temporibus (Ant. 17, 5. 7. al.) *Antiochiae* habitaverint, *Damascum iam ante Varum*, qui Augusto imperante Syriae praeerat, *ab Arabe captam esse*, concludit. c) I. e., pro diversa de tempore, quo apostolus Damasco fugerit, statuendi ratione (v. p. 172.), aut circa eam aetatem, qua P., vixdum ad Iesu sacra conversus, in Arabiam migravit, aut, qua primum Christianus Hierosolyma tetendit. Quamquam nonnulli eorum, qui fugam illam ab hoc itinere Hierosolymitano statim exceptam fuisse censent, Damascum iam tum, quum P. ad Christianos vexandos eo proficisceretur, sub Aretae imperio fuisse arbitrantur, Eichhornium dico (Einl. II, p. 51.), Emmerlingium (prol. in 2. ad Cor. ep. p. XVIII.), Koehlerum (l. c. p. 59 sq.), Schottum (Erörterung etc. p. 97 sq.). Atque Koehl. quidem, a quo parum discrepat Emm., quum, praeeunte Michaële (Einl. I, p. 59.), ita disputat: Romanos non fuisse laturos, ut cives Damasceni sola pontificis max. auctoritate vincti Hier. ducerentur, argumento utitur admodum infirmo. Romani enim Iudaeis, sive in Palaestina, sive extra Pal. degerent, sua sequi instituta (*Ios.* B. I. 14, 10, 2 sqq. 16, 6, 2 sqq. 19, 5, 2. 3. B. I. 6, 6, 2. Act. 18, 15. al.) ita permittebant, ut iis vel poenas, modo ne capitales essent (cf. p. 168. 169.), ne confirmata quidem per magistratum Rom. sententia, sumere de maleficis concederent (v. Act. 4, 3. 5, 18. 40. Ios. B. I. 6, 5, 3.). Quid igitur impedit, quominus eosdem hanc illis potestatem largitos esse credamus, ut, iubente pont. max., cuius summam in rebus ad legem Mos. spectantibus auctoritatem Hebraei omnes agnoscebant, ex urbibus etiam exteris Iudaeos, si qui legem illam violassent, vinctos Hierosolyma ducerent? Neque haec in coniectura tantum nituntur. Iosepho enim teste, Romani diserte pontificem max. exterorum etiam Iudaeorum arbitrum fecerunt. Nam postquam Iul. Caesar in decreto quodam ad *Sidonios* misso Hyrcanum (II.), pont. Iudaeorum max., eiusque [si qui nascerentur] filios *omnibus sacerdotii magni iuribus* (ὅσα κατὰ τοὺς αὐτῶν νόμους ἐστὶν ἀρχιερατικά) uti, ac praeterea Hyrcanum, si qua lis oriretur *de Iudaeorum disciplina, iudicem* esse voluit (ἂν δὲ μεταξὺ γένηταί τις ζήτησις περὶ τῆς Ἰουδαίων ἀγωγῆς, ἀρέσκει μοι κρίσιν γενέσθαι παρ' αὐτοῦ, Ios. Ant. 14, 10, 2.); postquam idem in alio decreto, *quod per omnem orbem Rom. mitti imperavit*, eosdem *Iudaeorum* iniuriis affectorum *patronos* constituit (Ios. ibid. §. 3.): Augustus, *Iudaeorum Asiaticorum* et *Cyrenaicorum* querelis permotus, edixit, ut *Iudaeis leges suas perinde atque Hyrcani temporibus sequi liceret*, ipsumque hoc mandatum *in templo Ancyrano*, quod Asiatae in eius honorem exstruxerant, *deponi* iussit (Ios. Ant. 16, 6, 2.). Atque hanc sacerdotis summi potestatem de iis quoque Israëlitis, qui extra Pal. versarentur, iudicandi ad aevum usque apostolorum durasse, luculenter inde perspicitur, quod, quum Paulus, ubi Festo procuratori narravit, se Christianos multos et Hierosolymis et in *locis exteris* in vincula coniecisse, atque idem *Damasci* exsecuturum fuisse, ut ne haec contra ius fasque commisisse videretur, addidisset, *eorum perpetrandorum potestatem a pontificibus sibi factam esse* (Act. 26, 10. 12.): tantum aberat, ut Festus, et qui cum eo erant, hac in re offenderent, ut Paulum nihil fecisse confiterentur, quo supplicium vel vincula meruisset (v. 31.). Cf. omnino Walchium (antiqq. Damascc. §. XVIII.), et quos hic ibid. allegavit; Biscoeum (Erl. d. Ap. Gesch. p. 151—156.). Ceterum hinc simul intelligitur, non esse, quod cum Eichhornio statuas, Paulum tum demum, quum Aretae ethnarcham Iudaeis faventem (2 Cor. 11, 32. cll. Act. 9, 23 sq.) accepisset, hanc spem concipere potuisse, fore, ut Damasci amplum, in quo suum in Christianos odium exsereret, theatrum sibi pateret. — Ad Schottum vero quod attinet, is, variis de causis Pauli conversionem anno 37. assignandam ratus, iis,

Arabibus cessisse existimant. Atque hi quidem, quia nullum huius rei vestigium apud eos, qui res illius aevi literis mandarunt, reperitur [d]), in definiendo, cui illa tribuenda sit, tempore in varias abeunt sententias. Multi enim [e]) urbem extrema Tiberii aetate in Arabum potestatem redactam esse arbitrantur, Iosepho innixi [f]), quo teste Aretam circa haec tempora bellum cum Herode Antipa gessisse novimus. Namque Herodes, uxore, quae Aretae filia erat, repudiata, Herodiadem, fratris coniugem, duxerat. Qua de causa Arabs dissidere cum illo coepit, et, quum accessisset lis de finibus Gamalitidis, pugna ab utriusque ducibus commissa, totus fere Herodis exercitus periit. Id ubi Tiberius rescivit, Vitellium, Syriae praefectum, arma contra Aretam sumere, atque aut vivum aut occisi caput ad se mittere iussit. Sed dum ille, Petram adorturus, medio in itinere versatur, nuncius de Caesaris morte (quae a. d. XVII. Kal. Apr. *) a. 37. **) contigerat) affertur. Itaque Vitellius, quum novi imperatoris iniussu perseverare in eo bello non liceret, exercitum in hiberna dimittit, ipse Antiochiam redit. Iam vero Süskindius statim post initium contentionis inter Arabes et Herodem exortae (anno, ut ipse putat, Tiberii XVII.)

---

de quibus p. 178 sq. agetur, argumentis permotus est, ut Aretam anno eodem Damascum cepisse coniiceret; quod quo iure fecerit, brevi indagabitur. Praeterea v., quae p. 179. not. l. de sententiis Eichhornii, Emmerlingii, Schotti dicentur. [d]) Michaëlis quidem (Einl. I, p. 57—59.) Abulfedam in tab. Syriae (p. 15. ed. Koehler.) aliquid referre dicit, ex quo, Damascum circa Ioannis baptistae tempora Romanis ereptam esse, pateat. Sed praeterquam quod hanc narrationem fabulis permixtam esse, V. D. ipse merito concedit, variis opus est coniecturis, donec eo perveniatur, ut leve quoddam eius, de qua loquimur, rei indicium reperiri videatur. — Aliud dominii, quod Arabes illis temporibus in Damascenos exercuerint, vestigium Pocockius (spec. hist. Arab. p. 78.) invenisse sibi visus est in iis, quae nonnulli Arabum scriptores de regibus *Gassaniticis* memorarunt. Hos enim Abulfeda (cf. Pocock. l. l. p. 76 sq.), expulsis, qui prius in Syria regnassent, *Dagjaamitis*, eam ditionem *Gjafna* rege occupasse tradit, cui serius Arabes etiam Codaënses et Graeci *Syriam Damascenam* incolentes se subiecissent. Hinc indicem addit regum Gassanitarum triginta unius, qui inde a Gjafna, donec eorum regnum Omaro chalifa exstinctum sit, imperium tenuerint; quorum nonnulli, ut quartus, ut sextus, aliique *Aretae* nomine insigniuntur. Paululum discrepat scholiastes epistolae Ebn-Abdunii, qui regum illorum primum non *Gjafnam*, sed *Aretam* vocat, eique ad Omari usque aetatem successores fuisse refert 37 (v. Pocock. p. 77 sq.). Totum autem, quod a Syria expugnata usque ad regni interitum effluxerit, tempus secundum alios annorum fuisse 400, secundum alios 600, secundum scholiasten illum 606, Pocockius memorat Iam vero quum Omarus a. 634. imperium adeptus sit, haud improbabile ducit V. D., si vera sit ea, quam scholiastes modo allegatus proferat, temporis definitio, unum ex prioribus familiae Gassaniticae regibus, fortasse primum istum, quem Ebn-Abdunii explicator commemoret, Aretam eundem fuisse, cuius ethnarcham Paulus fugerit. Sed quaenam tandem illis scriptoribus hac in re fides haberi potest, quum et sibi invicem, et auctoribus Graecis ac Romanis repugnent? [e]) Iamesonius, Heynius, Walchius, Michaëlis, Rosenmüllerus, Meyerus, Eichhornius, (Süskindius,) Hugius, Planckius, Winerus (in exc. II. in ep. ad Gal.), Feilmoserus, Koehlerus, Schottus, Neander, Olshausenius, Matthiesius (locis p. 174. not. o. all.). [f]) Ant. 18, 5, 1. 3. *) Tac. Ann. 6, 50. Suet. Tib. 73. — Dio, qui (58, 28.) Martii diem 26. dicit, haud dubie per errorem VII. pro XVII. Kal. Apr. legit. **) Cn. Acerronio Proculo C. Pontio Nigrino Coss. (Suet. l. c. Dio l. l. cll. c. 27.).

fieri potuisse conlicit, ut Aretas, quum Romanos Herodem adiuturos esse praevideret, Damascum expugnaret, quippe quam in bello Herodiano magno sibi emolumento fore speraret. Attamen ita illum perniciem potius sibi paraturum fuisse, nulla est dubitatio. Neque enim Tiberius, qui ei posthac ideo, quod *socium Romanorum* bello petierat, tantopere succensuit, ut eum aut vivum aut mortuum tradi sibi vellet, mitius de eo statuisset, si in *provinciam Romanam* irrupisset. Itaque ex hoc uno, quod Aretas ad illud usque tempus, quo Vitellius eum adoriri iussus est, regnum obtinuit, certo, opinor, concludi licet, eum prius nihil commisisse, quod Tiberium magis etiam exacerbasset. Koehlerus Aretam, simulac bellum a Vitellio adornari intellexisset (i. e. Februario, uti ille credit, a. 37.) Damascum cepisse arbitratur, ut, dum Vitellii legiones Petram, Aretae regiam, obsiderent, natura illam quidem egregie munitam, ipse, impetu in Syriam et Palaestinam facto, Romanis noceret; sed tribus fere mensibus praeterlapsis, quum Vitellius milites revocasset, ei, quem Damasco imposuisset, ethnarchae, ne forte nova belli ansa praeberetur, in mandatis dedisse, ut ex ea urbe discederet. Sed haec quam maxime a veritate aliena sunt. Nam Vitellius, nuncio de Damasci expugnatione accepto, non poterat, quin primum omnium huic urbi recuperandae operam daret, praesertim quum ei, dum Antiochia Ptolemaïdem tendit, iter per ipsam Coelen Syriam faciendum esset. Neque Aretam, postquam Vitellius Coeles Syriae fines iam transgressus erat, Damascum adortum esse suspiceris; etenim Romanorum dux, ut caveret, ne quid bello prospere gerendo obstaret, illico reversus esset ad Arabes ex urbe pellendos. Attamen tantum abest, ut vel levissimum huius rei vestigium inveniatur, ut nullam aliam exercitui moram interpositam esse legamus, quam quae inde orta fuerit, quod propraetor, ne religiosos Iudaeorum animos signis (in quibus simulacra inerant) per eorum terram ferendis offenderet, per ambages Arabiam versus duxerit. Plurimi autem Damascum statim post Vitellii reditum in Syriam occupatam esse censent; quam sententiam quia maxime omnium Hugius exornavit, eam, qua hic usus est, argumentationem in medium proferamus. Statuit igitur V. D., Aretam et victoriae de Iudaeis relatae opportunitate, et eo, quod exercitus Vitellianus in hiberna reversus fuerit, et nuncio de Tiberii obitu permotum urbem Damascenam aggressum esse, quippe quam et olim Arabibus paruisse, neque exiguo sibi commodo futuram esse sciverit. Ceterum (consentientibus Winero, Feilmosero, Hemsenio, Neandro) eam sub Aretae potestate fuisse coniicit ad annum usque Caii Caesaris secundum (a. D. 38.) *), quia, quum hic eo anno Arabibus Ituraeis (qui non procul a Damasco habitabant) regem imposuerit, Cotyi Armeniam minorem et nonnullas Arabiae partes dederit, ac Polemoni, Polemonis filio, regnum

---

*) Annum dicimus Caligulae *secundum*, Hugii verbis insistentes, quamquam Dio (cf. c. 9.) de eo loquitur anno, qui Coss. habuerit M. (Aquilam) Iulianum P. Nonium (Asprenatem), i. e. de a. 38. a. D., cuius pars prior ad *primum* Caii annum pertinet. (Itaque minus recte Schottus [Eroerterung etc. p. 95.], Neander [Gesch. d. Pflzg d. chstl. K. etc. I, p. 117.] ea, quae Dio c. 12. tradit, ideo, quod secundus huius imperatoris annus initio a. 39. finitus sit, ad hunc a. referri posse arbitrantur.)

paternum (i. e. Pontum) restituerit *g*), non potuerit non Damascum Nabataeis eripere. At Damascum brevi post Vitellii reditum ab Arabe expugnatam esse, maxime a probabilitate alienum est. Quomodo enim ille vix evitato, quem Romani ei paraturi fuerant, interitu hos iterum ad bellum provocare ausus esset, praesertim quum cognitum haberet, qualis esset Vitellius, qui, ut Tacitus ait *h*), „regendis provinciis prisca virtute egit", quum ante oculos versarentur tristissima Artabani fata, qui illius et fortitudine et dolo modo ad deditionem adactus fuerat *i*)? Quid quod hanc ipsam ob causam incredibile est, Aretam prius, quam Vitellius de munere abiisset, ad Damascum occupandam se accinxisse *). Huc accedit, quod Arabs, si Vitellio in Syriam reverso victoria de Galilaeis reportata uti voluisset, *Herodem* iterum aggressus esset *k*). Deinde si vel Aretas Damascum tum cepisset, nequaquam eam ad a. usque 38. tenuisse existimari posset; neque enim Vitellius tulisset, ut, quae civitas ad suam pertineret provinciam, anni fere spatium hostis in potestate maneret *l*). Nullius certe est momenti, quod Hugius monet, Vitellio, cui sine imperatoris mandato continuare bellum inceptum non licuerit, minus etiam Caesaris iniussu novum suscipere bellum licuisse. Nam etsi Nabataeus ideo, quod cum Romanorum socio proelio erat congressus, poenam merebatur, Vitellio tamen exspectandum erat, num Caius eadem, quae Tiberius, imperaturus, an vero aliam de Areta poenam sumturus, an veniam denique largiturus esset; sed si Damascum ille expugnasset, propraetoris erat, confestim ad hanc urbem recipiendam proficisci; quomodo enim de imperio actum fuisset, si provincias tum demum ab hostium iniuriis defendere licuisset, quum Caesaris mandata advenissent? Praeterea Dio, quamvis accurate enarret, quid Caligula a. 38. de rebus Asiae statuerit, nullam tamen infert *Damasci* mentionem. — Sola igitur eorum sententia restat, qui, quia incredibile sit, Damascum Vitellio praeside ab Areta expugnatam esse, eam non post huius abitum (qui in a. 40. conferendus videtur *m*)) accidisse existimant *n*). Ac sunt profecto, quibus facile

---

g) Teste Cassio, 59, 12. *h*) Ann. 6, 32. *i*) V. Tacitus, Joseph., Sueton., Dio ll. p. 170. not. t. allatis. *) Id quod scite observatum est a Schmidtio (Chronol. d. Ap. Gesch. p. 136.), consentientibus Bertholdtio, Kuinoelio, Winero (bibl. Rwtb.), II. p. 174 sq. not. o. citatis. *k*) Ita recte Koehlerus (Abfassgszt d. epist. Schften etc. p. 59.). *l*) Multo minus cum Eichhornio, Emmerlingio, Schotto (cf. p. 176. not. α) Aretas Damasco per *triennium* praefuisse dici potest. Sane ex Emmerl. sententia fere totum hoc triennium in *Petronii* aetatem incidit (ab a. Caligulae 3. ad Claudii a. 2.); sed quo tandem iure eum, qui bello praefectus est contra Iudaeos gerendo, tam ignavum fuisse suspicemur, ut Damascum tantum per intervallum hostibus permitteret? *m*) Petronium aestate a. 40. sese accinxisse, ad Iudaeos cogendos, ut Caii statuam reciperent, p. 187. not. f. demonstrabitur. Quem quum Iosephus (Ant. 18, 8, 2.) hac ipsa de causa in Syriam legatum esse referat, ut statuam illam in templo poni curaret, eodem anno eum hanc in provinciam venisse, colligendum videtur. Attamen Philo (leg. ad Cai. p. 1022.) Petronium tunc non *missum*, sed *iam in Syria fuisse*, indicat. Iam quia, ut infra videbimus, in ea narratione, quae est de rebus inter Iudaeos et Petronium propter Caii statuam gestis, minor Iosepho, quam Philoni, fides habenda est, illam temporis definitionem non satis certam esse apparet. *n*) Schmidtium dico, Bertholdtium, Kuinoelium, Winerum (bibl.

quis adducatur, ut de eo potissimum tempore cogitet, quo Petronius, Vitellii successor, ut Caligulae obediret, Iudaeos adigere volebat ad imperatoris statuam in templo Hieros. collocandam (i. e. inter aestatem a. 40. et initium a. 41. o)). Petronius enim, quum multis Iudaeorum precibus exoratus neque hos in desperationem coniicere vellet, neque imperatoris iussibus non obtemperare auderet, quum nunc illorum animos ad obsequium Caesari praestandum permovere, nunc Caium ad saniorem mentem reducere studeret, variis iisque maximis premebatur curis. Qua quidem opportunitate quum Aretas facile moveri posset, ut se Damascum, maioribus suis ereptam, recepturum, eoque simul de Romanis, qui in bello Herodiano ipsum offenderant, vindictam sumturum esse speraret; augeri haec spes eo poterat, quod Iudaeos iamiam rebellaturos esse verisimile erat. Attamen gravissima sunt, quae huic quoque coniecturae obstant. Etenim cui tandem persuadeatur, et Iosephum et Philonem silentio transmissuros fuisse eiusmodi rem, quae Iudaeis a Petronio pressis levamen attulisset non exiguum, praesidis curis iam inter res Iudaicas et Damascenas divisis? Deinde si Petronius, quamdiu ei res cum Iudaeis esset, i. e. ad initium usque imperii Claudiani, Arabes aggredi non valuisset, nonne postea (si vel illi sponte Damasco cessissent) propter tantam facinoris audaciam poena de iis sumenda, nonne bellum iis inferendum erat? cuius quidem memoriam quis, quaeso, crediderit ita aboleri potuisse, ut eius ne levissimum quidem vel apud Iosephum vel alibi vestigium reperiatur? — Ceterum de aetate seriore non est, quod quaeramus; Pauli enim fugam post a. 41. collocari non posse vidimus; nec, si quaereremus, ullum facile inveniremus temporis spatium, quo Damascus in Nabataeorum manum venisse probabiliter existimaretur.

Atque his tantis difficultatibus quum obsita sit eorum sententia, qui, quod ethnarchae Damascum custodire licuerit, inde derivandum esse putant, quod haec urbs tum Aretae sub potestate fuerit: dispiciamus, annon idem alia ratione explicari queat. Cuius rei periculum Süskindium et Wurmium fecisse memoravimus p). Ac Süskindius quidem ita de hac re statui posse suspicatur: dissidiis inter Aretam et Herodem Antipam brevi post repudiatam ab Herode Aretae filiam exortis, ethnarcham Nabataeum aliquando cum exercitu in Damasci vicinia versatum, venia a Romano huius urbis praefecto impetrata, militibus *extrinsecus* positis eam custodivisse. Sed si vel ethnarcha praefecto Romano persuasisset, custodia adhibita cavendum esse, ne Paulus elaberetur, hunc suis potius, quam Arabum militibus exitus urbis observandos traditurum fuisse, quis est, quin intelligat? Huc accedit, quod ex verbis: *ἐν Δαμ. ὁ ἐθνάρχης - - ἐφρούρει τὴν Δαμ. πόλιν,* ethnarcham tum non *extra* urbem degisse, perspicitur. Wurmius non milites *Nabataeos*, sed *Iudaeos Damascenos*, ethnarcha vel instigante, vel prospiciente, ne quid iis impedimenti obiiceretur, portas custodivisse coniicit. Cui sententiae tantum abest ut quid recte opponi posse credamus, ut maxima eam veri specie commendari censeamus. Luca enim teste (Act. 9, 23 sq.) *Iudaeos* Damascum incolentes portas observasse novimus. Quam narrationem

---

Realwtb.); v. p. 174 sq. not. o.   o) Cf. p. 187. not. f.   p) P. 175. not. p.

ita solent cum iis, quae P. 2 Cor. 11, 32. tradit, conciliare, ut Iudaeos aliquot, quibus apostolus de facie cognitus esset, militibus se adiunxisse dicant, qui, si ille forte accederet, his rem indicarent. Sed licet haec sententia tolerari possit, tamen, quia Lucam de Iudaeis solis cogitasse manifestum est, nonnisi Iudaeos exitus custodivisse rectius statuere nobis videmur. Quod quum iis haud dubie non liceret, nisi permittente Romano urbis magistratu, ab hoc eius rei veniam impetrasse existimandi erunt. Iam vero fac, Aretae ethnarcham (qui Paulo iam prius, quum ille in Arabia esset, infensus fuisse videtur q)), forte fortuna eodem, quo apostolum, tempore propter negotia nescio quae Damasci versatum esse: nonne fieri facile poterat, ut hic aut sponte, aut a Iudaeis, Paulo itidem inimicis, rogatus r), auctoritate sua apud magistratum Dam. intercederet, ut illis portarum observandarum potestatem daret? Quo facto aeque ethnarcha ac Iudaei Damascum custodivisse dici poterant. — Ceterum si res ita se habuit, profecto in eo, quod *Aretae ethnarcha* in causa fuit, cur P. Damascum relinqueret, nihil inest, quo uti liceat ad tempus fugae illius constituendum. Attamen fortasse ex eo, quod *Iudaei* portis armati adstiterunt, eius rei aetas non sine omni veri specie eruatur. Etenim si omnino, ubi de anno, quo P. Damasco fugerit, quaeritur, probabilius de a. 40. vel 41., quam de tempore priore cogitatur: equidem Iudaeos Damascenos vix ante a. 41. ad Paulum *publice* persequendum se accinxisse existimaverim. Nam quum Caligula inprimis ab anno inde 40. Iudaeos magis in dies odio haberet, quod soli se tanquam deum agnoscere nollent, hi ab ethnicis variis iniuriis, in ipsa potissimum Iudaea atque Alexandriae, affecti sunt s). Qua quidem aetate neque Iudaeos Damascum incolentes, quibus tum quam maxime cavendum erat, ne quam odii, in quo apud cives ethnicos erant t), effundendi ansam praeberent, de portis obsidendis cogitasse, neque magistratum iis, quos Caesari

---

q) Fortasse propter turbas inde ortas, quod Iudaei Pauli doctrinae resistebant. Certe nequaquam casu videtur accidisse, ut Paulum ex *Arabia* reversum *Arabum* ethnarcha persequeretur; cff. Süskindius (l. c. II, p. 315.), Wurmius (in Bengelii Archiv etc. IV, 1, p. 38., Tüb. Zeitschft f. Th. 1833, 1, p. 27.), alii. — Ceterum sunt, qui ethnarcham ideo Paulo succensuisse coniiciant, quod Iudaei eum tanquam *Romanorum speculatorem* detulissent. Ita v. g. Baronius (ann. ad a. Caligulae 1. §. IV.), Caveus (antiqq. apost. p. 340. vers. germ.), Grotius (ad 2 Cor. 11, 32.), Fellus (in l.: a Paraphrase and Annotations upon all St. Paul's Epistles, Londini 1702, 8. p. 106., teste Heynio), Heynius (de ethn. Ar. I, §. XVI.), Meyerus (l. l. p. 327. not.). Qua sententia admissa ethnarcha Paulo tempore belli inter Aretam et Herodem gesti insidias struxisse, Damasceni vero tunc in Arabis potestate fuisse existimandi essent; quod cur a veritate alienum habeamus, modo exposuimus. r) Quod ethnarcha *una cum Iudaeis* Paulum persecutus est, id nonnulli (ut Basnagius, exercit. contra Baron. p. 163., teste Walchio, Walchius ipse, antiqq. Damascc. §. XVIII., Heynius, de ethn. Aretae, II, §. XI., Haselaarius, l. l. p. 97., Meyerus, l. all. p. 327.) ita explicant, ut *ethnarcham ipsum Iudaeum fuisse* suspicentur; verumtamen Arabes vix praefectum Iudaeorum sacris addictum tulissent (cf. Ios. Ant. 16, 7, 6.). Itaque rectius huius rei causa in eo poni videtur, quod apostolus Iudaeis non secus, atque Arabi odiosus erat. s) Cf. Philonis libros in Flaccum et de legatione ad Caium fere integros, Ios. Ant. 18, 8. B. I. 2, 10. t) Cf. Ios. B. I. 2, 20, 2.

invisos esse sciret, venia eius rei concessa, gratum fecisse crediderim. Itaque tum demum Iudaeos Dam. Paulo insidias struxisse censuerim, quum Claudius, brevi postquam imperium adeptus erat, in omni orbe Romano sua Iudaeis iura restituisset. Quamquam, hanc argumentationem non satis certam esse, ipsi largimur.

Iam quum praeter haec, quae modo exposuimus, nihil sit, quo ad invenienda, de quibus hucusque quaesivimus, tempora uti liceat (neque enim dubiae veterum traditiones v) quidquam afferunt emolumenti), *in eo acquiescimus, ut Paulum serius a. 38. Christo nomen dedisse, serius a. 41. primum Hierosolyma repetiisse negemus; easque res longe probabilius his ipsis annis vel temporibus proxime antegressis, quam aetati remotiori tribuendas esse existimemus* x).

Ceterum hac disputatione effectum est, ut variis de rebus, de quibus hucusque nobis ambigendum erat, certius iudicare liceat. Primum enim temporum rationem non obstare intelligimus, quominus Gal. 2, 1. lectio δεκατεσσάρων retineatur; itaque collapso gravissimo eorum, quibus τεσσάρων scribendum videtur, argumento (cf. p. 128. et 131.), *non est, quod a Paulo ipso δεκατεσσάρων positum esse dubitemus.* Deinde *hunc annorum numerum rectius ab eo tempore, quo P. sacra Christiana amplexus est, quam ab eo, quo Damasco Hierosolyma, vel quo Hierosolymis Tarsum petiit, computari* (v. p. 161 sqq.) discimus; *illud denique iter, quod Gal. 2, 1 sqq. Act. 15, 2 sqq. memoratur, verisimilius in a. 51., vel, quod proxime antecessit, tempus, quam in aetatem priorem conferri* apparet (v. p. 114.).

---

v) Veteres in hoc tempore definiendo non secus atque in constituendo Stephani anno fatali (cf. p. 170. not. x.) dissentiunt. Nam Euthalius multique scriptores occidentales rem non ita multo post Christi adscensionem in coelos contigisse statuunt, alii, ut auctor recognitionum, quae Clementi Rom. tribuuntur (I, 42. cll. 71.), Hippolytus Thebanus et Pseudo-Evodius eam septennio serius ponunt; Ioëles de Caii aetate, auctor chronici Alex. de secundo Claudii anno cogitat (locis p. 170. not. x. allegatis.). — *Die Ian.* 25., quo ecclesia occidentalis Pauli ad sacra Christiana conversionem celebrat, prius non huius rei, sed reliquiarum apostoli Romam translatarum memoriam recoli solitam esse, Tillemontius docet (mém. etc. I, 2, p. 794.). x) Itaque eorum sententia, qui Hierosolymitanos Paulo a Damascenis reverso ideo diffisos esse (Act. 9, 26.) putant, quia bellum inter Aretam et Herodem gestum impediverit, quominus certi de eius transitu ad Iesu sacra nuncii afferrentur (v. p. 125. not. **.), parum verisimilis est, siquidem bellum illud iam anno 37. ineunte ad finem est perductum.

CAP. V.

DE TEMPORIBUS EORUM,

QUAE ACT. I, 12 — VIII, 40. IX, 31 — XI, 24. XII, 25 — XIV, 28. MEMORANTUR.

His ita enarratis, reliqua secundum eum ordinem, quo quidque in Actis relatum est, persequi licet.

Ac primum quidem *ea, quae Act. I*, 12 — *II*, 42. *continentur*, ad annum eundem pertinere, quo Iesus in coelum adscendit, nulla est dubitatio. Deinde, *quae abhinc usque ad capitis IV. versum* 31. *exponuntur*, prius gesta esse, quam Caiaphas munere privaretur, probabiliter inde concluditur, quod cap. 4, v. 6. praeter Caiapham non commemoratur, qui hunc in pontificatu secutus est, Ionathas, Anani filius. Itaque ut intelligamus, quibus temporum limitibus res illae includendae videantur, de *eo anno* quaerendum est, *quo Caiaphas sacerdotio summo demotus sit*.

Ionathas, Caiaphae successor, unum certe annum sacris praefuit; alio enim azymorum festo dignitate pontificia ornatus, alio eadem deiectus est [a]). Magistratu autem abiit a. 37. [b]); itaque non serius a. 36. in Caiaphae locum est substitutus. Quod quidem utrum iam prius factum sit, necne, ex *Pilati* rebus discimus. Eum, Iosepho teste, Vitellius, Syriae praeses, paulo antequam Caiapham a munere amoveret, Romam proficisci iussit, ut Caesari eorum, quorum a Samaritis accusatus erat, rationem redderet [c]). Iam plurimi quidem in ea sunt sententia, ut Pilatum perbrevi ante Tiberii obitum (i. e. a. 37. in. vel a. 36. ex.) discessisse credant, quia Flavius eum in urbem *properasse*, neque tamen ante illius mortem advenisse narret [d]). Sed quamquam haec a veritate proxime videntur abesse, tamen praeter ea, quae modo de ultimo, quo Caiaphas pontificatum gesserit, anno

---

a) Ionatham a Vitellio in Caiaphae locum suffectum esse *paschatis festo*, Iosephus docet, Ant. 18, 4, 3. Hinc, teste eodem (ibid.), Vitellius Antiochiam reversus, serius denuo Hierosolyma venit, quo tempore solennitas quaedam celebrabatur. Ibi dum versatur, et Ionathae pontificatum abrogavit, et, quum nuncius de Tiberii morte allatus esset, populum in Caii verba iurare iussit (Ant. 18, 5, 3. cll. Phil. leg. ad Cai. p. 1025.). Tiberius a. d. XVII. Kal. Apr. a. 37. decessit (v. p. 177. not. * et **), quo quidem anno quum festum paschatis non ante vesperam diei Aprilis 17., i. e. non ante diem 32. ab obitu Tiberii, agi coeptum sit, eam, cuius aetate Ionathas munere demotus est, solennitatem *azymorum festum* fuisse, dubitare non licet. *b*) V. not. anteced. *c*) Ant. 18, 4, 2. cll. §. 3. *d*) Ibid. §. 2.: *Πιλάτος -- εἰς Ῥώμην ἠπείγετο, -- πρὶν δὲ ἢ τῇ Ῥώμῃ προσχεῖν αὐτὸν, φθάνει Τιβέριος μεταστάς.*

diximus, alia quoque sunt, quae secus statui iubent. Etenim quum Pilatus iam in itinere versaretur, Vitellius paschatis festo Hierosolyma ingressus a Iudaeis rogatus est, ut stolam pontificiam, quae ab Herode et Archelao, atque a procuratoribus Romanis in arce Antonia servata fuerat, ipsis condendam traderet. Id ubi Vitellius per literas cum Tiberio communicavit, hic, quod illi petierant, concessit [e]). Tiberius a. d. XVII. Kal. Apr. a. 37. [f]), prius igitur, quam pascha ageretur, animam efflavit; itaque quae de sacra stola azymis iam praeterlapsis constituit, ea ante annum 37. gesta esse necesse est. Unde Pilatum a. certe 36. aliquanto ante paschatis festum potestate expulsum esse sequitur. Quod vero Iosephus eum Romam festinasse, sed post ultima demum Tiberii fata advenisse dicit, ita illud explicandum videtur, ut eum celeriter quidem e Palaestina discessisse, sed in itinere continuando aut sponte moras nexuisse, aut variis impeditum esse difficultatibus coniiciamus, quominus Tiberio vivo Romam assequeretur [g]). Neque tamen prius, quam *parvo ante azyma anni* 36. tempore Iudaeam reliquisse putandus est. Nam Vitellius anno demum 35. Syriam pro praetore gubernare coepit [h]), quo propter hiemem non facile ante pascha pervenire potuerat; et Pilatum in itinere Romano *biennium amplius* exegisse, prorsus est incredibile. Quibus de causis *hunc exeunte a.* 35. *vel a.* 36. *ineunte, Caiapham inter azyma a.* 36. *rerum, quibus quisque impositus fuerat, cura demotos esse*, luce clarius est [i]).

Itaque *quae tradita sunt Act.* 2, 43—4, 31., plane ut videtur, *intra annos* 31. (v. p. 38.) *et* 36. *acciderunt.* Accuratius autem harum rerum tempora definiri possent, si vera essent, quae nonnulli de ea statuerunt ratione, quae inter Annae (sive Anani) et Caiaphae pontificatum intercesserit. Nam quum alii aliter explicare studerent, cur Lucas Act. 4, 6. (non secus atque in evang. 3, 1.) Annam, licet ille iam dudum a Valerio Grato munere privatus esset [k]), *τὸν ἀρχιερέα* dixerit, Caiapham eo nomine non ornaverit: fuerunt, qui in hanc deferrentur sententiam, ut *Annam et Caiapham per vices annuas sacerdotio summo functos esse* crederent [l]). Ita si res se habuisset, illa certe, quae Act. 4, 1—31. narrantur, aut eo intervallo, quod erat a Nisano a. 32. usque ad Nisanum a. 33., aut inter menses eosdem a. 34. et 35. evenissent; anno enim 31., quo Iesus obiit, Caiapham pontificatum gessisse, ex ev. Io. 11, 49. 51. 18, 13. constat. Sed quia nullum vel apud Iosephum vel apud alios scripto-

---

e) Ios. Ant. 15, 11, 4. 18, 4, 3. *f*) V. not. a. *g*) Ita Lardnerus (l. l. I, p. 687—699.), quem de tota hac quaestione conferri velim. V. etiam Schraderus (l. c. p. 24.). *h*) Tac. Ann. 6, 32. (C. Cestio Gallo M. Servilio Rufo Coss.; cf. c. 31.) *i*) Ad eandem de temporibus iis, quibus Pilatus et Caiaphas muneribus privati fuerint, sententiam Schraderus aliis quibusdam argumentis perductus est (l. c. p. 23. cll. p. 6 sq. 22.), sed quae vel falsa sunt, vel ambigua. Ceterum neque prius defuerunt, qui Pilatum a. 36. e provincia discessisse statuerent, ut Labbeus (chronol. I, p. 149.), Lardnerus (l. not. g. laud.), Heinrichsius (prol. in Acta, p. 56.), alii. *k*) Ios. Ant. 18, 2, 2. *l*) Ita post Augustinum (tract. 49. in Io.) Beza (ad Mc. 2, 26.), Petavius (doctr. temp. X, 58.), Basnagius (ann. ad a. 28. §. XI.), al. Similiter Seldenus (de succ. in pontif. I, 12.), qui vicibus annuis alterum synedrii principem, alteram synedrii patrem, qui dicebatur, fuisse coniicit.

rat Iudaicos indicium reperitur, unde pontifices binos vicibus annuis vestes sacras gessisse appareat, hac potius de causa l. n. Annam τὸν ἀρχιερέα vocatum esse censemus, quod *olim pontifex fuerat* m); Caiaphae autem eius nomen ideo anteponi existimamus, quod et illius socer erat (Io. 18, 13.), et prius sacris praestiterat n). — Ceterum neque *Ioannis* et *Alexandri* nomina, quae Act. l. all. adiiciuntur, ullius sunt in hac quaestione momenti; prorsus enim, quinam illi fuerint, ignoramus o).

Ad *ea* transimus, *quae inde ab Act. c. IV, v. 32. usque ad c. VI, v. 7. referuntur;* in quibus quum nulla, qua recte uti liceat, temporis nota reperiatur, in eo acquiescendum est, ut ea ante Stephani mortem evenisse dicamus. Quamquam fuerunt, qui dissentirent, iis innixi, quae c. 5, v. 36. leguntur. Ibi Gamalieles praeter *Iudam Galilaeum*, quem a. 6. vel 7. aer. Dion. turbas movisse constat p), de *Theuda* quodam meminit, qui fuerit πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν. Iam quoniam Flavius q) deceptorem quendam, Theudae nomine appellatum, Fado res Iudaeae curante (i. e. non prius a. 44. r)) exstitisse narrat, qui simillimis, atque ille, de quo Gamal. loquitur, usus est fatis: nonnulli, alterum ab altero non diversum fuisse rati, ea, quae l. n. traduntur, a. 44. vel serius gesta, atque a Luca anticipata esse existimarunt s). Attamen quis est, quin hanc narrationem ita et cum antecedentibus et cum sequentibus connexam esse videat, ut nullum prorsus appareat anticipationis vestigium? Accedit, quod Gamalieles diserte, Theudam *ante* Iudam Galilaeum seditionem excitasse, memorat t). Itaque et hac, et aliis, quas de Theuda isto protulerunt, sententiis v) missis, duo potius fuisse censemus deceptores eodem nomine insignitos, quorum alter ante Iudam Galilaeum, alter Fadi temporibus rebus novis studuerit x).

Ex iis, quae supra (p. 167 sqq.) de ultimo Stephani tempore disputata sunt, pluribus illum post Christi mortem annis, neque vero parvo, antequam Paulus ad Iesu sacra se converteret, intervallo obiisse intelleximus. Quibus hoc unum addendum videtur, *eius caedem*, quia Paulus probabiliter a. 38. vel proxime ante Christo nomen

---

m) V. p. 93. n) Cf. Ios. B. I. 2, 12, 6., ubi Ananias, qui eo, quod illo loco attingitur, tempore pontificatu fungebatur, post Ionatham, qui ea dignitate prius ornatus fuerat, commemoratur. o) Varias quidem varii de his viris coniecturas protulerunt, sed quarum plurimae ne speciem quidem veritatis prae se ferunt. p) Ios. Ant. 18, 1, 1. 20, 5, 2. B. I. 2, 8, 1. q) Ant. 20, 5, 1. r) V. p. 44. s) Chstph. Mtth. Scheuffelhutius (in epist. - -, in qua Theudam Lucae Act. V, 36. et Iosephi XX, 2. esse eundem disseritur, Lips. 1772, 4. p. XI sqq.) et Paulus (Heidelb. Jahrbb. 1827, 7, p. 653 sq.). t) Act. 5, 36.: πρὸ - τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς et q. s. rel.; v. 37.: μετὰ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος. Attamen fuerunt, qui Lucam verbis istis hoc sibi voluisse negarent, Theudam Iuda priorem fuisse. Sed quas illi, ut hoc efficerent, excogitarunt coniecturas (vv. Wolfius, Heinrichsius, Kuinoelius, ad l.), earum nulla ne levi quidem veri specie commendatur. v) De quibus cff. Kuinoelius (ad Act. l. l.) et Winerus (bibl. Realwtb. s. v. Theudas.). x) Quemadmodum post Origenem (c. Cels. 1, 6.) permulti statuerunt (v. Kuinoel. l. l.). Vix enim ferri potest, quod hodie haud pauci suspicantur, Lucam non solum Gamalielis orationi immiscuisse rem serius gestam, sed et opinatum esse, *ante* Iudae tumultum accidisse, quae *triginta fere annis post* evenissent.

dedisse existimatur (v. p. 182.), *non sine veri specie in a. fere 36. vel 37. conferri.*

Stephano interemto crudelem Christianorum vexationem Hierosolymis ortam esse, Lucas adiicit, cuius causa et alii fugerint, et Philippus evangelista, qui quidem in Samariam delatus, huius terrae incolas edocuerit. Ea re audita, Petrum et Ioannem eodem profectos cum his, qui Christo nomina dedissent, spiritum sanctum communicasse, et castigata Simonis magi perversitate, doctrinaque salutari latius per Samariam disseminata, Hierosolyma rediisse; a Philippo autem eunuchum quendam Candaces, reginae Aethiopum, sacris Christianis initiatum esse (Act. 8, 1—40.). Atque haec quamquam ante eam narrationem describuntur, quae est de Pauli conversione ad Iesu disciplinam, tamen fortasse non omnia prius evenerunt; fieri enim poterat, ut Lucas nonnisi ideo, quod de rebus Samaritarum atque Philippi exponere coeperat, alia, quae ad eosdem spectarent, statim adnectere consentaneum duceret y). Tametsi ea certe, quae ad versum usque 17. memorantur, antequam P. in Christianorum partes concederet, gesta esse credimus. Etenim hoc loco, quomodo prima coetuum Christianorum fundamenta in Samaria iacta sint, refertur (cf. inpr. v. 14.); qua quidem in regione tum, quum Iesu asseclae ea, quae Act. 9, 31. attingitur, pace gauderent, ecclesias iam conditas fuisse, inde perspicitur, quod pax illa diserte ad *Samaritas* quoque pertinuisse dicitur. Haec ipsa vero quies (id quod mox demonstrare studebimus) brevi post Pauli iter Damascenum initium ceperat. — Ceterum nec *Simonis magi* (Act. 8, 9 sqq.) z) neque *Candaces* (v. 27.) a) mentio, neque *veterum traditiones de tempore eo, quo apostoli primum* post domini discessum *Hierosolyma reliquerint* (cf. v. 14 sqq.) b), ad rerum illarum aetatem certius definiendam valent.

Postquam Lucas (Act. IX, 1—30.) de Pauli conversione ad sacra Christianorum, de eius reditu in urbem Hierosolymitanam, et de fuga, qua ille Tarsum se recepisset, exposuit (quae quando acciderint, cap. IV. indagare studuimus), *αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι,* pergit, *καθ᾽ ὅλης τῆς Ἰουδαίας καὶ Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας εἶχον εἰρήνην* (IX, 31.). Quae quidem ita sunt connexa cum ea narratione, qua Paulus in medio Christianos persequendi studio ad horum partes abiisse, eorumque placita Damasci atque Hierosolymis docuisse traditur, ut Lucas potissimam certe quietis illius causam ab hac ipsa

---

y) Similiter Küchlerus (l. l. p. 14 sq.), Schottus (Eroerterung etc. p. 82.). z) Partim incertissimum est, partim falsum, quod veteres tradunt, Simonem, Samaria relicta, *Claudio regnante* Romam venisse (Iustin. mart. in apol. maiore p. 144. ed. Paris. 1551. Eus. H. E. 2, 13.), ibique *secundo huius imperatoris anno* (Hieron. de vir. ill. c. 1.) a Petro impugnatum esse. a) Hoc enim nomen, uti Plinius refert, H. N. 6, 29., *commune* erat *reginis Aethiopum* (Meroënsium). b) Auctor libri: *κήρυγμα Πέτρου*, ap. Clement. Alex. strom. VI, p. 636., et Apollonius, qui Commodo et Severo imperantibus floruit (Hieron. de vir. ill. c. 40.), teste Eusebio (H. E. 5, 18.), Iesum apostolis iniunxisse tradunt, ut se digresso per *annos XII* Hierosolymis manerent. Contra ea in libro quodam, quem falso Melitonis nomine de obitu Mariae scriptum fuisse Beda memorat (retractat. in Acta Ap., ad cap. VIII. et XIII.), nonnisi *biennium* inter Christi adscensionem in coelum atque illud tempus, quo apostoli in varias orbis partes discesserint, interiectum fuisse traditur.

rerum mutatione repetiisse videatur. Ac profecto, etsi incredibile est, Paulum solum in Christianis vexandis operam collocasse, tamen praecipuas eius hac in re partes fuisse patet. Itaque ubi ille cum Christianis facere coepit, reliquorum animos fractos esse, eaque de causa *ab hac inde aetate persecutionem sensim* c) *deferbuisse* consentaneum est d). Quamquam non negaverim, alia quoque ad finem vexationi imponendum conferre potuisse. Nam et eo, quod Christiani multi in varias fugerant terras, odiorum materies imminuta est e), nec sine magna probabilitate summam illam perturbationem, qua Iudaeorum animi affecti sunt, quum Petronius, Caligula iubente, a. 40. illius statuam in templo Hier. positurus esset f), multum valuisse conieceris ad conservandam vel augendam Christianorum quietem g).

Inde *a cap. IX, v.* 32. *usque ad cap. XI, v.* 18. *varia Petri itinera* memorantur, in quibus ille, miraculis nonnullis Lyddae et

---

c) Abhorret enim a rei natura, *omnes*, quicunque prius in Christianos saeviissent, accepto Pauli transgressu ad sacra adversariorum, *statim* ab his vexandis abstinuisse. d) Nonnulli, ut Pearsonius (l. l. p. 10.), Lardnerus (l. c. I, p. 166.), Christianorum pacem non prius, quam Paulus Hierosolymis fugisset (Act. 9, 30.) initium cepisse arbitrantur. Argumentis autem Lardnerus his utitur: quod et Lucas relata demum hac fuga de quiete illa dicat, et Paulo ipsi brevi antequam in Ciliciam transiret, Damasci atque Hierosolymis insidiae paratae fuerint. Sed Lucam nonnunquam ita narrare constat, ut, rebus quibusdam expositis, ea addat, quae *interea* gesta sint; et, quae idem de pace ecclesiarum tradit, nimis urgeremus, si Iudaeos ne occasione quidem oblata interdum hunc illumve Christi cultorem vexasse crederemus. Accedit, quod fieri poterat, ut insidiae illae, si Paulo a. 41. ponerentur, in id temporis spatium inciderent, quo Iudaei, a Caligula aliquamdiu pressi, Claudio ad imperium evecto, animos receperant (cf. p. 181 sq.). e) Ita Rosenmüllerus, Kuinoelius (ad Act. 9, 31.). f) Cff. Ios. Ant. 18, 8, 2—8. B. I. 2, 10., Philo de legat. ad Cai. p. 1020 sqq. Quamquam hi, ut in aliis, quae ad dedicationem statuae Caianae spectant, ita in definienda, qua Petronius in Iudaeam venerit, aetate a se invicem discrepant. Sane *anno* 40. huius expeditionis initium tribuendum esse, ex utriusque narratione sequitur; nam Philo se, quum tanquam legatus Iudaeorum Alexandrinorum in Italia esset, h. e. a. 40. (cf. Norisius in epist. de nummo Herodis Antipae, opp. t. II. p. 659 sq.) rei illius nuncium primum accepisse memorat (l. all. p. 1018 sq.); quae vero Iosephus ab eo tempore, quo Petronius contra Iudaeos profectus sit, usque ad Caligulae obitum (i. e. ad Ian. a. 41.) accidisse prodit, talia sunt, quae vix ultra anni dimidium comprehendisse credibile sit. Verum Flavius rem in *auctumnum* confert; etenim Ant. 18, 8, 3. B. I. 2, 10, 5. *sementis* tempus fuisse dicit; Ant. 18, 8, 1. Petronium cum exercitu Ptolemaidem venisse tradit ibidem *hiberaturum* ac *proximo vere* belli initia facturum; Philo (p. 1028.), quum *segetes maturas fuisse* referat, de *aestate* loquitur. Atque hunc ut sequamur, gravissima suadent argumenta. Nam praeterquam quod Philo, quum res illae gererentur, aetate iam provectus erat, Iosephus annum fere tertium agebat: hic sine ulla dubitatione in eo erravit, quod, quum Iudaeos prae moerore diu a semente abstinuisse narraret, eos, nisi Caii iussa allata essent, agris colendis operam daturos fuisse indicavit; auctumno enim anni 40. *annus* inibat *sabbaticus*. g) Hanc rem inter causas quietis referendam esse, Basnagius statuit (ann. ad a. 40. §. XVI.), Lardnerus (l. l. I, p. 164 sqq.), Bensonius (l. c. p. 157.), Meyerus (l. all. p. 328 sq.), G. I. Planckius (Gesch. des Chstenthums in d. Per. seiner ersten Einführg etc. tom. II. p. 164 sq.); suspicantur Eichhornius (Einl. II, p. 51 sq.), Hildebrandus (Gesch. d. Ap. Iesu etc. p. 149.).

Ioppae perpetratis (9, 33—42.), aliquamdiu post (43.) Caesaream ingressus, Cornelium quendam centurionem, ethnicorum sacris addictum, aliosque, qui cum eo fuerint, idololatras ad Christum colendum perduxerit (10, 1—48.), quo facto post aliquod temporis spatium Hierosolyma repetierit, ibique, expositis Cornelii rebus, Christianis persuaserit, Deum ethnicis quoque salutem per Iesum partam concedere (11, 1—18.). Atque in haec illum itinera tum, quum ecclesiae pace fruerentur, se commisisse, etsi non necessario, verisimillime tamen ex ea ratione collegeris, qua capitis 9. versus 32. cum antecedentibus connexus est. Itaque si Petrus horum peregrinationum initium non ita multo post exortam quietem illam fecit: haud dubie, quia Paulus Damasco redux Hierosolymis eum convenit (Gal. 1, 18.), ante hanc Pauli profectionem eodem se recepisse putandus est. Sin vero tum demum, quum hic iam in Ciliciam fugisset, itinera illa suscepit, prius certe, quam nuncius de gentilibus Antiochenis ad Christi sacra perductis Hierosolyma allatus esset, in eam urbem rediit; neque enim Hierosolymitani, si aliunde iam constitisset, Deum ethnicos a salute aeterna non excludere, Petro succensuissent, quod Cornelii consuetudine usus esset (11, 2.), neque, audita eius defensione, mirabundi, ἄραγε, exclamassent, καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωήν (11, 18.) [h]).

In definiendis *eorum* temporibus, *quae Act. XI,* 19—21. *referuntur*, accuratius versari non licet, quam ut ea inter Stephani caedem et Barnabae iter Tarsense gesta esse dicamus. Etsi, quae a. v. inde 20. narrantur, gentiles quosdam Antiochenos Christo nomina dedisse, eaque re accepta, Barnabam ab Hierosolymitanis Antiochiam missum esse, haec, inquam, non ita multo antequam Barnabas Tarsum se conferret, i. e., haud longo tempore ante a. certe 43. (v. p. 49.) accidisse, manifestum est. De intervallo autem eo, quod Paulus, donec Barn. eum Antiochiam duceret, Tarsi exegerit, quid statuendum videretur, iam declaravimus (p. 171.).

Superest, ut pauca de iis addamus, *quae ab Act. c. XII, v.* 25. *usque ad c. XIV, v.* 28. *exponuntur.* Paulum et Barn., priusquam Antiochiam redirent, non diu videri Hierosolymis moratos esse, p. 49. monuimus. Itaque vix eos serius anno aut 44., aut 45., aut 46. (cf. p. eand.), sed probabilius tamen a. 44. vel paulo post (v. p. 172. not. d.) Antiochiam repetiisse suspicamur. Hinc in orientales Asiae minoris regiones profecti sunt. Cuius peregrinationis consilium eos iam tum, quum Hierosolymis essent, ac prius fortasse, cepisse, haud immerito, opinor, inde concludimus, quod Marcum, itineris illius socium, hac ex urbe secum adduxerunt; qua de causa *eos brevi, postquam Antiochiam reverterant, in viam se dedisse* censemus. Antiochia relicta primum Seleuciam, inde Cyprum se contulerunt,

---

h) Ergo neque cum Neandro facere licet, qui (Gesch. d. Pflanzg d. chstl. K. etc. tom. I. p. 121. not. 1.) non improbabile ducit, Petrum serius, quam de gentilibus Antiochenis nunciatum esset, in urbem sanctam rediisse, neque cum Wurmio (Tüb. Zeitschft etc. 1833, 1, p. 37.), qui ita statui posse arbitratur, eum, quum ex Agrippae carcere liberatus esset (Act. 12, 17.), Lyddam, Ioppen et Caesaream se contulisse.

eaque insula peragrata, Paphi aliquamdiu apud Sergium Paulum procos. [i]) manserunt (Act. 13, 1—2.). Hinc Pergen in Pamphylia profecti, ibique septem dies amplius morati (13, 41. cll. 42. 44 sq.), Iconium se contulere (13, 13—51.); ubi quum per tempus haud exiguum (cf. inpr. 13, 49.) fuissent, in Lycaoniam fugere coacti (14, 1—7.), Lystris, Derbae et in regione adiacente Christi praecepta disseminarunt (14, 8—23.). Inde itinere per Pisidiam facto, Pergae denuo docuerunt, et Attaliam delati, Antiochiam, quae est in Syria, redierunt (14, 24—26.). Quae si quis contulerit, is, etsi accuratius constitui non posse perspiciet, quantum temporis in his itineribus consumtum fuerit [k]), tamen, *vix ea minus biennio durasse*, eoque ipso, quoniam non ante a. 44. initium ceperunt, *vix prius a. 46. confecta esse*, largietur. — Antiochiae P. et Barn., priusquam Hierosolyma ad conventum apostolorum migrarent, χρόνον οὐκ ὀλίγον manserunt (14, 28.) [l]). Quod quidem spatium, quia duumviri illi non serius a. 51. Hierosolyma petierunt (cf. p. 114.), *haud facile ultra quinquennium* complexum est. Quamquam tanto demum tempore praeterlapso Paulum de lustrandis, quos condidisset, Christianorum coetibus (v. Act. 15, 36.) et de doctrina Iesu latius propaganda cogitasse, atque in ea adeo urbe hoc intervallum exegisse, in qua tot alii versarentur rei Christianae doctores, quam maxime a veri specie abhorret. Neque est, quod spatii illius limites tantum extendere iubeat. Nam, modo Paulum *post a. 44. iter Asiaticum adiisse, in eaque peregrinatione amplius biennium consumsisse* posueris, fieri potuisse intelliges, ut circa annum demum 48. Antiochiam repeteret; ita ut, si vel id, quod insecutum est, iter Hierosolymitanum prius anno 51. collocare nolis, *non diutius ille triennio inter Antiochenos degisse credendus sit;* quam quidem sententiam, etsi in coniectura posita est, nihil tamen, in quo quis merito offendat, habere existimamus [m]).

---

i) Quando hic Cypro praefectus sit, nemo veterum docuit. Neque lucis quidquam Cypriorum numus affert, Claudio imperante cusus, cui haec sunt inscripta: *ΕΠΙ. ΚΟΜΙΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ.* (cf. Eckhel. doctr. num. III, p. 84.). Ex quo, quia anni nota deest, ne illud quidem discimus, in quamnam imperii Claudiani aetatem Sergii proconsulatus *non* sit conferendus. *k*) Unde factum est, ut viri docti in definiendo spatio eo, quod itinera illa complexa sint, varie inter se discreparent. Nam, ut pauca afferamus exempla, *longius anno intervallum* Lud. Cappellus (hist. ap. append. p. 56.), Bertholdtius (l. all. V, p. 2718.) ponunt; *biennium* Tillemontius (mém. etc. I, 2. p. 803.), Basnagius (ann. ad a. 45. §. IV. ad a. 50. §. III.), Schraderus (l. c. p. 259. cll. p. 72.), alii; *triennium* Vogelius (l. c. p. 235.). *l*) Huic tempori ab Usserio et Tillemontio iter Pauli Illyricum, a Beza, Basnagio, Paleyio profectionem quandam, qua idem cum Barn. Hierosolyma adierit, interponi, p. 85. not. l. et p. 140. not. x. indicavimus. *m*) Fuerunt, qui, ut hanc similemve effugerent difficultatem, sententias quasdam amplecterentur, quas improbandas esse vidimus. Wurmius enim (Tüb. Ztschft f. Th. 1833, I, p. 59.), ut Gal. 2, 1. τεσσάρων scribendum esse crederet, inter alia hoc perductus est argumento, quod alioqui nimium poneretur intervallum secundam inter et tertiam Pauli peregrinationem Hierosolymitanam; neque alia de causa Lutherus (v. p. 152 sq.) iter Gal. 2, 1. memoratum serius eo, quod Act. c. 15. refertur, susceptum esse arbitratur.

Iam vero his ita absolutis, *duas* adiicere *tabulas* a re non alienum visum est, quarum *altera* omnem nostram de temporibus in Actis Apostolorum descriptis sententiam breviter repeteret, *altera* *) doceret, quid de aetate praecipuarum certe, quae eodem volumine continentur, rerum insigniores statuerint temporum computatores **).

---

*) Quo rectius uti posses hac tabula (in qua adornanda multum nos adiuvisse similem Goeschenii tabulam [th. Stud. u. Krit. 1831, 4, ad p. 706.] animo grato fatemur), haec monenda putavimus. In Eusebii et Hieronymi sententiis ad annos epochae vulgaris accommodandis Goeschenium (loco modo alleg., p. 713 — 728.) secuti sumus; iis, quae ex Hieronymo excerpsimus, illud addidimus, quod Orosio (hist. 7, 6.) de anno, quo Iudaei a Claudio Roma eiecti fuerint, videtur, quia plurimi scriptorum eorum, qui in constituendis reliquis temporibus ab Hieronymo pendent, hac in re cum Orosio faciunt (cf. p. 117. not. o.). Ea Süskindii definitio, quam signo (*) instruximus, loco p. 45. not. t. allato, opiniones Koehlerianae signo eodem notatae in: Annal. d. ges. Theol. etc. 1832, 2, 3, p. 239 — 241. inveniuntur. Ad Wurmium quod attinet, qui ternas solet afferre de uniuscuiusque rei tempore sententias, ex quibus singulas reliquis probabiliores existimat, eas, quas ille maxime omnium verisimiles credit, repetivimus. Interrogationis denique signa iis adiecimus definitionibus, quae auctoribus ipsis ambiguae videntur. **) Quum per eum, qui faciendus erat, delectum plurimas quidem, neque vero omnes, quae de temporibus harum rerum prolatae sunt, opiniones recensere licuerit: ut de iis certe rebus, quae nobilissimae sunt, plenius, quanta sit sententiarum diversitas, perspiceretur, quaedam addere non inutile duximus. Atque *ultima* quidem, *quae Christus in his terris expertus est, fata* praeter annos eos, quos in tabula enumeravimus, in a. conferunt 1. *ante* a. D. Petrus Damiani et Antonius Dulciatus (v. F. Spanhem. opp. I, p. 206.); in a. *post* a. D. 12. Sigebertus Gemblacensis, Marianus Scotus, aliique (de cuius erroris causa cf. Petav. ad Epiphan. II, p. 114 sqq.), a. 28. Victorius ponit (in can. pasch., quamquam coss. dicit anni 29., cf. Idelerus I. saepe l. II, p. 279 sq. 415.), a. 29. scriptores p. 14. not. a. memorati, auctor narrationis de Thaddaeo ad Abgarum profecto (ap. Eus. H. E. 1, 13. extr., ad quem l. v. Vales.), Actorum Pilati subscriptio, canon Hippolyti pasch. (v. Ideler. l. c. II, p. 427. not.), quibus praeter multos alios, qui a F. Spanhemio (opp. tom. I. p. 213.) et a Ricciolo (in chronologia reformata, Bonon. 1659 fol. tom. I. p. 322.) nominantur, ex recentioribus Sanclementium addas (in diss. p. 6. not. a. mem.), Idelerum (l. l. II, p. 413 sqq.), Theilium (n. krit. Journ. V, p. 409. not.). De a. 34. Beda cogitat, auctor novae et emend. chronol. (Hervartus), alii, testibus Spanhemio (l. l. p. 215.), Ricciolo (l. c. p. 324.); de anno aetatis Christi fere 50. Irenaeus (adv. haer. 2, 22, 5. 6.). Vulgatissima eorum est sententia, qui annum 33. ponunt; a. 35. nemo ante Schraderum, a. 36. praeter Koehlerum soli dixerunt Paulus Forosemproniensis, Lauretus, Lydiatus, teste Spanhemio. Ceterum plurimas variorum de ultimo Iesu anno sententias Spanhemius collegit (l. l. p. 213 sqq.), Ricciolus (l. all. p. 322 sqq.). — *Pauli ad sacra Christiana conversionem* anno 30. Henschenius tribuit (in Act. SS. Iun. tom. V. p. 401.), a. 36. Calovius (bibl. ill. N. T. I, p. 834. ed. Fcft. 1676); inter a. 39., 40., 42. et 43. dubius est Theilius (n. krit. Journ. VIII, p. 177.). — *Secundum Pauli iter Hieros.* Calvisius (op. chronol. p. 441.) anno 38., Labbeus (chronol. tom. I, p. 150.) a. 40. assignat. — *Concilium apostolorum* ad a. 57. ab Heideggero refertur (teste Basnagio, ann. ad a. 50. §. XXI.), ad a. 58. a Leonhardo (de decreto concil. Hier. p. 14.). — *Felici Festum* a. 52. *successisse* putat Arletius (de Paulli in urb. Rom. ingressu, p. 97 sqq.).

I

OLORUM TRADITAE.

A

USSERIUS

r. I	33
—4, Barnaba Antiochiam reversus vi-	33
	35
	38
59, 60, 62, 61-63 — Biennium certe Romae exigit.	43
60 — P. Caesarea Romam mittitur.	44
58 — V. P. iter Hieros. Vinculorum initium.	44
54-56 — P. Ephesi commoratur.	45-4
54 — IV. P. iter Hier. (sec. al. Caes.) 3. maioris ad gentes itineris in.	52
51 — a) Iudaei Roma pelluntur. b) P. Corinthum advenit.	53
49	

tum, per triennium et tres menses rebus praefuerat. Huc accedit, quod Flavius urbem captam dicit τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας, quo die prius eadem

*) Ex eo, quod Herodes Ant. 14, 14, 2. 3. Romam navigasse dicitur, quum χειμὼν esset, nec usus fuerim itineris aetatem definire, quia hoc vocabulo non hiems modo, sed et tempestas procellosa denotatur.

KUHNOELIUS	a) Realwtb. WINERUS b) Exc. II. in ep. ad Gal.	DE WETTIUS	SCHRADERUS	KOEHLERUS	FEILMOSERUS	a) Isag. in ep. ad Gal. et in ll. N. F. sacros. SCHOTTUS b) Eroerterung etc.	WURMIUS
33			35	36*	33	| 33	
v. 38	38 |		35	36*			
40	40 | 35	35 v. 38	39	37 Iter Hier. fictum 37	35	40 v. 41 | 37	41
43	43 | 38		42	40	38	43 | 40	43
			43	43 | 41*			
43 44	a) c. 44 | b) 44 |		44	44 | 41*		c. 44 | 44	
44	44 |		b) 44	b) 44 | 41*	44	44 v. 45 | 44	b) 45
•		ab a. 45	44-46	45?		45 – 46 |	
52	54? | 52	52	47	51	52	47 v. 48 | a) 49 v. 50 b) 50	46
		53	47	52			
	a) 49? a)	a) int. 52				| a) 52	a) non ante

p. 177.). — Secundum [illegible] anno 38., Labbeus (chronol. tom. I. p. 150.) a. 40. assignat. — *Concilium apostolorum* ad a. 57. ab Heideggero refertur (teste Basnagio, ann. ad a. 50. §. XXI.), ad a. 58. a Leonhardo (de decreto concil. Hier. p. 14.). — *Felici Festum* a. 52. *successisse* putat Arletius (de Paulli in urb. Rom. ingressu, p. 97 sqq.).

ADDENDA ET CORRIGENDA.

AD CAP. I.

Ad p. 6. not. a. Addantur Io. Lucidus, de vero die passionis Christi, Venet. 15.., Io. Zarlinus, de tempore mortis Christi, in eius opp. Ven. 1580., Io. Mariana, de die mortis Christi et anno, Toleti, 1603., Laur. Suslyga (praes. Io. Deckero), velificatio s. theoremata de anno ortus ac mortis domini deque universa Christi in carne oeconomia, Graecii 1605, 4., Keplerus et Calvisius in epp., quae typis excusae sunt in Kepleri eclogis chronicis, p. 88 sqq., Iac. Grandamicus, quaest. evangelica de die supremo et natali Christi, Fixae Audecavorum, 1661, 4. ed. 2. s. tit.: chronologia Christiana. De Christo nato et rebus gestis ante et post nativitatem, voll. III, Paris. 1668, 4., Marius Lupus, de notis chronologicis anni mortis et nativitatis I. C. dissertt. II, Rom. 1744, 4., K. Michaeler, üb. d. Geburts- und Sterbejahr I. Chr., dissertt. II, Vienn. 1796, 8., Paulus, exeget. Handb. üb. d. drei ersten Evv., tom. I. part. 1. p. 237 sqq. III, 2, p. 770 sqq. — *Ad p. 7—10.* Quae h. l. *de annis Herodis* diximus, ea ex parte retractanda sunt. Atque hoc quidem ex iis, quae attulimus, testimoniis certum est, Herodem dignitate regia auctum esse anno U. C. 714., Hierosolyma cepisse a. 717., obiisse a. 750. Sed de anni tempore, quo et rex declaratus fuerit, et Hierosolymis captis regnare coeperit, aliter, quam supra, statuendum videtur. Etenim priusquam rex crearetur, Antigonum, qui a Parthis adiutus Palaestinae regnum occupabat, *brevi post pentecosten* (Ios. Ant. 14, 13, 4. B. I. 1, 13, 3.) fugerat, atque in Idumaeam, mox Alexandriam, denique, navigatione usus difficili, Romam se contulerat, ubi ab Antonio et Octaviano regia auctoritate instructus est (Ant. 14, 13, 7—9. c. 14. §§. 1—5. B. I. 1, 13, 7. c. 14. §§. 1—3.). Atque horum itinerum initium quominus cum nonnullis in a. 713. conferamus, praeter alia eo impedimur, quod Antigonus, simulatque Herodes discessit, principatum adeptus (Ant. 14, 13, 10.), tum, quum Hierosolyma a Sosio et Herode expugnarentur (a. 717.), *triennium cum tribus mensibus* in dominatu fuerat (Ant. 20, 10.). Neque per res Parthorum, quorum ope Antigonus Herodem pepulerat, de tempore priore cogitare licet; hos enim Syriam et Asiam minorem occupasse, M. Antonius, qui tum Alexandriae apud Cleopatram degebat, simul cum nuncio de fuga Fulviae uxoris accepit (Plut. Anton. c. 30.), quam a. 714. ineunte contigisse, e Dione (48, 15.) constat. Quae quum ita sint, Herodem *sub hiemem* *) demum a. 714. nomine regio ornatum esse sequitur. Sane tunc initium iam ceperat *Olympias* 185.; sed Flavius (vel quem ille in his enarrandis secutus est), quum Ol. 184. diceret, haud dubie eo in errorem est inductus, quod, quo tempore anni illius consules magistratum inibant, Olympias 184. nondum ad finem pervenerat. Quod vero ad aetatem eam attinet, qua Hierosolyma ab Herode et Sosio expugnata sunt, hanc rem *sub auctumnum* accidisse, luculenter inde apparet, quod Antigonus, regnum *post pentecosten* a. 714. auspicatus (Ant. 14, 13, 10 cll. §. 4.), tum per triennium et *tres menses* rebus praefuerat. Huc accedit, quod Flavius urbem captam dicit τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας, quo die prius eadem

*) Ex eo, quod Herodes Ant. 14, 14, 2. 3. Romam navigasse dicitur, quum χειμὼν esset, non ausus fuerim itineris aetatem definire, quia hoc vocabulo non hiems modo, sed et tempestas procellosa denotatur.

illi clades a Pompeio allata sit. Primum enim nullum, nisi quod X. *Tisrii die* celebratur, ieiunii festum prae reliquis ἡ τῆς νηστ. ἑορτὴ vocari potest; deinde Pompeius illam ieiunii solennitatem elegisse fertur, qua Hierosolyma occuparet, quod Iudaei eam per otium agerent (v. Strabo, l. XVI. p. 763.); qui quidem nullo, nisi hoc, quem diximus, ieiunii die feriantur *). Atque horum, quae modo exposuimus, veritas quum aliis quoque testimoniis confirmetur **), tamen his, ne longi essemus, praetermissis, ad Sal. van Tilium (de anno, mense et die nati I. C. ed. I. G. Walch. Ien. 1740, 8. p. 83—101.) et ad Iostium (Gesch. d. Isr. etc. tom. I. append. p. 21—28.) provocare maluimus. Iam vero si quaeritur, quid fuerit, quod Iosephus Herodis regno annos tribueret 37 ab accepta dignitate regia, 34 ab eo tempore, quo potestate uti coeperit, quum anni potius 36 et 33 dicendi essent: eam sane rationem, quam p. 10. secuti sumus, iam ingredi non amplius possumus. Neque tamen cum viro quodam docto [Renzio] (Studien d. evgl. Geistlichkeit Würtembergs, 1827, part. I. p. 60 sqq.) facere licet, qui Iosephum in numerandis principum annis ita versatum putat, ut eum annum, qui a Ianuario regni auspicia insecuto inchoatus fuerit, regni annum secundum diceret; quod quam sit a veritate alienum, partim ex iis patet, quae p. 17. disputavimus, partim hinc intelligitur, quod alioquin Antigono *quadriennium* tribuendum, neque annus is, qui pugnam Actiacam excepit (U. C. 724.), *septimus*, sed *octavus* regni Herodiani annus appellandus erat (v. p. 23. not. e.). Itaque sic potius sentiendum videtur, Iosephum (vel eum, a quo ille in his exponendis pependit) singulos quidem Herodis annos a regni auspiciis duxisse, sed in computando regni totius ambitu tum eum annum consularem, quo rebus ille praeesse coeperit, tum eum, quo mortuus sit, tanquam annum integrum numerasse. ***) — *Ad p. 8 sq. De eclipsi lunae, quae Herodis mortem antecessit.* Hanc eclipsin insolitum lunae pallorem fuisse, Basnagius (ann. ad a. ante a. D. 3. §. IX.), Uhlandus (in diss. p. 7. not. f. memorata, p. 36., teste Wurmio), Sanclementius (de aerae vulg. emend. l. III. c. 11. cit. Idelero), alii opinantur. Ac si ullum inveniatur exemplum, unde lunae pallorem unquam eclipsin habitum esse constet! Ceterum ea, quae Iosephus inter illum lunae defectum et Herodis mortem accidisse narrat, nonnulli talia esse monent, quae inter diem Martii 13. et aliquot ante paschatis festum dies fieri non potuerint. Ita post Calvisium (in epistolis ad Keplerum datis, quae in Kepleri eclogis chronicis, p. 1 sqq. et ex parte in appendice ad Calvisii opus chronol. p. 23 sqq. excusae sunt), van Tilius (de anno, mense et die nati I. C. p. 126 sq.),

*) Neque huius argumentationis vim ita infregeris, ut, Dionis narratione nixus (37, 16. 49, 22.), illud, de quo Iosephus verba facit, ieiunium utroque anno forte fortuna *sabbatum* tetigisse moneas; sabbato enim Iudaei, nisi si magnum expiationis festum in eum diem incidit, nunquam ieiunant. Ceterum, quod Ios. B. I. 1, 17, 8. cll. 18, 1. Ant. 14, 15, 14. tradit, Herodem hieme exeunte ad Hierosolyma oppugnanda se accinxisse, obsidionem vero menses quinque durasse, id melius cum hac sententia convenit, qua urbs auctumno capta dicitur, quam cum ea, quam p. 7. defendimus. — **) Dubium tamen eo moveri possit, quod Iosephus Hierosolyma et a Pompeio et ab Herode *mense tertio* expugnata esse dicit. Ac Pompeium quidem tertio *obsidionis* mense in urbem irrupisse, ex l. I. de B. I., c. 7. §. 4. perspicitur; neque vero idem de Herodis obsidione valet, quippe quae ad *quintum* usque mensem tenuerit. Itaque nisi mensis tertii mentionem ex loco Ant. 14, 4, 3. in cap. 16. §. 4. irrepsisse credideris, ita fortasse statuere licebit, Iosephum h. l. eiusmodi scriptorem secutum esse, qui, quum tempora secundum principum annos definiret, mensem *Antigoni* tertium intelligi vellet (cf. Iostius, l. c. p. 27 sq., qui altero quoque loco de tertio principis, qui tum fuerit, i. e. Hyrcani II., mense cogitari posse ostendit.). ***) Similiter Iosephus ab eo tempore, quo Herodes regnum adiit, usque ad templi excidium, i. e. a X. Tisrii die anni U. C. 717. usque ad X. Abi mensis diem anni U. C. 823. (Tac. Hist. 5, 1. cll. 4, 38.) annos effluxisse dicit 107 (Ant. 20, 10.), quum ne integer quidem annorum 106 numerus inter utramque rem intercessisset. [Itaque p. 17. not. y. non tam ex isto Iosephi loco, quam ex allato Taciti capite probandum erat, templum et urbem Hieros. a. U. C. 823. periisse.] Neque aliter de annis illis 27 statuendum videtur, de quibus p. 9. not. z. verba fecimus.

Paulus (exeget. Hdb. etc. I, 1, p. 256.), alii. De qua sententia quid sit iudicandum, paucis indagemus. Iosephus Herodem, morbo post eclipsin illam ingravescente, medicos arcessivisse, et quum, traiecto Iordane, thermis Callirrhoës frustra usus esset, Hierichuntem rediisse narrat, ubi paulo post, quinto ante mortem die, Antipatrum occidi iusserit (Ant. 17, 6, 5—8, 1. B. I. 1, 33, 5—8.). Obiit autem Herodes brevi ante septimum, qui pascha praecesserat, diem (v. p. 9. in.); quod quidem festum a. U. 750. mense uno post illud, quo luna defecerat, plenilunium elapso celebratum esse, maxime omnium probabile est. Itaque ab eclipsi usque ad Herodis reditum in urbem Hierichuntinam 15 fere dies effluxerunt. Atque hoc temporis spatio quidni Herodes et proficisci Callirrhoën et reverti potuerit, non video. Neque enim ille, postquam in eum locum venit, *diu* exspectavit, an quid ex thermis commodi esset percepturus, sed, quum ad corpus fovendum balneo olei calidi usus animam fere efflavisset, *statim* Hierichuntem rediit (Ios. Ant. 17, 6, 5. B. I. 1, 33, 5.). — *Ad p.* 10. *not. e.* Kepleri scriptis h. l. citatis adde l. de stella nova in pede serpentarii, Prag. 1606, 4. — *Ad p.* 11. *not. i.* Eusebium, quamvis l. c. Christum anno Augusti 42. natum diceret, tamen haud secus atque in can. chron. p. 261. ed. Aucher. non de anno 752., sed de a. 753. U. C. cogitasse videri, neque hac in re Hieronymum ab eo dissentire, Goeschenius docet (th. Stud. u. Krit. 1831, 4, p. 722 sqq.). De locis autem Eusebii (H. E. 7, 32.) et Hieronymi (ad Ies. c. 2.), ubi iidem aliter statuunt, cf. idem l. l. p. 724 sq. 727 sq. — *Ad p.* 12. *not. k.* „In iis Pal. regionibus, ubi mitior est coeli temperies, pecora vel hieme sub dio versari posse“ a veritate alienum est; neque hoc sibi vult Süskindius l. all., quippe qui illud solum concedat, iam Martio ineunte greges in campos agi posse. — *Ad p.* 12. *not. n.* Cf. etiam Spanhemii chronol. sacr. part. II. cap. XVI. opp. tom. I. p. 205 sqq. — *Ad p.* 12 *sq.* Lucam in ev. 3, 1. verbis: *ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμ. Τιβ.* etc. *ultimum Iesu annum* indicasse, Sanclementius (teste Idelero, l. c. II, p. 419., qui illum fere sequitur) et Theilius (n. krit. Journ. V, p. 408 sq. not.) suspicantur. Ac Theilius quidem, postquam inde, quod Lucas ultimum tantummodo Iesu pascha commemoret, hunc nonnisi unum eius muneri annum tribuere conclusit, ita pergit: nisi evangelista ipse earum, quas tradidisset, rerum rationem atque nexum parum perspexisse putandus sit, annum eundem, cui 3, 1. muneris baptistae auspicia assignentur, annum Iesu fatalem habendum videri; quo illud accedat, quod et facillime Lucas ad huius anni notitiam pervenire potuerit, et hunc inprimis definire haud dubie maxime eius interfuerit. Sed ut ab iis, quae ultimo loco dicta sunt, exordiamur: non tam illud nobis respiciendum est, quid fuerit, quod prae ceteris scire Lucas vel *potuerit*, vel *voluerit* (neque enim hoc nisi coniectura assequi licet), sed *quid se scivisse diserte indicet.* Deinde si auctor *clare* cognitum habuit, quantum a cap. inde III. usque ad finem evangelii complexus sit intervallum: *unum certe annum cum mensibus pluribus* se descripsisse novit; nam Ioannem, priusquam Iesus ad eum accederet, aliquod temporis spatium in hominibus baptizandis consumsisse narrat (3, 2—22.), hinc dominum per dies 40 in regione deserta fuisse refert (4, 2.), deinde, eum ita in Galilaea docuisse, addit, ut eius fama per totam hanc terram diffunderetur (4, 14.), post, variis eius itineribus memoratis, adfuisse monet *σάββατον δευτερόπρωτον* (6, 1.), quod circa paschatis tempus agebatur (v. p. 25. not. *r.*); a qua quidem aetate ad ultimum usque Christi pascha unum certe annum effluxisse, per se patet. Itaque si evangelista Iesum anno Tiberii XV. mortuum esse sciebat, nullo modo in eam poterat opinionem induci, ut anno eodem baptistam in publicum progressum esse arbitraretur. — Sanclementius Lucam inde a cap. III. nonnisi ea narrasse observat, quae Iesus anno vitae ultimo, atque ex eo quidem tempore gessisset, quo baptista in vincula datus et supplicio affectus esset, paucis summatim praemissis, quae ad Ioannis res, quales ab initio muneris ad mortem usque fuissent, pertinerent; itaque quae 3, 1. legantur, ad tempus illud spectare putat, quo baptista *decesserit.* Quam sententiam ut tueatur, puncto post verba *Τιβερίου Καίσαρος* posito, ea, quae proxime sequuntur, ab his disiungit. Quae quam sint et falsa et contorta, sponte intelligitur. Accedit, quod a. 29. nec XIV. nec XV. Nisani dies cum Veneris die convenit. Nisanus enim, quum ab eo novilunio, quod Martii die 4. contigerat, pendere non posset, neomeniam secutus est illam, quae Apr. die 2. h. 7. min. 42. vesp. accidit; itaque Kalendae inter 4. et 5. Aprilis diem actae sunt, dies *XIV.*

diem *Apr.* 17., 18. vel 19. i. e. *solis, lunae Martisve* diem, dies *XV.* diem mensis eiusdem 18., 19. vel 20. tetigit, qui quidem dies eo anno in *secundum, tertium* et *quartum* hebdomadis diem incidebant. — *Ad p.* 22. In ev. Io. 2, 20. narrari, quae in primo, quod Iesus post muneris initium celebrarit, azymorum festo evenerint, quamvis reliqui evangelistae ea, quae h. l. inde a v. 14. traduntur, ad ultimum Christi pascha referant, recte hinc colligimus, quod Ioannes temporum ordinem sequitur (v. p. 24. not. h.), ceteros vero, quoniam nonnisi de uno, quo Iesus Hierosolyma adierit, paschate meminerunt, iis, quae hoc festo accidissent, nonnulla, quae inter aliam quandam azymorum solennitatem gesta essent, admiscuisse verisimillimum est. (Maioribus implicita videtur difficultatibus eorum sententia, qui bis rem similem contigisse suspicantur.) — *Ad p.* 22. Ante not. *c.* haec exciderunt: „*b*) Nam de templo Serubabelico ideo cogitari nequit, quia illud anno secundo post Iudaeorum reditum ab exilio (534. a. C.) inchoatum, sexto Darii Hystaspis anno (515. a. C.), ergo post annos 19 vel 20 perfectum est. Itaque fieri non potuit, quin vario modo se torquerent, qui nihilominus Iudaeos loco nostro de illa aede verba fecisse existimarunt; cf. Wolfius in cur. ad l.“ — *Ad p.* 23. *not. e. Septimum* regni Herodis annum a Iosepho l. c. non dici eum, qui pugnam Actiacam *secutus sit*, sed qui eam *antecesserit* (U. C. 723.), Renzius statuit in literis ad Süskindium datis, excusis illis quidem in Süskindii verm. Aufs. etc. p. 210 sqq., contra quem suam Süskindius sententiam ibid. defendit p. 214 sqq.. — *Ad p.* 23 *sqq. De intervallo muneris Christi* singulatim scripserunt Franc. Burmannus in exercitt. acadd. ed. Abr. van Halen, Roterod. 1683. 88. 2 voll., vol. II. diss. 2.: de intervallo τῆς πολιτείας sive functionis Christi, I. Laurbeckius, de annis ministerii Christi, Altorf. 1700, 4., Koernerus, in progr.: quot paschata Ch. post baptismum celebraverit, Lips. 1779, 4., Newcomius, on the duration of Christ's ministry, 1780., Priestleyius, two letters to Dr. Newcome, -- on the duration of our Saviour's ministry, 1780., Priesius, de numero paschatum Christi, Rostoch. 1789, 4., Koehlerus, über die Zeitdauer der Lehrthaetigkeit I. C., in: Annalen d. ges. Th. 1832, 1, 2, p. 268 sqq. Adde Kepleri et Calvisii epistolas in Kepleri eclogis chronicis p. 66 sqq. excusas, et Haenleinii progr. de temporis, quo J. cum Apostolis versatus est, duratione, Lips. 1796, 4. — *Ad p.* 25. Quominus cum Bengelio (ord. temp. p. 252.) Io. 4, 35. *triticeam Galilaeorum messem*, quae in Iulium fere cadere solebat (Hieron. ad Amos. 4, 7.), intelligamus, praeter alia eo impedimur, quod e locis Io. 3, 22. 26. 4, 1., cll. 2, 13., apparet, ea, quae 4, 35. memorantur, haud exiguo post pascha tempore, eaque de causa vix duobus tribusve, antequam in Galilaea triticum meteretur, mensibus contigisse. Cf. Paulus (exeget. Hdb. etc. I, 2, p. 787 sq.). — *Ad p.* 26. *in.* Contra eos, qui, si loco Io. 6, 4. de paschate modo celebrato cogitandum esset, scribendum fuisse monent: ἔτι ἐγγὺς ἦν τὸ πάσχα, Paulus (exeget. Hdb. etc. I, 1, p. 245 sq.) exempla quaedam profert, ex quibus vocc. *prope*, *proximus* de rebus etiam praeterlapsis dici intelligitur. Sed praeterquam quod V. ille D. nullum ex lingua *Graeca* addidit similis consuetudinis testimonium, Ioannes, si cap. 5, v. 1 sqq. iam de eodem, quod cap. 6, v. 4. commemoravit, paschate locutus esset, prorsus non poterat, quin h. l. ἔτι adiiceret. — *Ad p.* 28. *not. i. Unum* tantummodo per annum Iesum publice docuisse, ex recentioribus praeter Burmannum G. I. Vossius putat lib. p. 6. not. a. cit. (in tractt. theoll. p. 82 sqq.), Priestleyius, teste Marshio (Anm. zu Mich. Einl. II, p. 49 sq. 53 sq.), Koehlerus in diss., quam in add. ad p. 23 sqq. allegavimus. Quam opinionem reliqui cum evang. Ioanneo ita conciliare student, ut cap. 6, v. 4. vocc. τὸ πάσχα interpolata censeant*), Koehlerus sic, ut, quod eo loco attingitur, azymorum festum de ultimo Christi paschate interpretetur, verba autem cap. 7, v. 1. καὶ et μετὰ ταῦτα, Kuinoelii coniecturam secutus, abolenda ducat, ita statuens ille quidem, Ioannem nonnulla, quae antea tradere omisisset, ab hoc inde cap. addidisse. Atque altero loco lectionem perperam mutari, p. 24. not. k. ostendimus; Koehleri autem sententia, uti omnino argumentis nititur levioribus, de quibus h. l. disputare longum est, ita hoc uno concidit, quod cap. 7, v. 4. haec certe verba: μετὰ ταῦτα, retinenda esse, codicum auctoritas iubet; neque enim illa, teste Griesb., nisi

*) Itaque restringenda sunt, quae p. 28. in notis, lin. 11. et 10. a fin., diximus.

in cod. 47. et 235., quorum alter sec. XV., alter XIV. scriptus est, et in evangeliariis desunt, in quibus talia ab initio anagnosmatis omissa esse, quis est, qui miretur? Neque ullius est momenti, quod μετὰ ταῦτα cum μετ' αὐτῶν permutatur in cod. 28. sec. XI., in vers. Slav. 3. sec. XIV. et a Chrysostomo ap. Wetst. Quod vero eadem verba, quum in codd. plurimis postponantur vocibus: περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς, tamen in multis, iisque antiquioribus, iisdem anteponuntur, id tantum abest, ut seriorem eorum originem testetur, ut rectissime inde derivetur, quod librarii Ioannem alibi (v. g. 3, 22. 5, 1. 6, 1. 19, 38. [21, 1.]) μετὰ ταῦτα ab initio sententiarum ponere meminerant. (Καὶ utrum sit retinendum, necne, diiudicare non audeo.) — *Ad p.* 28 *sq. not. i.* Iesum per *quinquennium* docuisse, Theilius (n. krit. Journ. V, p. 409. not.), Schraderus (d. Ap. Paulus, tom. II. Lips. 1832, p. 81.) existimant. Ceterum quod Kaiserus (bibl. Theol. I, p. 239.) post alios contendit, ex Ioannis ev. hoc solum disci, Christum non minus eo spatio, quod tribus paschatum festis interpositum fuerit, docendo exegisse, neque vero, an homines diutius instituerit, perspici, id minus recte se habere, ex iis patet, quae p. 25 sq. exposita sunt. — *Ad p.* 29. *in.* Novum quoddam argumentum historicum ad definiendum ultimum Christi annum Schraderus (l. c. tom. I. p. 36 sq.) invenisse sibi visus est in Iosephi Ant. 18, 5, 1. cll. 4, 6. Etenim inde, quod Flavius h. l. bellum, quo Aretas Herodem Antipam propter filiam repudiatam petierit, Philippo, Antipae fratre, vixdum mortuo [?] (i. e., ut Schr. putat, auctumno [?] a. 34.) initium ceperit, Aretae filiam verno certe huius anni tempore ad patrem rediisse, eademque aetate Herodiadem Antipae nupsisse concludit. Qua de causa nec Ioannem baptistam, qui tum demum, quum tetrarcha Herodiadem iam duxisset, illius gratia exciderit, et, priusquam occideretur, aliquamdiu in carcere fuerit, ante pascha a. 34., neque Iesum prius a. 35. supplicio affectum esse statuit; quamquam neque serius eas res accidere potuisse monet, quia Pilatus azymorum festo a. 36. non amplius in provincia degerit. Sed ut alia, in quibus Schr. erravit, omittamus: Herodiadem a. certe 32., vel ineunte a. 33., iam fuisse Antipae uxorem, ex Iosepho discimus. Is enim (Ant. 18, 6, 1—3.) Agrippam (eum, qui serius Iudaeorum rex creatus est), quia Tiberius, Drusi filii morte dolens, huius amicos in conspectum suum venire vetuerit, Roma relicta in Palaestinam venisse, et, quum ob aeris alieni molem vim sibi inferre meditatus sit, ab *Antipa* sublevatum esse narrat, qui, *Herodiadis uxoris* precibus permotus, certam ei pecuniam sit largitus. Sed brevi post, dissidio inter utrumque orto, Agrippam ad *Flaccum*, Syriae praesidem, se contulisse, ubi aliquamdiu versatus, fraude quadam concepta, discedere iussus sit. Ac Drusus quidem iam a. 23. obiit (Tac. Ann. 4, 8.), neque tamen Tiberium statim post eius mortem (v. Tac. l. c. et c. 13.), sed serius demum, quum, Seiano a. d. XV. Kal. Nov. anni 31. (Tac. ibid. 6, 25.) interfecto, Apicata, Seiani uxor, post paucos dies eum certiorem reddidisset, mariti dolo Drusum interiisse (cf. Dio, 58, 11.), maximo correptum esse dolore, accepimus. Itaque circa haec tempora, et quidem (uti consentaneum videtur) hieme praeterlapsa, i. e. anno 32. in., Agrippa in patriam reversus est. Ac quoniam Flaccus iam a. 33. exeunte vita decessit (Tac. Ann. 6, 27. cll. numis ap. Eckhel. III, p. 279 sq.), Agrippam non serius a. 33. ineunte, sed probabilius a. 32., Herodiadis ope miseriis ereptum esse sequitur. — *Ad p.* 29. *not. o.* Iesum *Mercurii* die obiisse, Drümelius contendit, quem Bengelius impugnavit in l.: Beweis, dass Ch. an keinem Mittwoche, sondern am Freitag gestorben sey, 1746., teste Schneckenburgero, qui miram illam opinionem et ipse defendit (Chronologie der Leidenswoche, in l.: Beitraege zur Einl. in's N. T. etc. p. 1 sqq.), partim meris in coniecturis, partim in contorta verborum nonnullorum explicatione nixus. *Solis die* Iesum obiisse, auctor fastorum consularium putat, qui leguntur in Graevii thes. tom. XI. p. 335 sqq. — *Ad p.* 37 *sq.* Si Iesus a. 31. obiit, diem eius fatalem Aprilis diem 27. (non 26., ut Paulus, exeget. Hdb. etc. I, 1, p. 247. 248. 261. alibi, putat, errorem secutus typographicum, qui in Wurmii tabulam [in Bengelii Archiv etc. II, 2. p. 293.] irrepsit), eum vero diem, quo ex his terris discessit, Iunii diem 7. fuisse perspicitur. In definiendis iis diebus, quibus res utraque tribuenda sit, maximam esse et veterum et recentiorum discrepantiam, ex ipsa sententiarum de anno Christi ultimo diversitate sponte intelligitur. Quas quidem statuendi rationes singulatim enumerare quum et longum sit, neque ullam afferat utilitatem, hoc monere sufficiat, duas potissimum fuisse veterum de *tempore mortis domini* sententias, alteram eorum, qui eam in diem

Martii 23. conferrent, ut Lactant. inst. div. 4, 10., chron. Alex. p. 525., Syncell. chronogr. p. 321., Anastas. H. E. p. 14., al., alteram, eamque maxime vulgatam, ex qua ea res mensis eiusdem die 25. accidisse crederetur (de cuius sententiae origine admodum probabiliter Idelerus disseruit, I. l. II, p. 421. not.); ita v. g. Acta Pilati in subscript., Tertullian. adv. Iud. c. 8., Augustin. de trin. 4, 5., martyrologia plurima et auctores medii aevi fere omnes, nec pauci eorum, qui post sacra instaurata exstiterunt (cf. Petav. doctr. tempp. l. XII. c. 13.). Inter recentiores longe plurimi Iesum Aprilis die 3. (a. 33.) obiisse arbitrantur. Ceterum de his aliisque, quae de eadem re proposite sunt, sententiis cff. Ricciolus et Spanhemius ll. p. 190. allegatis. Eas vero opiniones, quae de *die*, *quo Ch. in coelum redierit*, prolatae sunt, non est, quod recenseamus, quum facile, quomodo quisque hac de re statuerit (vel statuere, si diserte de ea dixisset, debuerit), cognita eius sententia de die Iesu fatali, computari possit.

AD CAP. II.

Ad p. 42. in. Vocabulis ὅλη ἡ οἰκουμένη Act. 11, 28. non totam terram, vel orbem certe Romanum, sed solam indicari Palaestinam, locis not. s. allatis non comprobatur. Itaque non alieni nunc sumus ab ea sententia, ut Agabum (ex Lucae mente) potissimum quidem de ea fame, ad quam sublevandam Antiocheni stipem collegerint, i. e. de fame *Palaestinensium*, sed *simul* de *aliis eiusdem generis calamitatibus* cogitasse censeamus, quae Claudio imperante *post hanc Iudaeorum famem alias presserint regiones. Post illam*, inquam, *Iudaeorum famem;* nam quum vaticinium (ut p. 46 sq. vidimus) *proxime* antecesserit iter a P. et Barn. cum stipe Antiochenorum Hierosolyma susceptum, neque haec ipsa profectio ante initium famis Palaestinensis collocari possit: Agabus, si de qua alia annonae caritate simul dixisse creditur, de tali, quae prius fame Iudaica ingruerit, dixisse existimari nequit. Itaque minus recte Koehlerus (Ann. d. ges. Th. 1832, 2, 3, p. 240 sq.), τῆς οἰκουμένης vocabulo de tota Romanorum republica intellecto, ideo, quod iam primo Claudii anno fames Romae saevierit, Agabum ultimo Caligulae tempore vaticinatum, Paulum et Barn. initio imperii Claudiani Hierosolyma migrasse arbitratur. — *Ad p. 46. not. z.* Petavii et Basnagii sententias l. l. allegatas de fame a Iosepho memorata, non de ea, quam Lucas referat, intelligendas esse, ex p. 43. not. c. patere existimo. — *Ad p. 46. not. b. lin. ult.* „Anonym. in Bengelii Archiv. t. IV. part. 1.“ Esse hunc I. F. Wurmium, fil., serius didici. — *Ad p. 48. fin.* Eodem modo, ac Schraderus et reliqui, quos h. l. attulimus, de ordine rerum in Actis cc. XI. et XII. traditarum et alii statuunt, et Schottus (Eroerterung etc. p. 88 sqq.), qui quum (p. 89.) hoc urgeat, quod 12, 25. nullum inveniatur vestigium, unde discamus, Lucam ad narrationem prius interruptam reverti, argumento utitur satis ambiguo. Quin potius auctorem, si *scivisset*, ea, quae Act. 12, 1—24. narravit, tum, quum P. et Barn. Hierosolymis essent, accidisse, nequaquam c. 12, v. 1. forma latius patente, qualis est: κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, usum fuisse probabile est; cf. Wurmius (Tüb. Ztschft f. Th. 1833, 1, p. 6.)

AD CAP. III. A.

Ad p. 57. fin.: „alii denique — existimant.“ Wurmius (l. c. p. 70.) Act. 20, 31. tres annos *civiles* intelligendos putat *), quorum primo currente

*) *Romanum*, an *Iudaicum*, an vero *Ephesinum* anni initium respexisse apostolum censeat, ipse non commemoravit. Quamquam cum Schotto facere videtur, qui (is. in N. F. p. 234 sq.) haud dubie de principio anni *Romano* cogitat. Equidem, si Paulum h. l. annos civiles commemorasse crederem, hos eum ab *auctumno* duxisse existimarem, partim quia ipse *Iudaeus* erat, partim quia cum *Ephesiis* colloquebatur, qui illa aetate, sive annis adhuc usi fuerint *lunaribus*, sive, quod probabilius est, iam annos secuti sint *solares*, ab *auctumno* annum inchoabant (cf. Idelerus l. c. I, p. 402 sqq.; p. 419. cll. p. 414.).

P. Ephesum advenerit (Act. 19, 1.), tertio discesserit (Act. 20, 1.). Similiter iam Schottus (in isag. in N. F. loco p. 57. not. c. all.). Qua quidem sententia, etsi eam tolerari posse largimur, opus tamen esse negamus, quum ex iis, quae p. 57. 59 sq. disputata sunt, apostolum auctumno Ephesum venisse, anno tertio pentecostes festo discessisse, eaque de causa integrum fere triennium hac in urbe exegisse, appareat. — *Ad p. 60 sq. not. l.* V., quae contra Schottum Rückertus dixit (Comment. üb. d. Br. P. an d. Gal. p. 334 sq.), et Olshausenius ad Act. 18, 22. — *Ad p. 61.* Inter χρόνον illum, quem Lucas Act. 18, 23. commemorat, Wurmius (l. c. p. 78.) apostolum *iter aliquod Athenas* (1 Thess. 3, 1.) et *Corinthum* (2 Cor. 13, 1. al.) fecisse putat. Sed praeterquam quod incredibile est, Lucam eiusmodi peregrinationem silentio transmisisse, in qua apostolus non solum terras tam remotas adiisset, sed et tam prope ad Macedoniae fines, ubi Lucas tum degisse videtur, accessisset: cui tandem persuadeatur, illum, *quum Ephesiis* (Act. 18, 20.) *reditum promisisset*, Antiochia *in Graeciam* quidem se contulisse, neque tamen *Ephesum*, a qua tum proxime abfuisset, prius adiisse, quam *Antiochia repetita per Galatiam et Phrygiam migrasset*? — *Ad p. 67 sq.* „Ceterum non perspicitur -- praefecisse." H. l. iniuriam Schradero fecimus; ipse enim p. 164. propter 1 Thess. 2, 17. 3, 12. Paulum tunc ad Thessalonicenses venisse negat. — *Ad p. 70 sq. not. b.* Addantur Wurmius (in Bengelii Archiv. etc. VII, 2, p. 282 sqq. et in: Tüb. Zeitschft f. Th. p. 67 sq.), Billrothius (Commt. zu d. Brr. des P. an d. Cor. Lips. 1833, 8. prol. p. XXVII — XXXI.). — *Ad p. 73. not. n.* Quando Wurmius iter hoc Corinthium susceptum esse credat, diximus in add. ad p. 61. — *Ad p. 77. fere med.* Nicopolin *Palaestinae* omittas, quippe quae, quum ante *Emmaus* dicta esset, a. demum 71. (testibus numis ap. Eckhel., doctr. num. III, p. 454., non, ut Eusebius in can. chron. p. 297. ed. Auch., vers. Hier. p. 80. A. ed. Bas., Hieron. de vir. ill. c. 63., chron. Alex. p. 624., aliique docent, Elagabalo imperatore) *Nicopolis* sit appellata. — *Ad p. 85 sq. De tempore, quo exarata sit utraque ad Thess. ep.* Wurmius (l. c. p. 74 sqq.), nonnullis, quibus Schraderus quoque et Koehlerus utuntur, argumentis permotus, has literas non, quum apostolus primum inter Corinthios degeret, sed in eo demum itinere, quod illum Antiochia in Graeciam fecisse fingit (v. add. ad p. 61.), scriptas esse opinatur.— Ceterum Koehlerus suam de temporibus harum epistolarum sententiam denuo defendit in epistola privatim ad Schottum data, cuius argumenta ille in Ann. d. ges. Th. 1833, 1, p. 49 sqq. refutavit. — *Ad p. 87.*: „Simili, ac Schraderus, ratione, Schottus" etc. Hanc sententiam Schottus repetiit in: Ann. d. ges. Th. 1832, 3, 1, p. 15., ubi se ad eam amplectendam argumentis perductum esse fatetur, quae similia sint iis, quibus Schraderus usus fuerit. Praeterea in eandem sententiam Olshausenius concessit (in tab. temporum commentario in Acta App. adnexa.).

AD CAP. III. B.

Ad p. 89 sq. Causam erroris a Tacito commissi non male Wurmius explicat (l. all. p. 15 sqq.). — *Ad p. 91. lin. 5 sqq.* Praeterea aliud quoddam est, quod nos doceat, quo quis seriori tempori Felicis e provincia abitum assignet, eo illum minus a veritate alienum videri. Nam Iosephum anno aetatis 26. (aer. D. 63. ex. vel 64. in.), quum Felix Iudaeam iam reliquisset, Romam navigasse scimus (v. p. 100. not. k.), ut amicos quosdam, quos ille vinctos eo miserat, liberaret. Quod quidem iter quum Ios. haud dubie *quam primum fieri poterat*, inierit, F. non ita multo ante a. 63. v. 64. discessisse, maxime omnium est consentaneum. Ita recte Hugius (l. l. II, p. 316.), Wurmius (l. all. p. 24.). — *Ad p. 92. not. g.* Winerus in 2. ed. lib.: bibl. Realwtb. ad eorum sententiam inclinat, quos p. 95. not. b. laudavimus. — *Ad p. 116 sq.* De Dionis Cassii narratione h. l. proposita Wurmius (l. all. p. 48 sq.) ita sentit, primum quidem imperatorem edixisse, ne Iudaeis ritus patrios sequi liceret, sed mox (cll. Ios. Ant. 19, 5, 2. 3.), deprecante quidem Agrippa maiore, eiusque fratre, hoc edictum rescidisse, ea vero, quae Suetonius et Lucas de Iudaeis expulsis referant, tempori seriori tribuenda esse. Ceterum (p. 47 — 49.) in eo nobis-

cum consentit, quod et antequam Agrippa II. Chalcidis rex sit constitutus (minus recte a. dicit 48.), et intra illud temporis spatium, quo idem effecerit, ut Iudaei cum Samaritis coram Claudio contendentes causam vincerent (v. supra p. 119. not. r.), Iudaeos expulsos esse negat; etsi in eo discrepat, quod (nescio cur) *toto anno* 52., *ne primis quidem mensibus exceptis*, eam rem fieri potuisse, improbabile ducit. — *Ad* p. 108. *in.* „Diebus non minus *quinque* Tyrum navigavit." Strabo (l. X. p. 475.) Sammonio, quod Cretae promontorium est, secundum alios *quatuor diebus totidemque noctibus*, secundum alios (haud dubie cursu maxime festinato) *tribus adeo et diebus et noctibus* in Aegyptum (Alexandriam) perveniri potuisse tradit. Collato autem, quod inter Sammonium et Aegyptum, et quod Patara inter atque Tyrum positum est, spatio, Paulum, *si navigatione usus esset maxime secunda*, *quatuor diebus noctibusque totidem* Tyrum venire *potuisse*, intelligitur. Itaque *Caesaream die post Troadem relictam* 22. *intrare poterat;* unde si post triduum digressus esset, *Veneris* die abiisset. Quum vero proximus quoque dies peregrinationi Hieros. impendendus esset, neque tamen sabbato Paulus tantum iter fecisse existimandus sit: facile apparet, ne sic quidem apostolum ante diem post discessum ex Troade 28. Caesaream reliquisse.

AD CAP. IV.

Ad p. 126. *in.* De itinere Syriaco Gal. 1, 21. memorato optime Koppius, Winerus, Matthiesius (ad l.) aliique ita statuunt: Paulum *Phoenicen* (in qua Caesarea Stratonis sita erat), quia *Syriae pars* habita sit (v. Strab. l. XVI. p. 749. all.), *Syriae* nomine appellasse (cf. Mt. 4, 24. Act. 18, 18. 22. 21, 3.). — *Ad p.* 126. *not. g.* Adde Rückertum (ad Gal. p. 54 sqq.). — *Ad p.* 128, f. Addantur W. Fr. Rinckius (d. Sendschrb. d. Kor. an d. Ap. Paulus etc. p. 103.), Wurmius (l. c. p. 60 sqq. cll. Bengelii Archiv etc. VII, 2, p. 260.). — *Ad p.* 129. *lin.* 4. Wurmius (cuius mira est de toto hoc chronici pasch. loco sententia, p. 60 — 62. not.), quum (p. 60.) pro: ἔτη ιδ' μῆνες ι' legendum censeret ἔτη ιδ' μῆνες η', non reputavit, auctorem nostrum imperatorum annos non ab eo termino, quo quisque regnare coepit, sed a die eo, unde annos mundi numerare solet, i. e. a die Martii 21. computare, ita quidem, ut primum cuiusque annum a die Martii 21. eius auspicia proxime insecuto ducat (cf. v. g., quae p. 516. 524. 534. ad annos Tiberii XIX. et XX. observat). Iam vero si a die Maii 3. anni 32., quo ille Iesum in coelum rediisse putat (p. 530.), annos numeraveris XIV et X menses, ad Martium anni 47. ineuntem pervenies, cuius mensis die 20. ex auctoris nostri sententia VI. Claudii annus finiebatur. — *Ad p.* 130. *lin.* 14 — 16.: „iter Hieros. - - verba fiunt." Hoc loco in errorem inducti sumus eo, quod chronici auctor iter Gal. c. 2. relatum post itinera in Asiam minorem suscepta (Act. cc. 13. 14.) collocat. Verum quum ille partim ex voce *πάλιν* profectionem illic memoratam *secundum* apostoli iter Hieros. habendam esse concludat (*καὶ ὅ εἶπεν· πάλιν, δηλονότι ἑτέρα ἐστὶν ἀνάβασις αὕτη*), partim in iis, quae verba p. 128 sq. allata sequuntur, diserte ea, quae Act. c. 15. tradita sunt, tempori assignet seriori (p. 550. ed. Rad.: *πάλιν μετέπειτα ἐλθὼν εἰς Ἱεροσ. μετὰ Βαρν., καὶ εὑρὼν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους, ἅμα Ἰακώβῳ τῷ ἀδελφῷ τοῦ κυρίου, γράφουσιν ἐπιστολὴν οἱ ἀπόστολοι εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Συρίας*): certum est, ex eius mente Gal. 2, 1 sqq. idem, quod Act. c. 11. describitur, iter referri, quod quidem ipse, nescio, utrum consulto, an per errorem, ei tribuit aetati, quam Lucas Act. c. 14. extr. attigit. Neque tamen haec eo valere, ut nobis recedendum sit ab illa, quam p. 130. protulimus de totius loci ratione, sententia, per se patet; nam quum scriptor hanc peregrinationem statim post itinera Act. cc. 13. 14. narrata collocandam esse opinaretur, non poterat, quin illam *propter eum, quem ex Actis conclusisse sibi videbatur, temporum ordinem quinto Claudii anno praeterlapso susceptam esse* crederet. (Ceterum hinc intelligitur, illa etiam, quae p. 148. not. z. diximus, corrigenda, et chronici auctorem iis addendum esse, quos p. 138. not. r., p. 147 sq. not. v. allegavimus.) — *Ad p.* 135. *not. d.* Easdem, quas hic et in sqq. commemoravi de tempore, quo ap. primum ad Gal. pervenerit, et quo literas ad eosdem dederit, sententias Paulus repetiit in l.: Des Ap. Paulus Lehrbrief an d. Galater- u.

Roemerchristen, Heidelb. 1832, 8. — *Ad p.* 138. *not. r.* „Paulus, Heidelb. Jahrbb. etc.“ Praeterea in comment. in epp. ad Gal. atque ad Rom. p. 33 sqq., exeget. Hdb. üb. d. drei ersten Evangelien, I, 1, p. 238 sqq. — *Ad p.* 139. *not. s.* Eadem Wurmii quoque sententia est (cf. inpr. l. c. p. 57.), Matthiesii et Usterii (ad Gal. 2, 1.). — *Ad p.* 146. *fere med.* „Ammonius — repetendam.“ Ab hac sententia neque Usterius admodum alienus est (ad Gal. 2, 1. p. 36.). — *Ad p.* 148 *sq. not. a.* Sic Wurmius quoque iudicat (l. c. p. 73. not. *). — *Ad p.* 151 *sq. not. r.* Add. Wurmius in Bengelii Arch. etc. 7, 2, p. 260 sqq., Tüb. Ztschft etc. l. c. p. 38 sqq. — *Ad p.* 160. *lin.* 2 *sqq.* Add. Paulus, exeget. Hdb. etc. I, 1, p. 261., comment. ad Gal. 2, 1.

Praeterea, antequam huius libelli usum facias, *haec velim emendari:*

P. 7. *lin.* 2. post v.: „indicavit (2, 1.)“ signum *b* addas.— *P.* 9. *lin.* 9. post v.: „occiderunt“ signum *t* ponas. — *P.* 13. *not. y.* pro 782. legas: 762.— *P.* 14. *lin. ult.* signum *b* in lineam a fine 6. transferas post v.: „posuerunt.“ — *Ibid. in notis lin.* 6. *a fin.* del. literas: „h. I.“ — *P.* 15. *not. g.* et *p.* 18. *lin.* 4. pro „ante Galbae“ l.: „ad Galbae certe.“ — *P.* 16. *not. m.* in. pro: „Bab.“ l. „Gemar. Bab. ר״אש השנה.“ Paulo serius post v. Nehemiae addas signum (“).— *Ibid. not. n.* ante „Hier.“ l. „Gemar.“— *P.* 17. *lin.* 5. *a fin.* pro 15. l. 16. — *P.* 23. *lin.* 8. pro cer*te* l. cer*to*. — *P.* 24. *not. k.* post Eichhornii nomen del. vv.: „ed. 1.“ — *Ibid. not. n.* l. Irenae*us* etc.— *P.* 25. *lin.* 25. 26. pro: *post* l. *ante*, pro: *antea* l. *postea*. — *P.* 26. *not. x.* pro: *i.* leg. *k.* — *P.* 27. *not. a.* pro: „sed et“ l. „nam et.“ — *P.* 32. *in notis, lin.* 19. pro: *k*) l. *i*).— *P.* 33. *in notis, lin.* 5. pro: „sub Gamal.“ l. „in schola Gam.“— *P.* 35. *in notis lin.* 2. ante: „vers.“ adde: „in chronico.“ *Ibid.* pro: „latino-arm.“ scribendum „arm.-lat.“ — *P.* 36. *lin.* 5. post: 187. add.: „aer. Seleuc.“ — *P.* 51. *lin.* 5. *a fin.* lege: Hierosoly*ma*.— *P.* 55. *in notis lin.* 8. pro: 2 Cor. 10, 15. l. 10, 16. — *P.* 57. *lin.* 18. l. Corinth*um*.— *P.* 68 *lin.* 4. *a fin.* pro: 1 Thess. l. 2 Thess. — *P.* 72. *lin.* 14. *a fin.* pro: 5. l. 15. — *P.* 74. *in notis, lin.* 18. vox: „alii“ statim post Neandri nomen ponenda. — *P.* 80. *not. e.* pro: „append. char. VI.“ l. „de ordine epp. Pauli.“ — *P.* 106. *lin.* 18. pro: „*prius*“ l. „*serius*“. — *P.* 117. *in notis, lin.* 3. pro: „not. h.“ l. „not. b.“ — *P.* 135. *lin.* 6. *a fin.* post v.: „Alterum“ add.: „idque ultimum“ — *P.* 164 *sq. not. i.* del. Basnagii nomen.— *P.* 173. *in notis, lin.* 1. pro: „designabatur“ l.: „designatur.“ — *Ibid. Lin.* 10. post: „Hyrcanum II.“ add. „nec non Antigonus.“— *Ibid. lin.* 19. *a fin.* pro: „ut — moderaretur“ l.: „ut regi adiunctus esset procurator quidam.“

INDEX I.

RERUM, QUAE HOC LIBELLO CONTINENTUR, MEMORABILIUM.

(*Numerorum* **siglae** *paginas*, *literae* **passim additae** *notas* **indicant. Ceterum earum tantum notarum signa adscripta sunt, in quibus de rebus in expositione ipsa vel obiter commemoratis vel prorsus omissis uberius egi.)**

b) *Quaedam Pauli itinera varias ob causas singulatim commemoranda.*

INDEX II.

LOCORUM N. T., QUI IN HOC LIBELLO ILLUSTRANTUR.

